CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

TRACTATUS CANONICUS

DE

SANCTISSIMA EUCHARISTIA

PONTIFICIUM INSTITUTUM UTRIUSQUE IURIS BIBLIOTHECA

PONT. INSTITUTUM UTRIUSQUE IURIS
:: BIBLIOTHECA ::
9-C.
22

aula 65

TRACTATUS CANONICUS

DE

SANCTISSIMA EUCHARISTIA

AUCTORE

PETRO GASPARRI SACERD.

SS. D. N. Leonis PP. XIII Praelato Domestico,
in Instituto Catholico Parisiensi textus canonici professore,
olim Romae professore institutionum canonicarum in Collegio Urbano de Propaganda Fide,
et sacrae theologiae sacramentariae in scholis Pontificii Seminarii Romani ad S. Apollinarem

Property of
CBF
Please return to
duate Theological
Union Library

Hic est panis de coelo descendens ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur (*Joan. VI, 50*).

263.4
G 249
THEOLOGICAL LIBRARY
O. F. M.
SANTA BARBARA
NO. 19196

VOLUMEN PRIMUM

DELHOMME ET BRIGUET, EDITORES

PARISIIS
Via vulgo dicta : rue de Rennes, 83.

LUGDUNI
Via vulgo dicta : Avenue de l'Archevêché, 3.

1897

Tous droits de propriété et de traduction réservés.

APPROBATIO

Visa relatione scripta sacerdotis qui Rev. D. Petri Gasparri, Professoris Juris Canonici in Instituto Catholico Parisiensi, novum opus, cui titulus **Tractatus canonicus de sanctissima Eucharistia,** duobus voluminibus compactum, perlegit, illud non modo libenter typis edi permittimus, verum etiam omnibus clericis et sacerdotibus nostrae dioecesis enixe commendatum volumus. Sane quam plurimae sunt leges ecclesiasticae quae de venerabili sacrificio et sacramento Eucharistiae decernunt: aliae scilicet respiciunt tempus celebrationis, aliae locum, aliae ministrum, nempe sacerdotem, aliae sacrificii ritus et caeremonias, aliae sacram communionem, etc. Porro has omnes leges docte et egregie exponit in praefato opere laudatus auctor, non praetermissis Rubricis, quae, etsi dicantur pertinere ad scientiam liturgicam, referri tamen debent ad jus canonicum, quia tandem sunt leges Ecclesiae. Nec auctor exscripsit doctores qui de eisdem rebus scripserunt; ipse enim ante omnia sacros canones in corpore juris, vel constitutionibus Romanorum Pontificum, aut Conciliorum Generalium contentos, sub oculis ponit et interpretatur, adhibitis, pro solutione difficultatum, innumeris Congregationum Romanarum, et praecipue Sacrae Congregationis Rituum, decretis; unde ex genuinis fontibus certa, sana et tuta fluit doctrina canonica. Nec deest in sermone lucidus ordo, nec dicendi facilitas, nec argumentorum copia, nec rerum difficilium

facilis explanatio, ita ut praefatum opus omnibus numeris absolutum esse videatur : quod profecto auctori easdem doctrinae ac scientiae laudes apud eruditos conciliabit ac duo ejus priora opera de **Matrimonio** et de **Sacra Ordinatione** inscripta.

Parisiis die 14 Decembris 1896.

† Franciscus Cardinalis RICHARD,
Archiepiscopus Parisiensis.

PROOEMIUM

Sanctissimam Eucharistiam merito dixeris veluti centrum in quod omnes Christianae religionis radii convergunt et terminantur. Siquidem eucharistico sacrificio Christus Redemptor, a mortuis excitatus jam non amplius moriturus, continuo per suorum sacerdotum ministerium Patri suo incruenta oblatione immolatur, qua cruenta in cruce semel peracta oblatio repraesentatur ejusdemque fructus uberrime percipiuntur. Eucharistico autem sacramento Christus Dominus, dum gloriosus ad dexteram Patris in coelo assidet, multis aliis in locis inter homines sacramentaliter commoratur, veluti in arca propitiationis latens sub speciebus sacramentalibus, fidelium adorationes et vota excipit, gratias jugiter dispensat et recipientibus intime sese communicat, promissum suum adimplens, *Matthaei XXVIII, 20* : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*. Est igitur sanctissima Eucharistia passionis et mortis Christi Domini perenne vivumque memoriale, testimonium supremum infinitae ejusdem caritatis erga homines, fons totius vitae supernaturalis, juxta illud *Joannis, VI, 48* : *Ego sum panis vitae*.

Quae cum ita sint, mirum esse non debet Ecclesiam, a primis usque temporibus, circa sanctissimam Eucharistiam quae suum institutorem et sponsum vere, realiter et substantialiter continet sub speciebus sacramentalibus latentem, plura constituisse, ut cum debita reverentia et maxima fidelium utilitate, qua-

tenus est sacrificium, offerretur, assistentibus fideli bus, et quatenus est sacramentum, servaretur, colereturr, sumeretur. Qui sacros canones parumper versarunt, probe norunt eucharisticam legislationem magnam sacramentariae legislationis partem sibi vindicare. Quamquam enim ad hanc materiam ex corpore juris canonici non referuntur nisi brevis tractatus *De consecratione*, in Decreto, et pauci brevesque tituli in Decretalibus Gregorii IX, sexto Decretalium, Clementinis et Extravagantibus communibus, tamen quis nescit in corpore juris canonici neque omnes neque plerosque canones contineri ? Non ignoramus aliquos, etiam inter canonistas, asserere quae ad sanctissimam Eucharistiam spectant, ad sacram liturgiam potius quam ad jus canonicum pertinere ; sed qua de ratione eucharisticam seu liturgicam legislationem a jure canonico excludant, neque indicant neque indicare possunt, praesertim cum ipsum corpus juris canonici de sanctissima Eucharistia agere, etsi breviter admodum, non praetermiserit.

Jamvero hanc legislationem omnibus clericis, quibus Arca Novi Testamenti concredita est, quam maxime practicam, nos in hoc tractatu coadunamus et breviter exponimus, sicuti in praecedentibus similibus tractatibus *De matrimonio*, et *De sacra ordinatione*, Ecclesiae leges quae ad matrimonium et sacras ordinationes attinent, explanare curavimus. Praemissis in capite I brevioribus notionibus dogmaticis quae sunt basis et fundamentum totius eucharisticae legislationis, disserimus in capite II de tempore sacrificii eucharistici ; in capite III de loco ; in capite IV de sacerdote ; in capite V de sacris utensilibus ; in capite VI de materia et forma ; in capite VII de Missae ritibus et caeremoniis ; tandem in capite VIII de assistentia sacrificio eucharistico. Hic explicit tractatio

de sanctissima Eucharistia, quatenus est sacrificium; cui succedit tractatio de sanctissima Eucharistia quatenus est sacramentum. Itaque in capite IX agemus de custodia sanctissimae Eucharistiae; in capite X de cultu et veneratione sanctissimae Eucharistiae exhibenda; demum in capite XI de sancta communione.

Licet profecto non desint scriptores tum antiqui tum recentiores gravissimi et sapientissimi, qui hanc materiam, adeo amplam et non semper obviam vel aliquam ejusdem partem, rite exposuerint, tamen confisi sumus ex hoc quoque nostro qualicumque labore aliquid utilitatis posse obvenire. Eidem suscipiendo nos praecipue impulit grati animi sensus erga paternam Dei providentiam, quae et nos, licet immerentes, ad sacerdotale officium provehere dignata est. Faxit Deus ut quod erat in votis, obtineamus, et hic noster tractatus ad majorem tanti mysterii gloriam cedat. « Quae autem dixi (verbis utar divi Bernardi in epistola CLXXV ad canonicos Lugdunenses, in fine) absque praejudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc, sicut et cetera quae ejusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare. »

ERRATA

Pag.	Lin.		Corrige
22	5	auxilia, denegare quae.	auxilia denegare, quae.
	21	animis	animabus.
27	4	consumetur . . .	consumatur.
39	32	gravibus erroribus.	graves errores.
49	20	ecclesiaeri . . .	ecclesiae ri.
62	in nota	*peregratione* . . .	*peregrinatione*.
85	13	aliquo	aliquod.
92	36	dedictionis . . .	dedicationis.
	12	territoriosunt . . .	territorio sunt.
110	3	petit	petiit.
114	21	1°	4°.
	22	intorstitia	intorticia.
	31	2°	5°.
118	12	extast.	extat.
126	8	est.	videtur.
138	12	oporte.	oportet.
150	31	caenaculum	coenaculum.
	33	prophani.	profani.
152	6	prophanationes . .	profanationes.
177	21	perpatratum . . .	perpetratum.
180	16	Ecclesia	Ecclesiam.
189	26	Episcopis.	Episcopos.
191	12	portabilis.	portatilis.
194	14	prophanationes . .	profanationes.
195	2	indecoris.	indecori.
	35	Missa	Missam.
196	31	communes	communibus.
	32	domus.	domibus.

Pag.	Lin.		Corrige
205	24	prophanis	profanis.
206	15	prophanos	profanos.
212	4	rete	reti.
266	2	ter	tem.
285	36	alteris	alterius.
294	6	qui ter	qui praeterquam ter.
308	3	culix.	culex.
316	5	omnimodo. . . .	omnimoda.
332	14	Disjudicare	Dijudicare.
348	1	altre.	altro.
363	21	siculli	siculi.
373	27	sciscitavit	sciscitata est.
375	37	applicare	applicent.
376	11	sciscitaretur . . .	quaereretur.
386	29	disjudicare. . . .	dijudicare.
392	2	comparetur . . .	compararetur.
394	18	simonia.	simoniam.
405	4	prophanas. . . .	profanas.

TRACTATUS CANONICUS

DE

SANCTISSIMA EUCHARISTIA

CAPUT I

NOTIONES DOGMATICAE DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

Articulus I

Quid sit sanctissima Eucharistia.

1. Tres evangelistae S. Matthaeus, *cap. XXVI*, S. Marcus, *cap. XIV*. S. Lucas *cap. XXII*, et insuper S. Paulus in *I Cor.*, *cap. XI*, narrant de consecratione panis et vini in ultima coena a Christo D. peracta. S. Matthaeus fuit testis ocularis, S. Lucas et S. Marcus quae narrant, audiverunt ex Apostolis, S. Paulus non solum audivit ab Apostolis, sed etiam immediata revelatione accepit, ut ipsemet fatetur, *l. c.* Cum vero hoc mysterium satis narravissent priores tres evangelistae, S. Joannes de eo tacet, licet commemoret ultimam coenam ac lotionem pedum Apostolorum et ex integro referat mirandum Christi D. sermonem. Porro quae sacri scriptores habent de re nostra, haec sunt :

2. Christus D. in qua nocte tradebatur, post celebratam paschalem coenam ex legis praescripto (1), in primis

(1) Nonnulli immerito prorsus putaverunt Christum D. legalem coenam non celebravisse. Vide Benedictum XIV. *De festis D. N. J. C., lib. I, cap. IV, n. 6 sequ.* Non conveniunt autem doctores catholici utrum Christus D. ante Eucharistiae confectionem duplicem coenam celebraverit, nempe *legalem*, in qua comedit agnum paschalem cum praescriptis ritibus, et *communem* seu *usualem*, post quam lavit pedes discipulorum

accepit panem, gratias agens illum benedixit, fregit ac prolatis verbis consecratoriis quibus illum mirabiliter convertit in corpus suum, sumpsit ipse, juxta theologorum sententiam, deditque discipulis suis manducandum. S. Matthaeus, *XXVI, 26*, haec habet : *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait* : ACCIPITE ET COMEDITE : HOC EST CORPUS MEUM. Similia prorsus habet S. Marcus, *XIV, 22* : *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem et benedicens fregit et dedit eis et ait* : SUMITE : HOC EST CORPUS MEUM. Item S. Lucas, *XXII, 19* : *Et accepto pane, gratias egit et fregit et dedit eis dicens* : HOC EST CORPUS MEUM QUOD PRO VOBIS DATUR. Et S. Paulus, *I Cor., XI, 23, 24* : *Accepit panem et gratias agens fregit et dixit* : ACCIPITE ET MANDUCATE : HOC EST CORPUS MEUM QUOD PRO VOBIS TRADETUR.

3. Deinde Christus D., accepto calice cum vino, gratias egit, et prolatis verbis consecratoriis quibus vinum mirabiliter convertit in sanguinem suum, sumpsit ipse, ex theologorum sententia, deditque discipulis suis bibendum. S. Matthaeus, *XXVI, 27*, haec habet : *Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens* : BIBITE EX HOC OMNES : HIC EST ENIM SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM : DICO AUTEM VOBIS, NON BIBAM AMODO DE HOC GENIMINE VITIS USQUE IN DIEM ILLUM CUM ILLUD BIBAM VOBISCUM NOVUM IN REGNO PATRIS MEI. Gemina sunt verba S. Marci, *XIV, 23* : *Et accepto calice, gratias agens dedit eis : et biberunt ex eo omnes. Et ait illis* : HIC EST SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR : AMEN DICO VOBIS QUIA NON BIBAM DE HOC GENIMINE VITIS USQUE IN DIEM ILLUM CUM ILLUD BIBAM NOVUM IN REGNO DEI. S. Lucas, *XXII, 17*, prius haec habet : *Et accepto calice, gratias egit et dixit* : ACCIPITE ET DIVIDITE INTER VOS : DICO ENIM VOBIS QUOD NON BIBAM DE GENERATIONE VITIS DONEC REGNUM DEI VENIAT ; deinde narrat consecrationem panis verbis supra relatis, et tandem redit ad consecrationem ca-

(*Joan. XIII, 4 sequ.*) ; an unam tantum, scilicet legalem, facta pedum lotione, vel ante ipsam legalem coenam, vel post Eucharistiae institutionem.

licis : *Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens* : HIC EST CALIX NOVUM TESTAMENTUM IN SANGUINE MEO QUI PRO VOBIS FUNDETUR. Similia habet S. Paulus, *I Cor., XI, 25* : *Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens* : HIC CALIX NOVUM TESTAMENTUM EST IN SANGUINE MEO (1).

4. Tandem Christus D. in ultima coena non solum corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Apostolis distribuit, sed etiam voluit hoc admirabile mysterium usque ad saeculi consummationem esse in Ecclesia repetendum, dicens Apostolis : *Hoc facite in meam commemorationem*, uti referunt S. Lucas et S. Paulus. His verbis Christus D. in primis dedit Apostolis potestatem faciendi id quod ipse fecerat, nempe convertendi substantiam panis et vini in corpus et sanguinem suum mediantibus verbis consecratoriis, seu ipsos, absque ordinatione proprie dicta, constituit sacerdotes, quoad potestatem consecrandi corpus et sanguinem suum, ut docuit et definivit Conc. Trid., *sess. XXII, cap. I* et *can. II* ; et quidem hanc potestatem dedit communicabilem aliis, postea statuens esse communicandam per ordinationem sacerdotalem una cum potestate remittendi et retinendi peccata, et ideo Apostolos non solum sacerdotes sed etiam episcopos aliquo modo illis verbis constituit. Praeterea, illis verbis Christus D. praecepit ut Apostoli aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, de eodem participantes, seu Missam celebrarent, ut idem Conc. Trid. docuit et definivit locis citatis et patet per verbum imperativum : *Facite*. Conformiter huic divino juri et praecepto, sacerdotes in Ecclesia qua late patet, corpus et sanguinem Christi D. conficiunt, ita ut Christus D., dum sedet gloriosus in dextera Patris, simul in terris sacramentaliter immoletur et praesens sit. Ceterum Christus D. alias circumstantias quae consecrationem corporis et sanguinis sui in ultima coena comitatae sunt, imponere noluit illis verbis, sed potius Ecclesiae reliquit determinanda adjuncta in quibus esset in posterum renovanda illa mirabilis consecratio.

(1) Christum D. panem et vinum *prius* benedixisse, *deinde* consecravisse verbis, *tandem* sumpsisse juxta theologorum placitum et praebuisse Apostolis, fusius dicemus in *cap. VI.*

5. Jam vero fidei mysterium quod Christus D. in ultima coena gessit, et faciendum expressit in sui memoriam et de facto in Ecclesia universa continuo renovatur in ejus commemorationem, appellatur *Eucharistia*. Unde Eucharistia describi potest : *Fidei nostrae mysterium quo sub speciebus panis et vini verbo sacerdotis consecratis ipse Christus D. continetur, offertur, sumitur*. Verba : *fidei nostrae mysterium..... continetur*, indicant praesentiam Christi D. sub speciebus panis et vini. Verbum : *offertur*, indicat rationem sacrificii quam Eucharistia habet in ordine ad Deum. Tandem verbum : *sumitur*, indicat rationem sacramenti quam Eucharistia habet in ordine ad homines (1).

6. Appellatur autem hoc fidei mysterium *Eucharistia* a Graecis vocibus εὖ χάρις, quae idem sonant ac *bona gratia* seu *gratiarum actio*, sive quia Christus D. illam instituit *gratias agens*, ut referunt sacri scriptores, sive quia per illam dignae pro acceptis beneficiis gratiae Deo referuntur, sive tandem quia in ea Christus D., omnium gratiarum fons, continetur, offertur, recipitur, et pretiosissimas gratias nobis confert et obtinet. Appellari etiam solet *eulogia*, id est benedictio, juxta illud in *I Cor.*, *X* : *Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est?* ; aut *pascha*, juxta illud in eadem *I Cor.*, *III* : *Pascha nostrum immolatus est Christus* ; aut *dominicum*, aut *synaxis*, id est collectio, quia multi convenire solent fideles ut intersint sacrificio eucharistico et participes fiant corporis Christi ; et in vetustis documentis *celebrare dominicum*, *celebrare* vel *facere collectam* idem significat ac celebrare Missam cum fidelium assistentia et communione (2). Nominatim quatenus est sacramentum, sanctissima Eucharistia appellatur *coena dominica*, *communio*, *sanctissimum sacramentum*, *agapa*, id est convivium charitatis, quia sumptio Eucharistiae praecedebat aut sequebatur agapas eucharisticas priorum temporum, et ipsa Eucharistia est spirituale charitatis

(1) S. Thomas, 3 *p.*, *q.* 79, *a.* 5 : « Rationem sacrificii habet in quantum offertur ; rationem autem sacramenti in quantum sumitur ». Figuras Eucharistiae in veteri Testamento vide apud Scavini, *Theol. Mor.*, *vol. III*, n. 109.

(2) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif.*, *lib. I*, *cap. I*, n. 7.

convivium (1); *panis angelicus, panis vitae, corpus Christi*,

(1) Hic locus est aliqua enarrandi de priorum temporum agapis, quarum mentio saepius in hoc tractatu occurret. Aderant agapae *eucharisticae* et agapae *funerariae* : nos de illis tantum agimus. Agapa eucharistica speciem referebat ultimae coenae in qua sanctissima Eucharistia fuit instituta. Celebrabatur die praesertim dominico vel mane vel sero in ecclesiis aut aliis locis quae publicis fidelium conventibus inserviebant ; Eucharistia autem conficiebatur et distribuebatur vel ante convivium, ut major Sacramento reverentia servaretur, vel post convivium ad exemplum ultimae coenae, nondum invecta lege jejunii naturalis pro sancta communione, et etiam hac invecta lege, feria V in coena Domini (*n. 426*). Itaque quisque fidelium pro modulo suo victualia afferebat, quae deinde in communi ponebantur et sumebantur, praesidente episcopo aut presbytero : contrariumque usum, quo quisque cibos a se allatos manducaret, acriter reprehendit Apostolus 1ª *Cor.*, *XI*. Tertullianus, in *Apologetico*, *cap. XXXIX*, perbelle describit has christianorum primitivorum agapas : « Coena nostra de nomine rationem suam ostendit : id vocatur quod dilectio apud Graecos est. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes quosque refrigerio isto juvamus, non qua penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandae libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed qua penes Deum major est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinae aestimate, qui sit de religionis officio : nihil vilitatis, nihil immodestiae admittit : non prius discubitur, quam oratio ad Deum praegustetur : editur quantum esurientes capiunt : bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse : ita fabulantur ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem et lumina, ut quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere : hinc probatur quomodo biberit. Aeque oratio convivium dirimit. Inde disceditur non in catervas caesionum, nec in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiae et pudicitiae, ut qui non tam coenam coenaverint, quam disciplinam ». Agapa eucharistica, ut publica Ecclesiae institutio, brevi in desuetudinem abiit. Etiam nostris diebus, instinctu quodammodo christiano, publica charitatis convivia, ut institutio privata, aliquando habentur, quae sunt ad instar antiquarum agaparum. Ita (si de domesticis rebus loqui licet) Parisiis fundata est l'*Œuvre de Notre-Dame du très Saint Rosaire* pro Italis pauperibus in Metropoli Gallica commorantibus : nempe tota civitas divisa est in quinque partes et in unaquaque posita est Soror Charitatis Itala quae pueros docet doctrinam christianam paratque ad primam communionem ; infirmos visitat domi et in hospitalibus ; praeest publicis conventibus diei dominicae sive mane pro Missa audienda, sive sero pro audienda concione aliisque precibus recitandis, etc. Tempore autem paschali fideles *missione* disponuntur ad praeceptum paschale rite adimplendum ; et die solemni Paschatis post Missam auditam receptamque sanctissimam Eucharistiam, fideles, ubi fieri potest, ad alium locum accedunt, ubi presbyter modesta victualia benedicit ; quae deinde, eodem presbytero praesidente, Soror Charitatis aliique Itali ac Italae in Civitate digniores fidelibus discumbentibus in Domino distribuunt.

viaticum, etc. Tandem nominatim quatenus est sacrificium, sanctissima Eucharistia dici solet *sacrificium panis et vini*, *sacrificium corporis et sanguinis Christi*, *sacrificium* vel *oblatio altaris*, sed frequentius appellatur sacrificium *Missae*, vel etiam *Missa*, aut *Missae*, aut *Missarum solemnia* simpliciter. De sensu hujus vocis Missae et de variis Missarum speciebus, loquemur in *cap. VII.*

7. Veritates dogmaticas de sanctissima Eucharistia fuse evolvere, probare, vindicare ad theologos spectat; nos eas breviter recolimus, sequentes ordinem ipsius definitionis sanctissimae Eucharistiae. Semper vero prae oculis habebimus Conc. Trid., *sess. XIII*, *XXI*, *XXII*, ubi agit de sanctissima Eucharistia, « ut vetus, absoluta, atque omni ex parte perfecta de magno Eucharistiae mysterio in sancta catholica Ecclesia fides atque doctrina retineatur, et in sua puritate, propulsatis erroribus atque haeresibus, conservetur », ut ipsum Concilium ait in cit. *sess. XXII* ab initio. Sit igitur :

Articulus II

Dogma catholicum de sanctissima Eucharistia breviter exponitur.

§ 1. — *De praesentia reali Christi D. sub speciebus panis et vini verbo sacerdotis consecratis.*

8. Materiam consecrandam verbis sacerdotis, idest panem et vinum, et verba consecratoria nos fusius determinamus in *cap. VI.* Prolatis autem super panem et vinum verbis consecratoriis a Christo D. in ultima coena, aut a presbytero potestate ab eodem recepta, est de fide sub speciebus panis jam non esse panis substantiam, sed vere, realiter et substantialiter corpus una cum sanguine, anima et divinitate D. N. J. C., et sub speciebus vini jam non esse vini substantiam, sed vere, realiter et substantialiter sanguinem cum corpore, anima et divinitate ejusdem D. N. J. C. Corpus quidem sub specie panis et sanguis sub specie vini fit praesens ex vi verborum ; ipsum autem corpus sub specie vini

et sanguis sub specie panis animaque sub utraque specie, vi naturalis illius connexionis et concomitantiae qua partes Christi D. qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur ; divinitas vero propter admirabilem ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. Haec docuit Conc. Trid. *cit. sess. XIII, cap. I seq.* et deinde definivit in *cad. sess. can. I* : « Si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. C. ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute, A. S. ». Et in *can. II* : « Si quis dixerit in sacrosancto eucharistico sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. J. C..., A. S. ».

9. Protestantes dixerunt sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem Christi esse tantum dum sumitur, non autem ante vel post ; consequenter in hostiis seu particulis consecratis quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini. Haec doctrina falsa est : nam statim a consecratione, loco substantiae panis et vini, fit praesens corpus et sanguis Christi D. ; proinde praesens est etiam ante communionem sacerdotis aut fidelium, et etiam in pane et vino consecrato quod superest, expleta communione. Hinc Conc. Trid., cit. *sess. XIII, can. IV* : « Si quis dixerit peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem D. N. J. C., sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post : et in hostiis seu particulis consecratis quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, A. S. ».

10. Porro Christus D. sub speciebus panis et vini verbis consecratoriis ita fit praesens, ut tota substantia panis convertatur in corpus D. N. J. C., remanentibus duntaxat speciebus panis ; et tota substantia vini convertatur in sanguinem D. N. J. C., remanentibus tantum speciebus vini ; quae conversio mirabilis convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia *transsubstantiatio* est appellata. Ita Conc. Trid., *l. c.*, *cap. IV* ; ac deinde in *can. II* :

« Si quis negaverit mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, A.S. ». Theologorum est genuinam transsubstantiationis naturam definire.

11. Circa vero species eucharisticas, id est species panis et vini quae permanent etiam post transsubstantiationem, theologi non sentiunt unum idemque. In primis est sententia inter theologos communis, species eucharisticas esse aliquid objective reale, contra alios theologos et philosophos, praesertim Cartesianos, qui putant species eucharisticas re ipsa non existere, sed Deum vel Christum in Eucharistia agere in nostros sensus et in corpora circumposita, sicuti ageret substantia panis et vini, si adhuc remaneret. Sententia communis innititur duplici rationi, scilicet quia secus Eucharistia non posset habere rationem sacramenti, cum elementum sensibile reale deficeret, et quia haec doctrina, passim recepta in scholis, magis conformis est verbis Patrum et Conciliorum. Sed ea posita, difficile est concipere et explicare quomodonam eae species existant sine proprio subjecto. *Catechismus Conc. Trid., De sacram. eucharistiae, cap. VI*, § *V*, haec habet: « Quoniam ea accidentia Christi corpori et sanguini inhaerere non possunt, relinquitur, ut supra omnem naturae ordinem ipsa se, nullâ aliâ re nisa, sustentent. Haec perpetua et constans fuit catholicae Ecclesiae doctrina, quae etiam facile eorum testimoniorum auctoritate confirmari poterit, quibus antea planum factum est, nullam residere in Eucharistia panis et vini substantiam ».

12. Ex his apparet tantumdem contineri sub una ac sub altera specie, totum scilicet ac integrum Christum. Imo totus et integer Christus est sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte ; totus item sub vini specie et sub ejus partibus existit. Attamen sub speciebus continuis, seu ante separationem, semel tantum Christus continetur, ad eum modum quo unica anima humana est in toto corpore humano et in qualibet ejus parte ; facta autem separatione, Christus continetur sub speciebus uniuscujusque partis,

ut supra. Id definit Conc. Trid., *l. c.*, *can. III*: « Si quis negaverit in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, A. S. ».

13. Proinde Christus D. qui ad dexteram Patris in coelis assidet gloriosus juxta modum existendi naturalem, multis in locis hujus mundi sub speciebus panis et vini simul adest sacramentaliter, ut supra diximus. Conc. Trid., *cit. sess. XIII*, *cap. I*, haec habet: « Nec enim inter se pugnant ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in coelis assideat juxta modum existendi naturalem et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit ea existendi ratione quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus et constantissime credere debemus ».

14. Theologi sudant ut aliquatenus, cogitatione per fidem illustrata, explicent mirabilem modum quo Christus D. sub speciebus panis et vini sacramentaliter existit. Prae ceteris omnibus vide Franzelin, *Tractatus de sanctissimo Eucharistiae mysterio*, *p. I*, *thes. XI*. Illud clarum est, Christum D., sacramentaliter sub speciebus panis et vini existentem, se moraliter et humano modo *exinanivisse*; si enim Apostolus ad *Philip.*, *II*, *7*, de Verbo Dei dicere potuit: *Semetipsum* EXINANIVIT, *formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo*; quanto magis Christus D., verus Deus et verus homo, seipsum exinanivit sub speciebus panis et vini, factus vere cibus et potus viatorum!

15. Tandem Christus D., substantiae locum tenens, sub speciebus permanet, quandiu sub illis substantia panis et vini naturaliter permansisset; desinit permanere, quando sub illis substantia panis et vini naturaliter cessavisset, seu, quod idem est, quando species corruptae et immutatae sunt: et tunc per divinam omnipotentiam substituitur substantia novis speciebus relativa, e. g., acetum. Exinde sequitur, si vino consecrato admiscetur vinum non consecratum, Christum D. permanere sub speciebus vini consecrati,

etsi vinum non consecratum sit in magna quantitate et consecratum in parva, quia species, saltem ut plurimum, persistunt et substantia vini sub eis permansisset (1). Hinc Innocentius III in *cap. 6, De celebratione Missarum*, docet, si aliud vinum infunditur speciebus consecratis, manere quidem mixtum speciebus consecratis, non tamen consecratum quoad partem de novo infusam ; et in antiqua Ecclesiae disciplina vino consecrato addebatur non consecratum pro fidelium communione ; de qua re alias. Hoc autem posito, Suarez, *l. c., n. ult.*, merito tradit tale vinum esse reservandum ad usus sacros ; et si id est impossibile propter magnam vini quantitatem, posse etiam adhiberi ad usus profanos cum reverentia, quia tunc singuli bibentes sese non exponunt periculo probabili bibendi sanguinem Christi (2). Proinde in prima purificatione, post sumptionem sanguinis in Missa, Christus D. a speciebus consecratis in calice remanentibus non recedit ob admixtionem vini non consecrati, sed sacerdos una cum vino non consecrato, sumit sanguinem Christi sub illis speciebus. E contrario, si vino consecrato admiscetur liquor specie diversus, si liquor admixtus talis est ut substantia vini recessisset, si fuisset sub speciebus, eo ipso Christus D. a vini speciebus recedit ; secus, non obstante admixtione, sub speciebus permanet. Utrum vero ex admixtione illius liquoris substantia vini recessisset, necne, chimici praesertim definient. Ita si vino consecrato admiscetur acidum sulphuricum etiam in parva quantitate, dicendum est eo ipso Christum D. recedere, quia hoc acidum ita agit in vinum ut substantiam mutet. Si admiscetur aqua in parva quantitate, Christus D. sub speciebus permanet ; secus si admiscetur aqua in magna quantitate, ita ut aqua superet vinum, quia vinum est mixtum quoddam ex pluribus elementis (inter quae est aqua) in certa proportione, ac proinde, mutata notabiliter hac proportione, non amplius habetur vinum. Infra quale tempus species censeantur corrumpi,

(1) Suarez, in 3 *p. D. Thomae, qu.* 77, *art.* 8, *disp. LVII, sect. IV, n.* 5 : De Lugo, *De Euchar., disp. X, n.* 41, cum communi contra D. Thomam, *l. c.*, quem tamen nonnulli benigne explicant.

(2) De Lugo, *l. c.*, n. 52.

sive in sancta communione, sive extra communionem, suis locis dicemus.

§ 2. — *Sanctissima Eucharistia est verum sacrificium* (1).

16. Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. I*, rectissime docet sacrificia in quacumque lege extitisse. In lege naturae sacrificia instituerunt paterfamilias seu patriarcha pro

(1) Sacrificium, spectata vi nominis, velut *sacrificatio* vel *sacrifactio*, significat actionem qua *sacrificatur* seu *fit aliquid sacrum*. Cohaerenter ad hanc nominalem significationem sacrificium in sacris litteris et etiam in usu communi passim indicat quemlibet actum religionis etiam internum tantum. In sensu stricto, sacrificium significat peculiarem actum religionis et definiri optime potest: *Oblatio rei juxta legitimam institutionem Deo facta, per ejusdem realem vel aequivalentem destructionem, in substitutionem ipsorum hominum, ad professionem absolutae nostrae dependentiae a Deo*. Ad declarationem hujus definitionis notandum est nos a Deo omnimode dependere, scilicet quatenus est nobis primum principium et ultimus finis, et huic dependentiae respondet in nobis *adoratio*; quatenus innumera nobis contulit beneficia, et huic respondet *gratiarum actio*; quatenus aliis beneficiis ab eodem conferendis indigemus, et huic respondet *petitio*; tandem quatenus eumdem per peccatum offendimus et placatum volumus, et huic respondet *satisfactio* vel *expiatio*. Hanc dependentiam profiteri, tum actu interno, tum actu etiam externo, tum homines privatos pro seipsis in particulari, tum societatem pro morali societatis persona et pro singulis eamdem componentibus, est cultus latriae internus-externus, privatus-publicus. Jamvero competens auctoritas ad hanc professionem modo concreto et solemni faciendam statuit, ut a ministro publici cultus, seu a sacerdote, nomine totius societatis et omnium eamdem componentium, offerretur Deo res, homines quodammodo repraesentans, ac destrueretur realiter vel aequivalenter, significans homines ipsos, in recognitionem absolutae suae dependentiae a Deo, vitam propriam daturos, si liceret et oporteret. Ejusmodi oblationes a competenti auctoritate legitime institutae usu tum sacro tum profano appellatae sunt *sacrificia* in sensu stricto. Vide Eusebium, *De demonstrat., lib. I, cap. ult.*, ubi hanc sacrificii proprie dicti notionem tradit. Proinde in sacrificio potest duplex compositio considerari; prima, quatenus actus internus, quasi forma, comitatur actum externum, quasi materiam, et hanc possumus appellare compositionem metaphysicam; altera, quatenus in ipsomet actu externo res, quasi materia, destruitur actione sacrifica, quasi forma, et hanc dicere possumus compositionem physicam. Sacrificium proprie non est nec res tantum, nec actio tantum abstracte sumpta, sed est res quatenus actione sacrifica offertur, licet nonnumquam etiam res tantum vel actio tantum sacrificium appelletur. Res dici etiam solet promiscue *hostia, victima, holocaustum, libamen*, etc., licet inter has voces, stricte loquendo, aliqua sit differentia.

societate domestica ante institutionem societatis civilis, et caput civilis societatis pro societate civili, sacerdotium reservantes sibi aut primogenitis. Sed nonnulla ex his sacrificiis speciali Dei revelatione, seu instinctu divino, instituta fuere praefigurantia sacrificium christianum, ut, e. g., probabile est de sacrificio Melchisedech, *Gen.*, XIV, quod fuit figura sacrificii nostri eucharistici. In lege veteri scripta, sacrificia instituit immediate ipse Deus, qui sacerdotium reservavit Aaron ejusque filiis, ministerium tribui Levi. Omnia haec sacrificia fuerunt typus seu figura sacrificii novae legis, ut explicat D. Thomas, *1ª 2,æ, q. 102, a. 3.* In lege nova pro toto genere humano Christus D. auctor fuit novi et excellentissimi sacrificii et sacerdotii.

17. Humano enim genere per peccatum protoparentum delapso e statu supernaturali, Deus, justus simul et misericors, admisit quidem illius reparationem, sed praestita adaequata compensatione, idest, adaequata satisfactione pro injuria sibi illata per peccatum et adaequato merito pro bonis homini restituendis. Hanc adaequatam compensationem praestare non poterat nisi Deus homo. Hinc Unigenitus Dei Filius, amore actus erga homines, assumere dignatus est humanam naturam; et verus Deus ac verus homo, proinde caput juridicum totius generis humani, sacerdos in ara crucis seipsum obtulit Deo in sacrificium pro omnibus hominibus praeteritis, praesentibus et futuris (1). Hoc sacrificium, cum esset valoris simpliciter infiniti, poterat utique esse compensatio pro nostra redemptione non solum adaequata, sed superabundans. Christus D. illud

(1) In sacrificio crucis Christus D., secundum naturam divinam, fuit *accipiens sacrificium*, seu ille cui sacrificium oblatum est; secundum humanam naturam fuit *sacerdos* et *victima*, repraesentans totum humanum genus, cujus erat caput juridicum. Forma sacrificii, seu actio destruens in hoc fuit, quatenus Christus D. non toleravit tantum tormenta et mortem, sed interne vitam suam offerens Deo, externe admisit positive ac liberrime tormenta, eisdem permittens mortem sibi inferre; quae tormenta Judaei impie intulerunt. Etiam in sacrificiis Veteris Testamenti saepe victima (nominatim agnus paschalis) mactabatur a levitis vel ab iis qui sacrificium offerri postulabant; quae mactatio erat forma sacrificii seu actio sacrifica, quatenus fiebat sub potestate et visibili directione ac ministerio sacerdotis.

Deo obtulit, praecise tanquam compensationem pro nostra redemptione, et Deus hanc compensationem benigne acceptavit, ut patet vel ex ipso decreto missionis et incarnationis Filii Dei pro nostra omniumque salute. Proinde sacrificio crucis regeneratio omnium et singulorum hominum fuit consummata, satisfacta abundanter injuria illata Deo per peccatum, exhibito merito condigno, imo superabundanti pro bonis nobis restituendis et finem habuerunt antiqua sacrificia cum relativo sacerdotio.

18. Ad modum notandum est quo sensu ex voluntate tum Christi pretium redemptionis solventis, tum Dei illud pretium acceptantis, redemptio generis humani fuerit sacrificio crucis consummata. Scilicet non fuit consummata quatenus homines, per sacrificium crucis obtinerent immediate et directe gratiam sanctificantem in hac vita et salutem aeternam in vita futura; sed quatenus Deus, satisfactione crucis placatus, jam vult omnes et singulos homines salvos fieri et, consequenter ad hanc voluntatem, praebet omnibus et singulis possibilitatem salutis; sed simul exigit ut ipsi homines aliquid praestent pro propria salute. Ita instituit media sanctificationis, quibus homo uti debet cum debitis dispositionibus; dat omnibus (licet non omnibus aequaliter) gratias quibus homo debet cooperari; insuper homo alias quoque gratias obtinere potest, sive propriis meritis, sive meritis et intercessione aliorum. Haec autem omnia sunt fructus sacrificii crucis, sine quo Deus illam voluntatem salvificam non habuisset, et ideo nec media sanctificationis instituisset, nec gratias concessisset: haec igitur omnia sunt meritorum sacrificii crucis applicatio facta hominibus (1).

19. Ex dictis apparet sacrificium crucis excludere quidem quodvis aliud sacrificium pro ulteriori solutione pretii redemptionis, veluti si pretium sacrificii crucis non fuisset

(1) Meritum est opus dignum remuneratione. Nempe merens opere se reddit dignum ut sibi vel aliis bona retribuantur. Quando ratione operis meritorii bona aliis retribuuntur, tunc dicitur *meritum illis applicari*. Proinde Deus, ratione sacrificii crucis aliquid nobis praestans, applicat nobis meritum sacrificii crucis.

sufficiens, imo superabundans ; quod expresse etiam docet S. Paulus in epist. *ad Hebraeos*. At minime excludit aliud sacrificium latreuticum et eucharisticum pro adoratione Dei et gratiarum actione, uti patet ; imo nec excludit aliud sacrificium propitiatorium quo remittatur poena temporalis peccatis deletis adhuc debita, placetur divina justitia contra nos irata, concedantur gratiae actuales et augmentum gratiae sanctificantis, atque ita magis magisque nobis applicentur merita passionis et mortis Christi. Et cum in sacrificio contineatur perfectio cultus externi, ut ex ejus definitione facile colligitur, et ideo sacrificium in omnibus religionibus habeatur, institutio sacrificii in Ecclesia permanentis post sacrificium crucis, omnino necessaria fuisse videtur.

20. Revera Christus D. ita instituit sanctissimam Eucharistiam ut esset verum et proprium sacrificium, simul instituens relativum sacerdotium ministeriale, omnibus aliis sacrificiis exclusis. Conc. Trid. de institutione hujus eucharistici sacrificii fuse loquitur in *sess. XXII*, *cap. I* ; et deinde in *can. I*, omnia reassumens, definit : « Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, A. S. ». Veritatem hujus canonis, nempe quod in Missa offeratur verum et proprium sacrificium, theologi ex Traditione et Scripturis abunde demonstrant. Nos, veritatem hujus canonis supponentes, in primis in hoc sacrificio inquirimus elementa omnibus sacrificiis communia, nempe victimam, sacerdotem, actionem sacrificam ; deinde de ejusdem valore agimus ; tandem illud comparamus cum aliis sacrificiis.

21. I. Victima quae in sacrificio eucharistico offertur est Christus D., secundum humanam naturam divinae hypostatice unitam, sub speciebus sacramentalibus. Ad rem Conc. Trid., *sess. XXII*, *cap. II* : « In divino hoc sacrificio quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit... una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa ». Species panis et vini non sunt

res quae per se offeruntur, sed per quas et sub quibus Christus offertur. Item substantia panis et vini non est res quae offertur, sed est res quae desinit ut victima divina constituatur sub speciebus panis et vini pro immolatione ; proinde pertinet ad hoc sacrificium ut terminus *a quo* desinens ; et hoc sensu intelligendi sunt Patres et Doctores, dicentes in hoc sacrificio offerri primitias Deo, offerri panem et vinum, etc. (1). Sub qua ratione formali Christus D. offeratur in sacrificio eucharistico, vide *n.* **40.**

22. Sacerdos autem est multiplex. Prae primis est Christus D., qui est simul victima et principalis offerens ministerio presbyteri. Id expresse docet Conc. Trid., verbis *n. praec.* relatis et hoc praecise modo Christus D. *sempiternum habet sacerdotium* et est *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (*I Cor., II*) (2). Deinde est Ecclesia, quae offert tum in persona Christi, quia Christus D., uti victima et uti offerens, repraesentat Ecclesiam, sicut in genere victima et sacerdos in oblatione sacrifica repraesentant societatem, tum in persona presbyteri qui est suus minister. Proinde quicumque ad Ecclesiam pertinet, quatenus est Ecclesiae membrum, offert sacrificium, et ideo est aliquo modo sacerdos : de quo sacerdotio intelligi optime potest S. Petrus in *epist. I, cap. II, v. 4 sequ.* Postea est presbyter celebrans, qui offert tum nomine Christi et Ecclesiae, ut supra dictum est, tum nomine proprio, cum character publici muneris non impediat quin ipse suam personalem intentionem adjungat. Tandem sunt fideles qui speciali modo concurrunt ad actionem sacrificii, e. g., celebranti ministrant, suppeditant stipendium, praebent necessaria, assistunt corpore et mente, aut mente tantum...,

(1) Franzelin, *l. c.*, *thes. ult.*, *coroll. 1* ; Billuart, *l. c.*, *diss. VIII, art. I, petes 2°*.

(2) Scilicet Christus D. est sacerdos in aeternum, tum *dignitate* perpetua tum *functione* sacerdotali perpetua quae est duplex : una qua in coelo interpellat pro nobis (*epist. ad Hebr., VIII. 25 sequ.*), alia, qua in terris sese continuo immolat incruente, sicut semel sese immolavit cruente in cruce. Vide Franzelin, *De verbo incarnato, thesi ult.*

quique proinde speciali modo dicuntur offerre prae aliis fidelibus (1).

23. Tandem, cum in Missa plures fiant actiones principales, uti offertorium ante consecrationem, consecratio, elatio specierum, oblatio post consecrationem in illis verbis : *Unde memores... Offerimus praeclarae...*; fractio panis et mixtio cum sanguine, communio sacerdotis et forte etiam fidelium, quaeritur quaenam ex his actionibus sit vere et proprie sacrifica, seu in quanam sacrificium eucharisticum proprie offeratur. Theologi catholici inter se non conveniunt, eorumque controversiam Conc. Trid., *l. c.*, minime solvit, definiens tantum verum et proprium sacrificium offerri *in Missa*. Praetermissis aliis improbabilibus opinionibus, actiones de quibus fieri potest quaestio cum aliquo fundamento, sunt tantum consecratio et communio sacerdotis, nonnullis putantibus sacrificium perfici sola communione sacerdotis (2), aliis sola consecratione, ita ut communio sacerdotis sit pars integrans sacrificium (3), aliis tandem consecratione et communione sacerdotis, ita ut utraque sit sacrificio essentialis, licet consecratio sit principalis (4).

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. XIII, n. 12* ; Sylvius, in *3 p., q. 83, art. 1, quaest. 6.*

(2) Pignatelli, Albertus M., Ledesma aliique apud Suarez, *in 3 p. D. Thomae, disp. LXXIV, sect. V.* Huc redit etiam alia sententia quam S. Alphonsus, *VI, n.* 305, dicit probabiliorem, quaeque retinet sacrificium consistere tum in consecratione tum in communione, quatenus consecratione adducitur et praeparatur victima, sacerdotis communione mactatur.

(3) Franzelin, *op. cit., thesi ult.* ; Suarez, *l. c.* ; Billot, *De Ecclesiae sacramentis, thesi LIV.*

(4) De Lugo, *op. cit., disp. XIX, sect. V.* Ut melius intelligatur quaestio utrum communio sacerdotis sit elementum essentiale, licet secundarium, an integrale tantum sacrificii eucharistici, exemplo sit *holocaustum, sacrificium pro peccato, hostia pacifica*, de quibus in primis capitibus Levitici. In *holocausto* victima prius occidebatur et deinde tota comburebatur. In *sacrificio pro peccato*, victima prius occidebatur et deinde una pars comburebatur, altera manducabatur a sacerdote, praeterquam quum offerebatur pro peccato totius populi, vel specialiter pro peccato sacerdotis, tunc enim tota comburebatur. In *hostia pacifica* victima prius occidebatur et deinde dividebatur in tres partes, quarum una comburebatur, altera manducabatur a sacerdote, tertia ab offerentibus. Jam vero in *holocausto* sacrificium consistebat principaliter in victimae occisione per sacerdotem, secundario in ejusdem victimae combustione, ita ut non fuisset sacrificium holocausti nec si victima combusta tantum

24. Nos putamus sacrificium eucharisticum offerri sola consecratione, et communionem sacerdotis ex utraque specie consecrata in Missa, jure divino praescriptam, esse elementum integrale tantum. Sane sacrificium eucharisticum offertur actione, quam presbyter ponit nomine et vice Christi D.; quam Christus D. posuit in ultima coena et sacri scriptores explicite enarrant (quia non est probabile eos omisisse aut implicite tantum indicavisse partem principalem,) ; quae de sui natura est repraesentativa passionis et mortis Christi. Atqui haec omnia de sola consecratione vera sunt. Accedit in ordinatione presbyterali episcopum, dum porrigit instrumenta, dicere : *Accipe potestatem offerre sacrificium, etc.*; quibus verbis indicat potestatem consecrandi : ergo appareret potestatem consecrandi esse potestatem offerendi sacrificium, et ideo consecrationem esse oblationem sacrificii. Tandem haec doctrina est conformior modo loquendi sacrae Scripturae, liturgiarum, sanctorum Patrum et Doctorum. Ita S. Gregorius Naz. *epist. 171*, *al. 240*, ad Amphilochium : « Dum peragis divina, ait, fac quod praestantius est et peccatorum molem nobis solve... O Dei cultor sanctissime, ne cunctaris et orare et legatione fungi pro nobis, quando verbo Verbum attrahis, quando incruenta sectione secas corpus et sanguinem, vocem adhibens pro gladio ». Exinde sequitur in Missa *praesanctificatorum* non offerri sacrificium eucharisticum ; imo haec Missa neque est complementum sacrificii praecedenter oblati, sed est simplex

fuisset et non prius occisa, nec si occisa tantum fuisset et non postea combusta : hinc sacrificium incipiebat occisione victimae et terminabatur ejusdem combustione, et actio sacrificata erat tum occisio, tum combustio, prima principalis, altera secundaria, utraque essentialis. Ita quidem : sed Deus potuisset res aliter constituere, scilicet ut sacrificium offerretur sola victimae occisione et deinde compleretur ejusdem victimae combustione, ita ut sola occisio victimae esset elementum essentiale sacrificii, et combustio esset elementum integrale, sine quo sacrificium haberetur utique, sed imperfectum, sicuti homo, e. g., esse nequit sine anima et corpore, sed esse potest sine pede, licet imperfecte. De facto utrum combustio partialis fuerit elementum essentiale an solum integrale in *sacrificio pro peccato* clarum non est : sed comestio victimae sive per sacerdotem, sive per offerentes in *sacrificio pro peccato* et in *hostia pacifica* videtur fuisse integralis tantum, seu simplex rei sacrificatae participatio (De Lugo, *disp. XIX, n.* 74).

communio sacerdotis celebrantis, et si Ecclesia in precibus de sacrificio loquitur, e. g.: *Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium*, etc., vox sacrificii sumitur late sensu pro sacrificio interno vel pro quovis ministerio sacro et pro ipsa hostia consecrata. Vide responsionem S. R. C. in *Resolutionis dubiorum* 8 *Martii* 1895 (n. 4009) et vota quae referuntur in collectione Gardellíniana, quaeque optime declarant qualitatem et naturam Missae *praesanctificatorum*. Verba autem quibus concilium Toletanum in *can. 11, dist. 2. De consecrat.*, in Decreto, reprehendit sacerdotes qui Missam celebrabant non communicantes: *Quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?*, intelligenda sunt de communione integrante sacrificium.

25. Sed ad essentiam sacrificii eucharistici estne necessaria utriusque speciei consecratio? Certe consecratio utriusque speciei est pure divino praescripta; sed insuper fautores nostrae opinionis conveniunt esse quoque sacrificio eucharistico essentialem. Et merito; nam distingui debet aptitudo, ut aliquid institui possit in verum et proprium sacrificium, et, supposita aptitudine, actualis institutio; non enim ideo quia aliquid aptum est ad expressionem sacrificalem supremi juris Dei, jam etiam actu est sacrificium, sed ad sacrificium requiritur insuper legitima institutio (*n. 16* in nota) et in casu nostro institutio Christi D. Jamvero Christus D. sacrificium eucharisticum instituere utique potuisset etiam sub unica specie; sed de facto instituit sub duplici, sive quia hoc modo melius repraesentatur sacrificium crucis (*n. 40*), sive quia illud voluit ad instar convivii spiritualis ad quod requiritur et cibus et potus. Igitur sacrificium eucharisticum unica tantum specie oblatum non solum esset mutilum sacrilegium, sed nec sacrificii rationem haberet ob defectum legitimae institutionis(1). His non obstantibus, S. Alphonsus, *VI, n. 306*, putat contrariam sententiam non carere probabilitate.

(1) Balthasar Palmieri, *Opus theologicum morale*, *vol. IV, n. 230*; Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXXI, sect. VI*; De Lugo, *disp. XIX, n. 103*; Franzelin, *De sacrificio, thesi XVI*.

26. Dum autem quaeritur quomodonam in utrumque specie consecratione offeratur verum et proprium sacrificium, non omnes inter se conveniunt. Varias sententias vide apud De Lugo, *l. c.*, *disp. XIX*, *sect. III*; Franzelin, *l. c.*; Ballot, *op. cit.*, *thesi LII*; nobis sufficiet duas meliores indicare, inter quas seliget lector. S. Thomas, in *3 p., q. 79, a. 7*, ait: « In quantum in hoc sacramento repraesentatur passio Christi..., habet rationem sacrificii ». Atqui in hoc sacramento repraesentatur passio Christi quatenus corpus a sanguine mystice separatur. Ergo ex eadem sacramentali separatione habet quoque rationem sacrificii. Vide etiam verba S. Gregorii Naz., relata *n. 24*. At si praecindatur a quacunque alia ratione, non satis intelligitur quomodo, ex hac sola mystica separatione, victima, id est Christus, aliquatenus destruatur in Missa, ideoque non satis intelligitur sacrificium in se (*n. 16* in nota), e. g., si per hypothesim ad verba consecratoria Christus D. fieret praesens in propria specie, etiam cum signis passionis. Hinc plures alii inter quos enumet De Lugo, *l. c.*, et Franzelin, *l. c.*, melius putant consecratione utriusque speciei offerri sacrificium, quatenus Christus D. moraliter eximuntur sub speciebus sacramentalibus (*n. 14*); repraesentari sacrificium crucis, quatenus corpus a sanguine mystice separatur et Christus D. fit praesens tamquam occisus (*n. 10*).

27. II. Modo de effectibus seu fructibus sacrificii Missae agentes, recolimus (*n. 16* in nota) quodlibet sacrificium offerri in professionem absolutae nostrae dependentiae a Deo et secumferre actum adorationis, gratiarum actionis, petitionis, satisfactionis seu expiationis. Id autem non impedit quominus ex mente institutoris vel sacerdotis aliquod sacrificium dirigi possit ad unum finem potius quam ad alios: hinc in V. T. aderant *sacrificia pro peccato* et *sacrificia pacifica*, quae erant *laudis*, *gratiarum actionis*, *petitionis*, modo uno, modo altero fine praevalente. Igitur etiam sacrificium Missae erit *latreuticum*, *eucharisticum*, *propitiatorium*, licet a presbytero celebrante possit ad unum finem dirigi potius quam ad alium. Haec contra Protestantes definivit Conc. Trid., *sess. XII*, *cap. II*, *et can. III et IV*. Effectus propitiatorius sacrificii Missae dicitur

fructus in strictiori sensu et optime subdividi potest in *impetratorium* beneficiorum sive temporalium sive spiritualium, *placatorium* divinae justitiae contra nos iratae, *satisfactorium* pro poena temporali peccatis deletis adhuc debita (1).

28. Igitur praeter actum adorationis et gratiarum actionis erga Deum, sacrificium Missae, qua impetratorium, obtinet gratias seu spirituales seu temporales, nisi obstet obex sive ex parte gratiae quae petitur, sive ex parte illius pro quo petitur (2). Qua placatorium, placat divinam justitiam contra nos iratam et ita poenas sive publicas sive privatas sive spirituales sive temporales quas Deus paratus est infligere in punitionem peccatorum et negligentiarum, avertit, nisi obex obstet ex parte illius de quo agitur (3). Tandem qua satisfactorium, remittit poenam temporalem peccatis jam deletis forte adhuc debitam, nisi obstet obex placatione prius removendus (4). Unde Conc. Trid., *l. c.*, omnia reas-

(1) Nonnulli auctores catholici, eamdem doctrinam tradentes, aiunt sacrificium Missae esse *latreuticum*, *eucharisticum*, *expiatorium*, *satisfactorium*, *impetratorium* ; alii esse *latreuticum*, *eucharisticum*, *propitiatorium*, *impetratorium*. Nos sequimur Conc. Trid., quod, *l. c.*, uno utitur *propitiatorii* vocabulo ; et revera *reddere aliquem propitium* omnia comprehendit ; sed deinde effectum propitiatorium modo indicato claritatis gratia subdividimus.

(2) Scilicet fieri optime potest ut sacrificio Missae non obtineamus omnes gratias quas petimus, sed aliquas tantum, aut minores, aut pro futuro tantum tempore, aut diversas, aut nullas. Id accidere potest tum ratione gratiae quae petitur, quia gratia illa non est vere utilis et ideo Deus illam denegat, alias vere utiles concedens, tum ratione defectus dispositionum in illo de quo agitur, cum quantitas fructus impetratorii pendeat a dispositionibus illius de quo agitur, ut tradit D. Thomas, *l. c.*, *a.* 7, *ad* 2um ; imo defectus dispositionum potest impedire concessionem cujuscumque gratiae favore illius de quo agitur, et tunc Deus intuitu sacrificii concedet gratias Ecclesiae, sacerdoti celebranti etc., sed non illi de quo agitur.

(3) Sacrificium Missae potest divinam iram ex toto placare et potest ipsam ex parte tantum moderari. Id pendet praesertim ex dispositionibus illius de quo agitur ; qui si in peccaminosa voluntate obsordescit, fortasse ira Dei non solum non sedatur, sed magis magisque exardescit, et ita fructus placatorius pro eodem penitus frustratur.

(4) Sacrificium Missae potest quidem poenam temporalem ex toto remittere, sed potest etiam ex parte tantum ; hinc praxis Ecclesiae applicandi pro anima vel pro animabus in purgatorio plures Missas. Quantitas igitur poenae temporalis remittendae determinatur a divina sapientia

sumens, docet : « Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed etiam pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite juxta Apostolorum traditionem offertur ».

29. Peccata mortalia sacrificium Missae remittit, non directe et immediate, cum infusio directa et immediata gratiae sanctificantis reservetur sacramentis quae dicuntur *mortuorum*, sed indirecte et mediate, quatenus Deus, ratione hujus sacrificii peccatoribus concedit gratias actuales, quibus ad poenitentiam disponuntur et moventur ac, posita eorum cooperatione, perveniunt. Haec est doctrina communis eamque satis clare tradit Conc. Trid. *l. c.*, docens : « Hujus oblatione placatus Dominus et *gratiam et donum poenitentiae concedens*, crimina et peccata etiam ingentia dimittit ». Ex his apparet quo sensu dici possit sacrificium Missae remittere poenam aeternam, cum remittere poenam aeternam idem sit ac remittere peccatum mortale. Etiam peccata venialia sacrificium Missae delet, probabilius, indirecte et mediate tantum, modo superius pro peccatis mortalibus indicato et ob eamdem rationem. Item eodem modo obtinet augmentum gratiae sanctificantis, quia illud causare immediate et directe proprium est sacramentorum, quae dicuntur *vivorum*. Hoc modo indirecto et mediato sacrificium Missae, etiam qua impetratorium, remissionem poenae temporalis obtinere potest, nempe impetrando gratias actuales, quibus nos movemur ad satisfactiones personales pro remissione illius poenae temporalis applicandas.

30. Ex dictis apparet remissionem peccatorum tribuendam esse sacrificio Missae, praecipue quatenus est impetratorium : at in ea sacrificium Missae etiam quatenus est pla-

et justitia ; si agitur de vivis, pendet praesertim ab eorum dispositionibus, ut docet S. Thomas, in *3 p.*, *q. 79*, *a. 5* ; si agitur de defunctis, pendet praesertim ab eorum sanctitate, dum vitam agebant. Proinde, e. g., certum minime est ditiores pro quibus offeruntur plures Missae, citius semper liberari a purgatorio, quam pauperes, quia pauperes forte habent minores poenas luendas et forte fuere in vita sanctiores (Billuart, *l. c.*). Tandem fieri potest ut remissioni poenae temporalis obstet decretum divinae indignationis nondum plene placatae et ita poena temporalis nullatenus remittatur ; quod melius infra declarabitur.

catorium, magnas partes habet vel habere potest. Nam peccata sive remissa sive praesertim non remissa, sive venialia, sive praesertim mortalia, imo etiam neglectus divinarum inspirationum saepe causa sunt ut Deus paratus sit uberiora gratiae auxilia, denegare quae alioquin dare paratus foret: quo fiet ut homo possit quidem converti seu a peccatis resurgere, sed reipsa resurrecturus non sit. Illud igitur divinae indignationis decretum obstat concessioni gratiarum opportunarum pro peccatoris conversione: proinde ut locus sit gratiarum concessioni, oportet prius illud decretum revocari seu Deum plene placari. Porro id potissimum sacrificium Missae, praeter alia, praestat; quod deinde gratias quoque obtinet. Hinc Missae sacrificium in hac peccatorum remissione agit prius ut expiatorium seu placatorium, removendo obstaculum, deinde uti impetratorium, obtinendo gratias quae ad remissionem peccatorum terminantur (1).

31. Etiam in remissione poenae temporalis sacrificium Missae agere potest prius uti expiatorium seu placatorium ad obstaculum removendum, deinde uti satisfactorium ad remissionem poenae temporalis. Id Lehmkuhl, *l. c.*, *n. 181*, explicat de remissione poenae temporalis facienda animis fidelium defunctorum in purgatorio, sed ejus verba facile extendi possunt etiam ad remissionem poenae temporalis faciendam fidelibus justis viventibus. « Sicut enim, ait ipse, propter certa peccata Deus ex justitia moveri potest ad gratias uberiores et efficaces denegandas, ita propter certa peccata et negligentias defunctorum justitia divina id statuere potuit atque revera statuisse censenda est, ut, in poenam, suffragia vivorum, sive satisfactiones personales, sive indulgentiae, sive Missarum satisfactiones hunc et illum defunctum non possint attingere et sublevare, nisi haec ira Dei justa sedata divinaque justitia placata sit, sive per poenas ab anima defuncti toleratas sive operibus bonis a vivis ad placandum Deum exhibitis, inter quae praecipuum locum occupat sine dubio sanctissimum Missae sacrificium. Quod si ita est, nihil mirum, si aliquando multae Missae requi-

(1) Lehmkuhl, *vol. II*, *n. 171*; De Lugo, *De sacram. Euchar.*, *disp. XIX*, *sect. IX*, *n. 141*.

rantur, neque sufficiat offerre Deo indulgentias, ut anima certe e purgatorio liberetur. Nam obvoluta quasi jacet in densissimis tenebris divinae irae atque justitiae : quae tenebrae multa diuturnave *propitiatione* (1), per sacrificium Missae potissimum efficienda, prius dispellendae sunt donec tandem suffragia vivorum, indulgentiae, Missarum satisfactiones, tanquam radii pacificae lucis et tanquam ros benissimus, ad animam defuncti recreandam descendant eamque *solutione* poenarum liberare possint ».

32. Ii sunt effectus seu fructus sacrificii Missae. Quo vero melius intelligatur valor sacrificii, id est ejus dignitas apud Deum et ideo efficacia in producendis effectibus ac modus eosdem producendi, animadvertimus sacrificii valorem desumi praesertim ex persona offerentis et modo offerendi (2). Hinc sacrificium Missae, quatenus est actio Christi, est valoris simpliciter infiniti. Christus D. hoc sacrificio adorat Deum, et gratias agit et orat lato sensu, quatenus merita sua Patri offert in eum finem pro propiatione, nisi propitiatio, obstante obice, locum habere non debeat, et ita eam obtinet, quia Christus D. semper exauditur pro sua reverentia, licet Christus D., haec agens, nec mereatur, nec satisfaciat. Cum igitur sacrificium Missae, quatenus est actio Christi, effectus producat semper, saltem ex parte, absente obice, et independenter ab aliorum meritis, dicendum est illos producere ex opere operantis respectu Christi, ex opere operato respectu aliorum. Quatenus est actio Ecclesiae, est valoris finiti, qui eo major erit, quo in Ecclesia plures sunt ac sanctiores. Rursus Ecclesia hoc sacrificio adorat Deum, ei gratias agit et orat pro propitiatione, eamque obtinet, absente obice, quia etiam Ecclesia semper exauditur, licet nec Ecclesia exinde mereatur aut satisfaciat. Proinde sacrificium Missae, etiam

(1) Nempe placatione.

(2) Ex *persona offerentis* : hinc sacrificium oblatum a B. M. V. in templo et sub cruce fuit valoris finiti, licet dignitas victimae esset infinita. *Ex modo offerendi* : quia in genere cultus externus est potius Deo odiosus, nisi informetur cultu interno. *Praesertim*, quia dignitatem ipsius victimae addere dignitati sacrificii, non est dubium: in sacrificio **Missae dignitas victimae est infinita.**

quatenus est actio Ecclesiae, effectus producit ex opere operantis respectu Ecclesiae, ex opere operato respectu aliorum. Quatenus est actio sacerdotis celebrantis, est valoris finiti, qui pendet ab illius sanctitate et devotione. Etiam sacerdos celebrans hoc sacrificio adorat Deum, gratias ei agit et orat pro propitiatione. Si est in peccato mortali, haec omnia sunt Deo odiosa, cum ejus actio sit horribile sacrilegium. Si est in statu gratiae, sicut aliis bonis operibus, ita hoc excellentissimo opere, meretur augmentum gratiae et gloriae, satisfacit poenis peccato sive suo sive alieno debitis, placat divinam justitiam, impetrat sibi vel aliis beneficia, absente obice, et haec omnia plus minusve obtinet juxta suas dispositiones (1). Hinc sacrificium Missae, quatenus est actio sacerdotis celebrantis, effectus producit ex opere operantis. Tandem, quatenus est actio fidelium concelebrantium, est pariter valoris finiti, qui pendet non solum ab eorum dispositione, sed etiam a conjunctione cum sacerdote celebrante. Ii fideles rursus hoc sacrificio Deum adorant, gratias ei agunt et orant pro propitiatione ; quibus actibus, si in statu peccati mortalis reperiuntur, possunt impetrare, sed non possunt mereri et satisfacere, ut patet. Igitur etiam quatenus est actio fidelium concelebrantium, sacrificium Missae effectus producit ex opere operantis. His omnibus addimus etiam preces quas sacerdos celebrans recitat nomine Ecclesiae, nomine proprio et nomine fidelium concelebrantium, habere specialem vim apud Deum ob unionem cum sacrificio.

33. Si autem quaeratur quibusnam sacrificium Missae prosit, respondemus, sicuti sacrificium in genere offertur pro tota societate et toti societati prodest (*n. 16* in nota), ita sacrificium Missae offerri pro tota Ecclesia et toti Ecclesiae prodesse, quatenus pro tota Ecclesia hoc sacrificio adoratur Deus, gratiae ei aguntur et propitiatio imploratur ; imo indirecte prodesse etiam extraneis et avulsis, ut qui membra Ecclesiae sunt solum potentia et obligatione, fiant

(1) Exinde facite patet, quatenus est actio sacerdotis celebrantis, Missam celebratam a sacerdote peccatore aut indevoto, esse minus efficacem, quam Missam celebratam a sacerdote justo ac devoto.

membra actu. Hinc ex offertorio et canone Missae apparet sacrificium eucharisticum offerri *pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis, pro nostra et totius mundi salute, ad utilitatem nostram totiusque Ecclesiae tuae sanctae, pro Ecclesia tua sancta catholica quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro N., antistite nostro N., et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus*. Effectus seu fructus sacrificii Missae, afficiens directe totam Ecclesiam ac singulos fideles et indirecte etiam acatholicos et infideles, sine speciali sacerdotis celebrantis intentione seu applicatione, merito dicitur *generalis* seu *universalis*.

34. Quamquam vero sacrificium in genere offeratur pro tota societate eique prosit, id tamen minime impedit, quominus a sacerdote offerri possit pro aliqua persona particulari, sive ad determinatum finem, sive pure et simpliciter, cui proinde prosit modo speciali. Haec vera sunt etiam de sacrificio eucharistico : hinc presbyter celebrans potest Missam celebrare pro aliquo, seu Missam eidem *applicare*, ut dicitur, qui exinde, praeter adorationem et gratiarum actionem nomine suo specialiter factam, specialem fructum propitiatorium obtinet. Effectus seu fructus qui ex applicatione presbyteri celebrantis provenit, appellari solet *specialis* et a nonnullis *medius* vel *ministerialis*. De Missae applicatione fuse sermo erit in *cap. IV*.

35. Tandem fieri nequit, ut, supposita sufficienti dispositione, sacrificium in genere et sacrificium eucharisticum in specie non prosit sacerdoti ratione dignae celebrationis non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato Christi et Ecclesiae. Hic fructus ex opere operato proprius celebrantium dicitur *specialissimus* vel *personalis*. Illum, servata debita proportione, percipiunt etiam fideles concelebrantes ratione suae dignae concelebrationis. Proinde presbyter celebrans et fideles concelebrantes participant de fructu universali ex opere operato, quia et pro ipsis sacrificium offertur ; insuper specialissimum ex opere operato

obtinent, quia ipsi Missam digne offerunt, et tandem habent fructum ex opere operantis. At vero fideles concelebrantes specialissimo fructu obtinere posse remissionem poenae temporalis peccatis deletis debitae, nullo satis firmo argumento probari potest; licet eam obtinere possint fructu ex opere operantis. Tandem fructus specialissimus presbyteri celebrantis et fidelium concelebrantium adeo personalis est ut incertum sit utrum aliis applicari queat necne.

36. Ex dictis apparet distinctionem triplicis fructus sacrificii eucharistici in *generalem*, *specialem*, *specialissimum*, licet quoad verba antiquior Scoto non sit, tamen rite intellectam fundari in ipsa hujus sacrificii natura et proinde quoad rem esse tam antiquam quam ipsum sacrificium (1).

37. Porro sacrificium Missae suos effectus producit quando offertur. Hinc fructus ejusdem, si momento oblationis percipi non possunt quacumque demum de causa, non manent in suspenso ut deinde percipiantur post cessationem causae impedientis, sed omnino desunt. Quoniam vero sacrificium Missae offertur consecratione utriusque speciei (*n. 26*), hinc sequitur effectus ac nominatim fructus produci, expleta calicis consecratione. Attamen fieri optime potest ut sacrificium Missae tunc obtineat gratiam concedendam futuro tempore; e.g., obtineat sanitatem infirmi non statim, sed infra mensem recuperandam.

38. III. Tandem sacrificium eucharisticum cum aliis sacrificiis breviter comparantes, dicimus in primis sacrificium eucharisticum essentialiter distingui a sacrificiis V. T., cum differat ratione victimae, ratione offerentis, ratione actionis sacrificae, ac consequenter ratione valoris. Praeterea plura ex antiquis sacrificiis fuerunt typus sacrificii eucharistici quod illis successit, eorum differentias eminenter continens, ita ut bene dicat Ecclesia in oratione Dominicae VI post Pentecosten : *Deus qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti*, etc. Ad rem De Lugo, *op. cit., disp. XIX, n. 74* : « Hic (in sacrificio eucharistico) invenimus sacrificium simile illis quae de agnis et ovibus

(1) Franzelin, *op. cit., thesi XIII ;* Suarez, *l. c., disp. LXXXIX, sect. VIII ;* De Lugo, *disp. XIX, sect. XI* ; Lehmkuhl, *vol. II, n.* 173 *sequ.*

offerebantur, cum offeratur Christus ipse, verus Dei agnus ; invenimus etiam sacrificium libamenti et immolationis simile iis quae in pane et vino fiebant ; invenimus holocaustum cum tota hostia tandem in Dei honorem consumetur ; invenimus denique sacrificium pacificum de quo non solum sacerdos, sed alii etiam participare possint ».

39. At sacrificium Missae quod quotidie in Ecclesia super altare offerimus, non differt essentialiter ab eodem sacrificio quod Christus D. primo obtulit in ultima coena, cum eadem sit victima, eadem actio sacrifica, idem sacerdos principalis, ac proinde idem valor. Haec confirmantur ex verbis Christi D. : *Hoc facite*, nempe : *Id ipsum quod ego feci, vos facite*. Differt tamen numero, ut patet, et sequentibus circumstantiis accidentalibus, scilicet in ultima coena Christus D. seipsum absque ullius ministerio obtulit, nunc ministerio presbyteri ; in ultima coena erat mortalis, nunc immortalis ; consequenter in ultima coena meritus est et satisfecit, licet, Deo et Christo D. sic volente, opus redemptionis complendum foret sacrificio crucis, nunc non meretur nec satisfacit ; in ultima coena significabatur passio et mors futura, nunc praeterita. Praetermittimus circumstantias loci, temporis, personarum, etc.

40. Sacrificium eucharisticum est imago sacrificii crucis, et ideo dicitur et est essentialiter *sacrificium relativum*, quia est verum et proprie dictum sacrificium in se et simul repraesentat sacrificium crucis. Id docet Conc. Trid. verbis relatis *n. 21*, et clare indicat Christus D. in verbis institutionis Eucharistiae (*n. 2, 3*). Revera (1) non solum eadem numero est victima idemque sacerdos principalis ideoque (*n. 32*) idem valor, sed insuper consecratione panis, vi verborum, corpus tantum ponitur sub specie panis, et consecratione vini, vi verborum, sanguis tantum ponitur sub specie vini, et ita mystice separatur sanguis a corpore, sicut in cruce fuit separatus reipsa, et Christus D. fit praesens sub speciebus sacramentalibus *tamquam occisus*, prouti S. Joannes in *Apocalypsi*, *IV*, *6*, vidit in coelo

(1) Franzelin, *op. cit.*, *thesi XV* ; Billuart, *De almo Euchar. sacram.*, *disp. III*, *art. V* ; S. Alphonsus, *VI*, *n. 306*.

agnum stantem tamquam occisum. Et quoniam communione sacerdotis repraesentatur sepultura Christi D., hinc sacrificium eucharisticum completum exhibet mysterium nostrae redemptionis a passione ad sepulturam Christi D., nempe passionem et mortem consecratione distincta specierum sub quibus Christus D. fit praesens tanquam occisus, sepulturam communione sacerdotis.

41. Quamquam vero sacrificium Missae sit imago ac repraesentatio sacrificii crucis, tamen inter utrumque sacrificium plures sunt differentiae, quarum praecipuae sequentes recenseri possunt: 1° Ratio offerrendi est diversa, ut docet Conc. Trid., *l. c.*, et quidem specie diversa, cum in sacrificio crucis Christus D. seipsum obtulerit cruente, libere admittens passionem et mortem quam alii impie intulerunt, in sacrificio eucharistico sese offerat incruente et mystice. Utrum vero haec differentia specifica in actione sacrifica secumferat differentiam non solum numericam (quae est evidens) sed specificam sacrificiorum, doctores catholici inter se non conveniunt. Negant Billuart, *l. c.*, *disp. VIII*, *art. 11*; Franzelin, *op. cit.*, *thesi ult.*, *coroll. 3*, circa finem; Hurter, *De Euchar.*, *n. 513*, aliique, quia differentia specifica sacrificiorum desumitur ex victima et principali offerente; affirmat verius Suarez, in *3 p. D. Thomae*, *disp. LXXVI*, *sect. I*, *n. 4 sequ.*, quia actio sacrifica, utpote sacrificii forma, specificat sacrificia. 2° In sacrificio crucis Christus D., passibilis, mortalis, seipsum offerens absque ullius ministerio, pretium solvit nostrae redemptionis; in sacrificio eucharistico, impassibilis, immortalis, seipsum offerens ministerio presbyteri, pretium redemptionis applicat. Ad rem Conc. Trid., *cit. sess. XXII*, *cap. II*: « Cujus quidem oblationis, cruentae inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur: tantum abest ut illi per hanc quovis modo derogetur ». 3° Sacrificium crucis fuit prototypon et absolutum, sacrificium eucharisticum est ectypon et relativum.

42. Tandem sacrificia Missae inter se comparata sunt idem sacrificium *specie*, cum idem sit sacerdos principalis, eadem victima eademque specie actio sacrifica, sed distincta sunt *numero*.

§ 3. — *Sanctissima Eucharistia est verum sacramentum.*

43. Sanctissima Eucharistia, habens rationem veri sacrificii in ordine ad Deum quem honorat, ut supra explicatum est, habet una simul rationem veri sacramenti in ordine ad homines quos sanctificat : quod modo est breviter declarandum.

44. Quando dicitur *Eucharistiae sacramentum*, intelligi solet sacramentum permanens quod habetur, expleta consecratione saltem unius speciei. Sane mysterium eucharisticum post consecrationem esse verum et proprie dictum sacramentum est evidens, quia sacramentum est signum sensibile et practicum gratiae, seu est aliquid sensibile significans et producens gratiam, quando applicatur subjecto non ponenti obicem : atqui in casu est aliquid sensibile, nempe species sacramentales, significans spiritualem nutritionem per gratiam, eamdemque producens quando in sancta communione applicatur subjecto non ponenti obicem. Ceterum haec veritas est de fide ex *cap. I. De sanctissima Trinitate et Fide Catholica*, ex Conc. Trid., *sess. VII, can. I.* et *sess. XIII* per totam, etc. Consecratio autem est actio qua efficitur ipsum permanens sacramentum et dici potest *sacramentum in fieri.*

45. Bellarminus, *De sacram. eucharist., lib. IV, cap. XXII*, cum aliis, putat, unica tantum specie consecrata, haberi integrum sacramentum, quod negat De Lugo, *disp. II, sect. I*, cum aliis. Hic dissensus est potius in modo loquendi quam in re. Nam certum est, unica tantum specie consecrata, haberi sacramentum *verum*, quia est aliquid sensibile significans et producens spiritualem nutritionem, licet haec nutritio sit ex solo corpore aut ex solo sanguine ; sacramentum *integrum*, quia nil deest, licet minus proprie dici posset integrum convivium, quod constat ex potu simul et cibo ; tandem sacramentum *unum*, ut patet. Pariter certum est, utraque specie consecrata, haberi sacramentum *verum* et *integrum*, quod nemo negat, et sacramentum

unum. Nam licet species panis physice differant a speciebus vini, tamen utraeque significant nutritionem spiritualem (unam scilicet, ex corpore et sanguine, et ideo utraque simul est unum signum, quia signum specificatur a suo termino, ita ut sit unum signum illud quod unam rem significat, licet ex diversis partibus materialiter componatur, ac proinde unum sacramentum. Igitur est verum, integrum unumque sacramentum, sive unica species consecrata sive utraque, et ita primum, in quantum ad alterum concurrit, dici potest sacramentum *partiale*; alterum, in quantum ex duabus speciebus consecratis resultat, sacramentum *totale*.

46. Ut vero sacramenti eucharistici naturam melius habeamus perspectam, videamus quaenam sint illius elementa essentialia. Eugenius IV in instructione ad Armenos docet: « Tertium est Eucharistiae sacramentum cujus materia est panis triticeus et vinum de vite... Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris quibus hoc conficit sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum ». Haec autem optime intelligi possunt et debent de sacramento Eucharistiae in fieri, id est de consecratione, ita ut sensus sit panem et vinum esse materiam *ex qua*, verba consecratoria esse formam *qua*, ministrum esse sacerdotem celebrantem qui illa verba Salvatoris pronuntians in persona Christi cum debita intentione per transsubstantiationem efficit permanens eucharisticum sacramentum.

47. Quod attinet ad hoc sacramentum eucharisticum permanens, omnes quidem admittunt species sacramentales et Christum D. ad essentiam hujus sacramenti pertinere. Unde S. Augustinus vel potius Lanfrancus, *De corpore et sanguine Domini*, contra Berengarium, *cap.* X, relatus in *can. 48, dist. 2, De consecr.*, in Decreto, docet hoc sacramentum duobus constare, visibili scilicet elementorum specie et invisibili carne et sanguine Christi. At deinde omnes minime conveniunt utrum species sacramenti essentiam ingrediantur in recto et Christus D. in obliquo, an vice versa; aliis verbis utrum sacramentum sint species continentes Christum

D. (1), an potius Christus D. contentus sub speciebus (2). Communis loquendi usus aliquando species sacramentales ponit in recto, e. g., cum Conc. Trid., *sess. XIII*, passim repetit *in hoc sacramento contineri corpus et sanguinem Christi*; aliquando in obliquo, e. g., cum Patres dicunt *hoc sacramentum esse corpus Christi, carnem Christi*, etc. Et merito; nam si sacramentum Eucharistiae consideretur ut *signum sensibile*, species sacramentales potius veniunt in recto et Christus D. in obliquo, quia species sunt sensibiles et per illas totum sacramentum constituitur sensibile. E contrario si sacramentum Eucharistiae spectetur uti *causa efficax gratiae*, Christus D. venit in recto, et species in obliquo, quia causa efficax gratiae est corpus et sanguis Christi in statu sacramentali (3).

48. Exinde explicatur Innocentius III in *cap. 6, De celebratione Missarum*, ubi ait: « Distinguendum est subtiliter inter tria quae sunt in hoc sacramento discreta, videlicet formam sensibilem, veritatem corporis et virtutem spiritualem. Forma est panis et vini; veritas carnis et sanguinis; virtus unitatis et charitatis. Primum est sacramentum et non res; secundum est sacramentum et res; tertium est res et non sacramentum. Sed primum est sacramentum geminae rei; secundum est sacramentum unius, et alterius res existit; tertium est res gemini sacramenti ». Nimirum, juxta Innocentium III, in sacramento Eucharistiae species significant tum corpus et sanguinem Christi tum unitatem et charitatem; corpus et sanguis Christi significatur per species et significat unitatem et charitatem; tandem unitas et charitas significantur tum per species, tum per corpus et sanguinem Christi, et nil significant. Proinde Innocentius III sacramentum sumit formaliter quatenus est signum sensibile rei sacrae; et tunc jam diximus species venire in recto. At exinde non sequitur numquam in sacramento Eucharis-

(1) Billuart, *op. cit., diss. II, art. I, § 2*, cum communiori inter Thomistas; *Catechismus Romanus, l. c., n. 8.*

(2) De Lugo, *De sacram. Euch., disp. I, sect. III*; Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum morale, sectio IV, De ven. Euch. sacram., n. 3, sequ.*

(3) Franzelin, *De sacram., thesi XIII.*

tiae Christum D. in recto poni posse et species in obliquo.

49. Sumptio autem Eucharistiae, id est sancta communio, non pertinet ad essentiam sacramenti, sed est conditio necessaria ut sacramentum de facto gratiam conferat. Sicut enim cibus corporalis, licet ad usum ordinatus, est verus cibus, habens in se vim completam nutriendi ante sumptionem, sumptio autem est tantum conditio requisita ut de facto nutriat, ita sacramentum Eucharistiae, licet ordinatum ad usum, est verus cibus spiritualis animae, habens in se vim completam nutriendi ante communionem, cum contineat corpus et sanguinem Christi, ideoque est verum et completum sacramentum; communio autem est tantum applicatio sacramenti et conditio requisita ut de facto nutriat. Hinc dicimus Eucharistiae sacramentum in ecclesia asservari, exponi adorationi fidelium, a fidelibus recipi, etc.

50. Tandem verba consecratoria probabilius sunt potius causa efficiens sacramentum eucharisticum permanens, ut supra dictum est, quam elementum constitutivum ejusdem. Nonnulli dicunt verba consecratoria moraliter permanere in speciebus *consecratis*, ad eum modum quo ritus consecrationis permanenter afficit ecclesiam consecratam et verba benedictionis aquam benedictam. Sed hic est lusus verborum; nam reipsa verba consecratoria volant, et remanet effectus verborum, id est species sensibiles et sub eisdem corpus et sanguis Christi, ac nil aliud.

51. Non omnes aeque conveniunt utrum unum numero an plura habeantur sacramenta in pluribus hostiis consecratis, sive in eodem sacrificio, sive in diversis, sive in eodem tabernaculo et ciborio, sive in diversis consecratae fuerint et serventur. Etiam hic dissensus est potius in modo concipiendi, quam in re. Certe Christus D. idem numero in omnibus est: hinc si in definitione sacramenti Eucharistiae Christus D. ponatur in recto (*n.* 47), statim sequitur unum numero esse ubique terrarum sacramentum. Certe species sacramentales unius hostiae aut partis hostiae sunt numero distinctae a speciebus sacramentalibus alterius hostiae aut alterius partis hostiae; unde si in definitione sacramenti Eucharistiae species sacramentales ponantur in recto, sequi

videretur tot esse numero sacramenta quot sunt hostiae consecratae aut partes hostiarum. Cum vero sensus communis christianus non admittat, e. g., plura esse sacramenta in tabernaculo aut ciborio ubi plures servantur hostiae consecratae, aut sacerdotem qui plures hostias consecratas sumit, plura recipere sacramenta, etc., hinc fautores pluralitatis sacramentorum dicunt in casu esse unum sacramentum, si unitas moralis verificetur, uti in mox citatis exemplis, aliisque similibus ; esse plura sacramenta, si haec unitas moralis desit, e. g., si plures hostiae consecratae in diversis tabernaculis et multo magis si in diversis ecclesiis serventur. In casu autem quo ex eodem ciborio plures communicant, ii auctores censent plura esse sacramenta, quia plures sunt refectiones, licet mensa eadem videatur.

52. Ad effectum eucharistici sacramenti quod attinet, animadvertimus, recepto in sancta communione Eucharistiae sacramento, Christum D. sub speciebus sacramentalibus in nobis corporaliter manere. Haec autem praesentia et unio sacramentalis et veluti materialis non est effectus sacramenti Eucharistiae, sed potius ejusdem ad subjectum applicatio, quae est necessaria ut sacramentum suum pariat effectum. Posita igitur sancta communione, et absente obice, sacramentum Eucharistiae, cum sit sacramentum, confert ex opere operato gratiam quam significat, aliosque pretiosissimos producit effectus, quos tamen nos opportunius breviter exponemus in *cap. ult.*, agentes de sancta communione.

53. Ex dictis apparet differentia inter rationem sacrificii et rationem sacramenti in sanctissima Eucharistia. Nam sacrificium eucharisticum significat supremam excellentiam Dei et absolutam dependentiam nostram ; sacramentum nutritionem spiritualem per gratiam quam confert. Sacrificium immediate tendit in Dei cultum, et propitium reddit Deum, gratiam nonnisi indirecte conferens ; sacramentum immediate tendit in nostram sanctificationem, nobis gratiam directe confert, alia bona nonnisi indirecte nobis procurans. Sacrificium agit ex opere operantis, spectata actione sacerdotis ; sacramentum ex opere operato. Sacrificium proba-

bilius non existit nisi consecratione utriusque speciei et non amplius existit post communionem sacerdotis; sacramentum existit consecratione unius tantum speciei et permanet post communionem sacerdotis, ita ut in Missa post consecrationem panis sit sacramentum tantum et non sacrificium, post consecrationem panis et vini sit sacramentum simul et sacrificium, post communionem sacerdotis rursus sit sacramentum tantum, si hostiae consecratae reservantur. Quamquam igitur sacramentum Eucharistiae licite effici nequeat nisi in oblatione sacrificii eucharistici, tamen existit ante sacrificium et permanere potest, eodem expleto. Ceterum sacrificium est actio perfectior et sanctior quam usus sacramenti seu sancta communio; eo vel magis quod sacrificium integrum et sanctam communionem includat (1).

54. Pariter ex dictis consequitur hoc sacramentum comparatum cum aliis sacramentis esse omnium excellentissimum, praescindendo etiam a sua ratione sacrificii, ita ut merito S. Dionysius, *De eccl. hier.*, *cap. III*, illud appellet *sacramentum sacramentorum*. Nam ut ait D. Thomas, in *3 p.*, *q. 65*, *a. 3*: « In sacramento Eucharistiae continetur ipse Christus substantialiter, in aliis autem sacramentis continetur quaedam virtus instrumentalis participata a Christo; semper autem quod est per essentiam potius est eo quod est per participationem ». Et Conc. Trid., *sess. XIII*, *cap. III*: « Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum ceteris sacramentis, symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem. Verum illud in ea excellens et singulare reperitur quod reliqua sacramenta tum primum sanctificandi vim habent cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est ».

(1) Suarez, in *3 p. D. Thomae*, *disp. LXXVI*, *n. 3*.

SCHOLION

DE JURE LITURGICO

55. Hucusque indicavimus veritates dogmaticas de sanctissima Eucharistia.

Ecclesia usque a primis temporibus circa hoc divinissimum amoris mysterium plura constituit ut debita decentia et majori fidelium utilitate sanctissima Eucharistia conficeretur, servaretur, distribueretur, sumeretur. Ad rem Conc. Trid., *sess. XXII, cap. IV* : « Et cum sancta sancte administrari conveniat sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia catholica ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum canonem multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum ut nil in eo contineatur quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat mentesque offerentium in Deum erigat ; is enim constat cum ex ipsis Domini verbis tum ex apostolorum traditionibus ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus ». Et rursus in *cap. V* : « Cumque natura hominum ea sit ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione ; quo et majestas tanti sacrificii commendaretur et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur ».

Omnes hujusmodi leges ab Ecclesia latas relate ad sanctissimam Eucharistiam obligare in conscientia, per se patet, nisi de aliqua probetur esse potius consilium ; et obligant sub gravi, licet admittant parvitatem materiae ; de qua re suis locis. Hinc Conc. Trid., *l. c., can. VII* : « Si quis dixerit caeremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur,

irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis, A. S.». Et in *can. IX* : « Si quis dixerit Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut Missam tantum vulgari sermone celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo eo quod sit contra Christi institutionem, A. S. ». Et in genere in *sess. VII*, *can. XIII* : « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a ministris pro libito omitti aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, A. S. ».

56. Jamvero complexus harum legum ab Ecclesia latarum circa sanctissimam Eucharistiam constituit *jus liturgicum* in sensu stricto. Nam *liturgia*, sensu lato grammaticali, a Graecis vocibus λειτον ἔργον, significat publicum munus seu ministerium, et nominatim cultum publicum ; hinc *liturgia* vel *jus liturgicum*, sensu lato grammaticali, significat complexum legum quae cultum publicum determinant, aut scientiam harum legum. At ab ipsis Ecclesiae nascentis incunabulis consuetudo invaluit apud christianos, ut *liturgia* vel *sacra* aut *mystica liturgia* significaret in sensu stricto unam sanctissimam Eucharistiam in omnibus suis partibus sive juris divini sive juris ecclesiastici (1) : hinc *liturgia* vel *jus liturgicum* sensu stricto indicat complexum legum ab Ecclesia latarum circa sanctissimam Eucharistiam vel harum legum scientiam.

57. Jus liturgicum eucharisticum in primis continetur in sequentibus libris liturgicis, quos Ecclesia probavit et imposuit, praeter documenta ex quibus leges, in libros liturgicos relatae, desumptae sunt ; nempe in *Missali*, *Pontificali*, *Caeremoniali episcoporum*, *Rituali*, *Martyrologio Romano*. Missale est tantum pro celebratione Missae ; in Pontificali, Caeremoniali episcoporum ac Rituali agitur de sanctissima Eucharistia vel de rebus quae ad ipsam referuntur, sed agitur etiam de rebus extraneis ; tandem Martyrologium Romanum indicat Missam ac officium diei.

(1) Merati ad Gavanti, *p. I, pag. 7.*

58. *Missale* dicitur a *Missa*, quia continet caeremonias et ritus sacrificii Missae. Ut explicemus originem et auctoritatem Missalis quo nunc utimur, in primis duo animadvertimus. Primum est antiqua Missalia in Occidente appellata fuisse *sacramentalia*, *sacramentaria*, *libros sacramentorum*, aut *mysteriorum*, dum in Oriente Missale dicebatur et dicitur *euchologium*. Alterum est plures fuisse liturgias in Occidente ac in Oriente diversis Missalibus contentas. Potestas enim primatialis non constituit ab initio unicam liturgiam pro universa Ecclesia ; hinc plures introductae sunt, integra etiam Episcopis potestate easdem immutandi. In Occidente fuit liturgia *Romana*, *Gallicana*, *Ambrosiana*, *Mozarabica* seu *Gothica* : sed duae primae praesertim Ecclesiam Occidentalem sibi diviserant (1). In Oriente fuerunt liturgia S. Jacobi seu Hierosolymitana, liturgia S. Marci seu Alexandrina, liturgia S. Basilii, liturgia S. Joannis Chrysostomi seu Constantinopolitana seu Graecorum, liturgia Armenorum, liturgia Maronitarum, etc.

Ex hac liturgiae varietate ac episcoporum libertate eamdem immutandi multiplicia ac gravia erant incommoda. Hinc ex una parte Romani Pontifices liturgias Graecorum, Armenorum et Maronitarum in Oriente integras custodiri voluerunt, postquam libri quibus continentur fuerunt a Sede Apostolica revisi ac emendati ; ex alia vero parte non semel institerunt pro introducenda liturgiae uniformitate in Ecclesia Occidentali (2). Tandem S. Pius V, votis Ecclesiae obsequens, reformavit in primis Breviarium, deinde Missale, sequentibus temporibus rursus emendatum et publicatum a Clemente VIII, et Urbano VIII. S. Pius V per const. *Quo primum tempore*, an. 1570, quae legitur initio Missalis, praecepit hoc Missale in Missae celebratione servandum esse in tota Ecclesia Occidentali ; sed expresse excipit a lege communi Ecclesias, Ordines ac Monasteria quae ab institutione approbata a S. Sede vel a consuetudine ducentorum annorum Missale pro-

(1) Vide in nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione*, Allegatum V, ubi citantur *sacramentaria* vel *missalia* quae unam aliamve liturgiam exhibent.

(2) Icard, *Praelectiones, etc., n. 529.*

prium haberent, facta tamen eis facultate Missale Romanum adoptandi. Exinde plures ordines Religiosi, e. g., Carthusiani, Dominicani, Benedictini, Carmelitae, etc., plures Ecclesiae, e. g., Mediolanensis, Toletana et aliae Hispaniarum, Parisiensis et aliae plures Galliarum suum retinuerunt Missale. Sed deinde Ecclesiae Galliarum antiquas liturgias plus minusve substantialiter immutaverunt, propria episcoporum auctoritate ; hinc privilegio Piano amplius uti non valuerunt, et hoc saeculo liturgiam Romanae Ecclesiae cum Missali Romano receperunt. Sola autem Ecclesia Lugdunensis primaevam liturgiam, una cum proprio Missali, pluribus tamen ad antiquitatis fidem correctis, servavit et servat.

De nonnullis modificationibus faciendis in nova Missalis editione, vide responsiones S.R.C. in *Urbis et Orbis. Missale Romanum, 27 Septembris 1860* (n. 5309). Porro ad normam Bullae Urbani VIII quae in fronte Breviarii Romani reperitur, Missale (sicuti diurnum, officia parva Beatae Mariae Virginis, officia majoris hebdomadae et alia id genus quae a Breviario Romano ortum habent sive ex parte sive ad totum) imprimi et vulgari non debet nisi praeseferat Ordinarii attestationem qua declaratur illud Missale concordare cum iis quae Romae sunt impressa ; secus est ipso facto prohibitum. Has regulas adhuc in vigore esse, declaravit S. R. C. in *Decreto Generali, 26 Aprilis 1834* (n. 4730), ubi etiam indicavit quid agendum relate ad illa Missalia quae bona fide impressa et vulgata fuerunt sine illa Ordinarii attestatione. Vide etiam ejusdem S. C. responsionem in *Brixien., 27 Febr. 1847* (n° 5066) et in *Namurcen., 16 Martii 1833* (n. 4701). Recenter vero cura S. R. C. prodiit editio *typica* Missalis Romani, cui futurae ad unguem conformes esse debent.

59. Porro Missale Romanum pluribus constat partibus. Praemissis constitutionibus Romanorum Pontificum qui Missale reformaverunt et promulgaverunt, et variis S. R. C. decretis, agitur *de anno et ejus partibus*. Deinde habentur *rubricae*. Rubricarum vocabulum indicat leges quae cultum publicum regunt ; et ideo hoc nomine appellatae sunt quia antiqui terra rubri coloris titulos et inscriptiones le-

gum, praeter alia, notare solebant; unde illud Juvenalis *Sat. 14*: « Perlege rubras majorum leges ». Joannes Burchardus, Caeremoniarius capellae Pontificiae († *an. 1505*), leges et doctrinas receptas circa eucharisticum sacrificium collegit, quas Leo X sua auctoritate probavit et S. Pius V suo Missali praeposuit. Inter has *Rubricas Missalis* sunt in primis *Rubricae generales Missalis;* deinde *Ritus servandus in celebratione Missae*; tandem agitur *de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus*. Rubricas sequuntur preces pro praeparatione ad Missam, pro susceptione vestium sacerdotalium et pro gratiarum actione. Tunc incipit Missale proprie dictum; et primo est *Proprium de tempore*, id est Missa propria a dominica prima Adventus usque ad sabbatum sanctum inclusive; deinde *Ordo Missae*, nempe caeremoniae ac ritus servandi in cujuscumque Missae celebratione cum variis praefationibus et canone; postea continuatur *Proprium de tempore* a dominica Resurrectionis usque ad ultimam dominicam post Pentecosten; sequitur deinde *Proprium Missarum de Sanctis; Commune Sanctorum*, id est missa communis unicuique Sanctorum classi et in anniversario dedicationis ecclesiae; *Missae votivae; Orationes diversae; Missae pro defunctis* cum orationibus diversis pro defunctis; *Ordo ad faciendam aquam benedictam*; *Benedictiones diversae* sive reservatae sive non reservatae; demum *festa pro aliquibus locis*.

60. *Pontificale Romanum* continet caeremonias seu functiones Pontificibus seu episcopis reservatas. Usque ab antiquitate plures auctores et synodi regulas tradiderant ab episcopis servandas in suis functionibus propriis: inde plura ac diversa Pontificalia. Aderat etiam *Pontificale Romanum* cura et auctoritate Romanorum Pontificum compilatum; sed cum gravibus erroribus redoleret, Clemens VIII jussit ut corrigeretur, ac deinde illud promulgavit per const. *Ex quo, 10 Febr. 1596*, ab omnibus episcopis servari praecipiens. Illud rursus castigavit ac promulgavit Urbanus VIII per Breve *Quamvis alias, 17 Jun. 1644*. Demum etiam Benedictus XIV illius emendationi manum apposuit.

61. *Caeremoniale episcoporum* continet caeremonias

in ecclesiis cathedralibus et collegiatis servandas, quae proinde, ut plurimum, episcopum respiciunt aut ejus praesentiam supponunt. « Clemens VIII, ait Catalanus in suo celebri opere, *Caeremoniale episcoporum commentariis illustratum*, in principio, primus omnium dici potest qui, opera doctissimorum virorum, Caeremoniale episcoporum pro universa Ecclesia ordinavit ». Idem Pontifex illud promulgavit per const. *Cum novissimi*, *16 Jul. 1600*. Innocentius X illud rursus emendavit et suam editionem castigatam promulgavit per const. *Etsi alias*, *30 Julii 1650*. Etiam Benedictus XIII illud correxit et promulgavit per Breve *Licet alios*, *7 Mart. 1727*, et tandem etiam Benedictus XIV illud emendavit ac tertiam partem addidit, et promulgavit per const. *Quam ardenti studio*, *25 Mart. 1752*. Caeremoniale episcoporum est obligatorium pro ecclesiis cathedralibus et collegiatis, sublata quacumque contraria consuetudine, ut ex citatis pontificiis constitutionibus apparet ; exceptis tamen consuetudinibus immemorabilibus simul et laudabilibus, prout declaravit S. R. C. in *Lamacen.*, *5 Julii 1603* (n. 199) ; in *Salamantina*, *10 Jan. 1604* (n. 229) ; in *Hispaniarum*, *11 Jun. 1605* (n. 266) ; in *Salernitana*, *16 Julii 1605* (n. 270) ; in *Elboren.*, *17 Jun. 1606* (n. 318) ; in *Brundusina*, *17 Sept. 1612* (n. 444) ; in *Tornacen.*, *28 Jan. 1612* (n. 449). At etiam aliae ecclesiae servare debent rubricas Caeremonialis quae eisdem applicari possunt et non sunt exclusivae pro cathedralibus et collegiatis : id Clemens VIII, *l. c.*, insinuat et plura decreta S. R. C. expresse tradunt.

62. *Rituale Romanum* tradit ritus servandos in sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus. Etiam hac in re magna erat varietas inter diversas Ecclesias, integra episcopis potestate ritus in sua Ecclesia receptos immutandi. Paulus V sacros et sinceros Ecclesiae catholicae ritus in uno volumine comprehendit, quod sub *Ritualis Romani* nomine per const. *Apostolicae Sedis*, *17 Junii 1614*, promulgavit et omnibus Ecclesiis Occidentalibus imposuit. Deinde Benedictus XIV illud auctum et castigatum rursus promulgavit per cit. const. *Quam ardenti studio*, *27 Martii 1752*.

63. *Martyrologium Romanum* continet elogium et catalogum Sanctorum (inter quos martyres praecipui numero sunt) quorum Ecclesia Romana memoriam per annum facit. Ecclesia enim Romana a primis usque temporibus solemne habuit nomen et acta Sanctorum conservare : quod munus commissum erat *notariis* seu *protonotariis*. Gregorius XIII Martyrologium reformavit ac promulgavit per Breve *Emendato*, *14 Jan. 1584*, prohibens omnia antiquiora martyrologia ; deinde illud rursus emendaverunt ac promulgaverunt Sixtus V, Urbanus VIII, Clemens X et Benedictus XIV. Martyrologium indicat festum cujus eo die officium cum Missa fieri debet.

64. Tandem jus liturgicum eucharisticum continetur in decretis S. R. C., quae tamen ad alias quoque sacrae liturgiae partes spectant. Sixtus V instituit hanc sacram Congregationem et per const. *Immensa*, *22 Jan. 1587*, illius attributiones determinavit his verbis : « Ut veteres sacri ritus ubivis locorum, in omnibus Urbis orbisve ecclesiis diligenter observentur, caeremoniae, si obsoleverint, restituantur, si depravatae fuerint, reformentur ». Igitur S. R. C. interpretatur rubricas earumque observantiam urget : hujusmodi decreta in conscientia obligant eodem modo quo rubricae circa quas publicantur. Insuper fert novas leges liturgicas, quae eamdem auctoritatem habent ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta sit de iisdem relatio Summo Pontifici, ut Pius IX declaravit die *23 Maii 1848* ; et in genere contrariis consuetudinibus, etiam immemorialibus, derogant, sed recurrendum in casibus particularibus, ut eadem S. C. reposuit in *Angelopolitan.*, *11 Sept. 1847*, *ad 16*^{um} (n. 5102) ; et sufficit ut sint subscriptae a S. R. C. Praefecto vel Secretario, nec requiritur ut sint vel Romae vel ab episcopis in suis dioecesibus promulgatae, uti censuit eadem S. C. in *Romana*, *8 Apr. 1854*, *ad. 1*^{um} (n. 5202). Habemus collectionem authenticam decretorum S.C. editam primo a Gardellini et a Pio VII probatam decreto diei *1 Jan. 1808* his verbis : « ut in judiciis et quacumque dirimenda controversia illorum *tantummodo* decretorum auctoritas valeat quae in hac editione

permissa et approbata atque Secretarii S. R. C. manu subscripta continentur ». Tres hujus collectionis editiones factae sunt ; tertiae valde auctae (an. 1856) accesserunt pro posterioribus decretis appendices quae eamdem auctoritatem habent ; nobis autem compertum est S. R. C. quartam parare pleniorem editionem. Quid autem de decretis quae in Gardelliniana authentica collectione non reperiuntur ? S.R.C. in una *Urbis Sem. Gallici, 10 Dec. 1870, ad 1*^{um} (n. 5465), reposuit : « Decreta S. R. C. quae, etsi non prostent in Gardelliniana editione, constet tamen esse authentica, eamdem habent auctoritatem, quam retinent illa quae leguntur dicta editione ; dummodo haec decreta, extra editionem Gardellinianam posita, non sint opposita decretis posterioribus in eadem collectione contentis ». Id vel ex eo confirmatur quod, in ipsamet collectione Gardelliniana, S.R.C. aliquando citet decreta quae in eadem collectione non reperiuntur. Nos tertia utimur editione.

65. Jam vero jus liturgicum eucharisticum nos in hoc tractatu, juxta materiarum ordinem, Deo favente, exponimus.

CAPUT II

DE TEMPORE CELEBRATIONIS MISSARUM.

Articulus I.

Quanam die Missam celebrare liceat.

66. Si antiquam Ecclesiae hac de re disciplinam inquiramus, legimus, *Act. II, 42*, fideles fuisse *perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus*. Illud *communicatione fractionis panis* clare indicat communionem eucharisticam : unde sequitur, in primis Ecclesiae nascentis incunabulis, fideles, vitam communem agentes, frequenter sanctam communionem recepisse, ac proinde Missam fuisse frequenter celebratam, quia tunc fideles extra Missam non communicabant. Deinde ipso Apostolorum aevo, soluta vita communi inter fideles, Missa certe celebrata fuit die dominico ad ejusdem sanctificationem, uti colligitur ex *Act. XX, 7* ; *I. Cor. XVI, 2* ; *Apoc. I, 1*, ubi *una sabbati* significat diem dominicum, id est primum diem post sabbatum. Etiam Plinius in epistola ad Trajanum imperatorem de Christianorum moribus refert : « Affirmabant... quod essent soliti *stato die* ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem ; *quibus peractis*, morem sibi discedendi fuisse rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium ». *Status dies* est praesertim dies dominicus ; *quibus peractis*, fideles discedebant sine dubio ad victualia sumenda, et deinde rursus coibant ad capiendum cibum promiscuum et innoxium, id est ad celebrandam *agapam* post quam vel ante quam sanctissima Eucharistia, celebrata Missa, distribuebatur (*n. 6* in nota). Item S. Justinus, in Apologia I ad Antoninum Pium, describit Christianorum conventus cum Missae celebratione et communione habitos

die solis, id est die dominico quem gentiles diem *solis* appellabant. Postea legimus Missam celebratam quoque fuisse diebus stationalibus, id est feria IV et feria VI, saltem in nonnullis Ecclesiis; item in diebus anniversariis martyrum aliisque solemnitatibus. Istae autem Missae erant *publicae*, ad quas scilicet fideles omnes convocabantur, et celebrari debebant. Documenta primorum Ecclesiae temporum non referunt his diebus aliisque Missas privatas celebratas fuisse; quarum usus brevi invaluit ita ut quilibet dies aptus esset Missarum celebrationi.

67. Haec disciplina hodie viget: nempe principium generale est Missam celebrari posse qualibet die. Hinc *Rubricae Generales Missalis* ab initio: « Missa quotidie celebratur juxta ordinem officii, etc. ». Et *can. 72, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto: « Sicut enim nulla dies excipitur qua non pro viventibus et pro quibuslibet necessitatibus Dominum deprecemur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Missarum solemnibus fundantur ». Et similiter S. Thomas, in *3 p., q. 83, a. 2*: « Quia fructu dominicae passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus, quotidie in Ecclesia regulariter sacramentum offertur ».

68. Huic autem generali principio sunt sequentes exceptiones:

1° « In Ecclesia Orientali, ait Papp-Szilagyi, *Enchiridion juris Ecclesiae Orientalis Catholicae, p. II, § 55*, tota quadragesima, praeter sabbatum et dominicum diem, item diem magnum Veneris et festum Annuntiationis B. M. V., Missa non celebratur, sed solum *praesanctificatorum*, qualem Ecclesia Latina die magno Veneris, id est feria VI majoris hebdomadae, celebrare solet. Patriarcha autem Antiochenus Graeco-Melchita petiit ab Apostolica Sede ut in praedictis quadragesimae feriis sacerdotibus suis integram liturgiam celebrandi facultatem concederet. Sed Benedictus XIV hanc petitionem rejecit mandavitque his de rebus veteres Ecclesiae Graecae rubricas servari earumque executionem sacerdotibus inculcari ». Cum vero Missa *praesanctificatorum* sit simplex communio sacerdotis et non vera Missa seu cu-

charisticum sacrificium (*n. 24*), sequitur in Ecclesia Orientali toto quadragesimae tempore veram Missam celebrari non posse, nisi die sabbato et dominico cujuslibet hebdomadae, ex *can. 49* concilii Laodiceni (an. circ. 363) et ex *can. 52* concilii Trullani (an. 692) et in festo Annuntiationis B. M. V. ex concilio Trullano, *l. c.* Feria autem VI majoris hebdomadae apud Graecos nec Missa *praesanctificatorum* celebratur; et hoc sensu relata auctoris verba sunt intelligenda (1).

69. 2° In Ecclesia Occidentali ritus Ambrosianus Missae celebrationem non permittit feriis sextis a prima dominica quadragesimae usque ad Pascha: imo in feria VI majoris hebdomadae nec celebratur Missa *praesanctificatorum*. Haec disciplina est antiquissima in Ecclesia Mediolanensi; ab initio simplex usus erat non celebrandi iis diebus, cui deinde positiva accessit prohibitio. At si in aliqua feria VI, praeter feriam VI majoris hebdomadae, occurrit festum de praecepto, e. g. festum Annuntiationis B. M. V., Archiepiscopus Missae celebrationem permittere potest et solet, ut fidelium pietati ac devotioni morem gerat.

70. 3° Tandem in Ecclesia Occidentali ritus noster Latinus celebrationi Missarum restrictionem ponit pro tribus ultimis diebus majoris hebdomadae. At magna est hac de re inter feriam V, feriam VI et sabbatum sanctum differentia. Unde de singulis his tribus diebus fusius agendum est.

71. *a*) Feria V majoris hebdomadae habet utique Missam, ideoque non est dies *aliturgicus*, uti aiunt; imo olim hac die tres Missae celebrabantur, prima ad reconciliandos poenitentes, altera ad sacra olea conficienda, tertia ad recolendam Eucharistiae institutionem. At praxis antiquissima est ut in hac tertia Missa solemni omnes sacerdotes, abstinentes hac die a Missae celebratione, omnesque alii

(1) De Missa *praesanctificatorum* apud Graecos vide Benedictum XIV, *De festis D. N. J. C., lib. I, cap. VII, n. 149, 150*; Le Brun, *Explication, etc., tome II, diss. VI, art. II*; Card. Bona, *Rer. Liturg., lib. I, cap. XV, n. 5*; Goar, *Euchol. Graec., pag. 295 sequ.*; Allatius, *De Missa praesanct. apud Graecos*, ad calcem operis, *De perpetuo consensu Ecclesiae Orientalis et Occidentalis*.

clerici ecclesiae addicti, sacram communionem reciperent more laicorum ; et etiam laici fideles ad sacram synaxim accederent ; de qua re alias. Exinde facile intelligitur quomodo introducta sit disciplina hodie vigens, qua feria V majoris hebdomadae celebratur Missa solemnis seu conventualis et prohibentur Missae privatae.

72. Missa solemnis seu conventualis celebratur in omnibus ecclesiis cathedralibus, collegiatis, parochialibus et regularibus publicis cum SSmo Sacramento, etsi regulares non teneantur ad chorum et ad Missas stricte conventuales. Celebrari autem debet una cum sequentibus functionibus juxta formam Missalis Romani, vel saltem juxta formam parvi Ritualis Benedicti XIII. Cum enim multae parochiae, praesertim rurales, ministris et paramentis carerent necessariis ad Missalis Romani formam in his functionibus servandam, Benedictus XIII, parocciis pauperibus et ruralibus consulere volens, edidit parvum Rituale quo solemnitates simpliciores praescribuntur. Proinde in functionibus ultimarum trium dierum majoris hebdomadae solemnitates Missalis Romani servandae sunt ; in parochiis pauperibus et ruralibus quae in praedicto necessitatis casu reperiuntur, parochus potest et debet solemnitates parvi Ritualis Benedicti XIII adhibere ; in aliis autem ecclesiis non parochialibus et oratoriis regularium, fratrum religiosorum et monialium seu foeminarum religiosarum, non licet adhibere parvum Rituale Benedicti XIII, nisi ex concessione S. Sedis, ut reposuit S. R. C. in *Goritien., 4 Sept. 1875* (n. 5624) et in *Mechlinien., 16 Martii 1876* (n. 5652); qua concessione deficiente, si solemnitates Missalis servari nequeunt, functiones majoris hebdomadae praetermitti debent, de qua re in *Tuden., 23 Maii 1846, ad 1um* (n. 5050). Missa feria V celebrata etiam cum cantu, sed sine functionibus juxta formam parvi Ritualis Benedicti XIII, habetur uti Missa privata et prohibita.

73. Ex dictis sequitur non posse feria V Missam solemnem seu conventualem celebrari in illis ecclesiis in quibus non asservatur SSmum Sacramentum, ut declaravit S. R. C. in *Neapolitana, 14 Junii 1659* (n. 1990). Item nec posse

celebrari Missam solemnem seu conventualem in ecclesia, nisi piissima sepulcri caeremonia simul in eadem servetur, ut eadem S. C. reposuit in *Urbis, 28 Martii 1775, ad 17um* (n. 4378), quia haec caeremonia tum in Missali Romano tum in parvo Rituali Benedicti XIII praescribitur, et ideo Missa sine ipsa celebrata est Missa privata hac die prohibita. In *Bellunen. et Feltren. celebrationis functionum majoris hebdomadae, 1 Febr. 1895*, proposito dubio : « 2° An feria V in coena Domini liceat Missam canere cum alterius hostiae delatione ad sacellum (vulgo *sepulcrum*), quamvis die sequenti ea in ecclesia Missa *praesanctificatorum* non celebretur, eamdem hostiam a *sepulcro* in sacrarium sub vesperam privatim deferendo », eadem S. C. reposuit : « Ad 2um : Negative ». In *Hispalen., 20 Dec. 1692* (n. 3297) et *6 Martii 1702* (n. 3627), eadem S. C. declaravit non posse confraternitatem celebrare facere Missam solemnem cum subsequenti caeremonia *sepulcri* in propria capella, quae erat in navi laterali ecclesiae regularis in qua pariter Missa conventualis cum caeremonia *sepulcri* celebrabatur. Tandem in *Urbis et Orbis, 12 Jan. 1701, ad 8um* (n. 3670), eadem S. C. edixit Missam solemnem spectare ad parochum ; hinc nequit, saltem invito parocho aut episcopo, celebrari a capellano in ecclesia confraternitatis quae sita sit in territorio parochiae, licet a parochiali ecclesiae independens (1). Vide etiam *Senogallien., 25 Jan. 1698* (n. 3457), in qua cum episcopus capellano prohibuisset canere Missam feria V, et sabbato sancto et *sepulcrum* erigere in ecclesia confraternitatis, S. R. C. reposuit servandum esse decretum episcopi.

74. Plures dubitaverunt prohibitionem Missarum privatarum feria V majoris hebdomadae, saltem pro tota Ecclesia, non constare (2) ; sed post repetitas declarationes S. R. C. et Romanorum Pontificum quas refert S. Alphonsus, *VI, n. 349 sequ.*, et Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XIII* et

(1) Benedictus XIV, *Inst., Ecc. CV, n. 115.*

(2) De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XX, n. 14 sequ.* ; Suarez, *in 3 p. D. Thomae, disp. LXXX, sect. II* ; Croix, *lib. VI, p. II, n. 231 sequ.*

XXXVIII, et *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. III, n. 10 sequ.*, quasque nos etiam infra citabimus, haec sententia nulla gaudet probabilitate. Utrum vero sacerdos, celebrans hac die Missam privatam aut solemnem prohibitam, peccet mortaliter, an venialiter, S. R. C. in *Urbis, 28 Mart. 1775* (n. 4378) noluit definire. Nam proposito dubio : « 17° An, attentis apostolicis et S. R. C. decretis, graviter peccet sacerdos celebrans Missam privatam in feria V in coena Domini, sive etiam solemnem in illa ecclesia ubi non reponitur nec asservatur SSmum Sacramentum in aliquo altari vel alio loco decenti, vulgo dicto *il sepolcro* » ; S. C. reposuit: « Ad 17um : Non licere et sacerdos se abstineat ». Poenae jure statutae non sunt : Benedictus XIV in *cit. Inst. Ecc. XXXVIII, n. 11*, poenas graves comminatur et etiam suspensionem a divinis ; proinde clare supponit culpam esse gravem.

75. Porro Missas privatas feria V majoris hebdomadae prohiberi, est regula generalis ; quae tamen non est adeo absoluta ut numquam hac die pro fidelium commoditate Missas privatas celebrare liceat. Modo recensere debemus casus, quibus hac die celebratio Missae privatae permittitur.

76. In primis in *Tertii Ordinis S. Francisci, 30 Aug. 1839* (n. 4877), propositis dubiis : « 1° An in ecclesiis ubi functiones majoris hebdomadae fieri nequeunt, feria V in coena Domini celebrari possit Missa lecta ? 2° An si hujusmodi ecclesiae sint regularium, id liceat ut superior communicare valeat suos alumnos pro adimplemento paschalis praecepti? » S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Negative. Ad 2um : Superior celebret in privato oratorio ad ministrandam religiosis communionem, et si desit oratorium, fiat in ecclesia, januis clausis ». Per responsionem ad primum dubium, S. C. aperte declarat defectum functionum majoris hebdomadae in ecclesia non esse rationem sufficientem, ut Missa privata in eadem ecclesia celebretur : quod sane patet. Per responsionem ad alterum declarat superiorem regularem posse Missam privatam celebrare, servatis servandis, ut regulares valeant sacra communione refici, quin necessaria sit episcopi licentia.

77. Praeterea in *Ordinis Carm. Excalc. Prov. Poloniae, 27 Mart. 1773* (n. 4301), quaesitum fuit : « 9° An in feria V in coena Domini celebrari possit in ecclesia una Missa privata propter infirmos? » S.R.C. reposuit : « Ad 9um : Arbitrio episcopi ». Dubium propositum ita intelligendum esse videtur, nempe utrum liceat celebrare unam Missam privatam ut infirmi hoc solemnissimo die solatium Missae habere valeant, et in ea sacram communionem recipere. S. C. rem arbitrio episcopi remittit, quia, ut putamus, supponitur in ecclesia Missae solemnis celebratio, et ideo concessio Missae privatae gravior est, et non apparet necessitas unius Missae privatae, praeter solemnem, pro commoditate infirmorum. Sed si revera infirmi Missae solemni interesse nequeunt et desiderant Missae assistere et in ea communionem recipere, episcopus licentiam denegare non debet, imo hodie videtur in hoc casu Missam privatam celebrari posse etiam inconsulto episcopo. In hac autem Missa celebranda servandam esse responsionem S. R. C. *n. praec.* relatam minime dubitamus ; sed post celebrationem Missae conventualis januae ecclesiae nequeunt, ratione *sepulcri*, claudi, et ideo nequit Missa privata in eadem ecclesia celebrari. Ceterum evidens est posse celebrari Missam privatam sive a regulari sive a saeculari sacerdote, etiam inconsulto episcopo, ne infirmus sine viatico decumbat ; nam lex Ecclesiae, prohibens hac die Missae privatae celebrationem, non obligat profecto cum tanto incommodo.

78. Post dubium nonum de quo supra, propositum fuit in eadem causa dubium sequens : « 10° An in ecclesiis Graecorum unitorum cum ritu Latino, ubi non sunt ecclesiae ritus Latini, in feria V in coena Domini celebrari possit Missa privata loco solemnis propter parochianos ibi commorantes cum administratione communionis ob distantiam ecclesiae parochialis ». S. C. reposuit : « Ad 10um : Dilata et reformetur dubium ». Nescimus num idem dubium reformatum rursus S. C. propositum fuerit, et in casu affirmativo quaenam solutio ei data fuerit ; in collectanea enim Gardelliniana nullum hac de re vestigium.

79. Fieri potest ut feria V occurrat dies festus de prae-

cepto, e. g. Annuntiationis B. M. V. Sub die *12 Sept. 1716* (n. 3893), S. R. C. sequens tulit generale decretum : « Praeceptum audiendi Missam et abstinendi a servilibus non esse transferendum ; sed omnino servandum esse in ipsa feria V majoris hebdomadae, adeoque per Ordinarios locorum providendum ut eo die, pro civitatum et pagorum qualitate ac christifidelium in iis degentium numero, plures Missae privatae, ante celebrationem Missae conventualis, pro praecepti adimplemento, celebrandae non desint ; sed tamen propterea antiquus mos communionis cleri in Missa solemni ejus diei quo Ecclesia sanctissimae Eucharistiae sacramenti institutionem et memoriam recolit, summa religione hactenus observatus, nullo modo omittatur ». Nil prohibet quominus hae Missae pro commoditate fidelium celebrentur quoque in aliis ecclesiis et oratoriis publicis praeter ecclesiam parochialem. Officium autem Annuntiationis B. M. V. transferendum est ad feriam secundam post dominicam in Albis. Haec immutata non sunt, imo confirmata *Decreto Urbis et Orbis*, *27 Maii 1895*, quo festum Annuntiationis B. M. V. elevatum fuit ad ritum duplicem primae classis.

Si feria V occurrit festum de praecepto S. Joseph, S. C. *13 Sept. 1692* (n. 3289) simile tulit decretum, nempe : « officium transferendum esse ad alium diem juxta Rubricas Breviarii Romani et decreta ipsius Congregationis ; ceterum praeceptum audiendi Missam et vacandi ab operibus praedictis (servilibus) non esse transferendum, sed servandum esse praedicta feria V majoris hebdomadae ; adeoque per Ordinarios locorum accurate providendum etc. » (*ut supra*). Hujus decreti observantiam eadem S. C. deinde inculcavit in *Hispalen.*, *13 Sept. 1692* (n. 3295), in *Galliarum*, *10 Jan. 1693*, *ad 13um* (n. 3361) et in *Lucana*, *28 Jan. 1719* (n. 3922), in qua prohibet Missas privatas passim in ecclesiis et oratoriis celebrari, januis clausis.

Haec applicari quoque debent si feria V occurrit aliud festum de praecepto, e. g., patroni.

Quod si alicubi, uti in Galliis, festum Annuntiationis B. M. V. et S. Joseph non est de praecepto, locus non est

relatis decretis et privatas Missas celebrare non licet, ut reposuit eadem S. R. C., e. g., in *Viglevanen.*, *26 Sept. 1868* (n. 5405), quam confirmavit in *Segusien.*, *18 Aug. 1879* (n. 5792). De translatione festi Annuntiationis B. M. V. vide etiam *Ordinis Cappuccinorum Galliae*, *11 Feb. 1705*, *ad 2um* (n. 3710).

80. Diximus superius (*n. 72*) post celebrationem Missae solemnis faciendas esse sequentes functiones juxta formam Missalis Romani, aut saltem, in ecclesiis parochialibus pauperibus, juxta formam parvi Ritualis Benedicti XIII. Cum vero etiam ad hanc formam parvi Ritualis servandam requirantur ad minus tres clerici, dari potest casus quo nec ii clerici in parochia pauperiori habeantur. In hoc casu Ordinarius permittere potest parocho ut Missam lectam sine sequentibus functionibus pro populi commoditate celebrare valeat, antequam in cathedrali vel matrice conventualis incipiat. Revera in *Resolutionis dubiorum*, *28 Junii 1821* (n. 4583), ad dubium : « 4° An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam parochiis, praesertim in ruralibus, celebrandi per parochum Missam lectam feria V in coena Domini, quin peragi valeant eadem feria et sequenti ceterae ecclesiasticae functiones, praescriptae ob clericorum defectum, vel potius abolenda » ; S. R. C. reposuit : « Ad 4um : Affirmative et ad mentem. Mens est ut locorum Ordinarii, quoad paroecias in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem clerici, sacras functiones feriis V et VI, et sabbato majoris hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Rituali s. m. Benedicti XIII *an. 1725* jussu editi. Quoad alias paroecias quae clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem ut parochi (petita quotannis venia) feria V in coena Domini Missam lectam celebrare possint, prinsquam in cathedrali vel matrice conventualis incipiat. Et ad D. Secretarium cum SSmo ». Haec responsio probata fuit a Pio VII die *31 Julii* ejusdem anni. Episcopus potest hanc veniam denegare ex rationabili causa populi commoditati praevalente, e. g., si rurales parochi in Cathedralem convenire deberent ad complendum numerum presbyterorum,

diaconorum, subdiaconorum qui necessarii sunt in oleorum sacrorum confectione, quin utrumque munus ob loci distantiam vel ob aliam causam componi possit (1). Haec confirmavit eadem S. R. C. in *Bellunen. et Feltren.*, quam citavimus *n. 73*; nam proposito dubio : « 3° An liceat praedicta feria V Missam canere absque alterius hostiae consecratione et absque processione » ; reposuit : « Affirmative juxta decretum Pii Papae VII (Resol. dubior. *28 Jun. 1821*, appr. *31 Julii* eodem anno) de venia saltem episcopi ». Vide etiam *Ordinis Carmelitarum Excalceatorum*, *22 Julii 1848* (n. 5132), ubi agitur de interpretatione relati decreti. Observat autem D'Annibale, *III*, § *402*, *not. 20*, in casu veniam episcopi pluribus in locis non peti.

81. Schneider, *Manuale sacerdotum, pag. 532*, postquam retulisset praecedentem S. R. C. responsionem diei *28 Jun. 1821*, subdit : « Nomine autem *paroeciarum quae clericis destituuntur* veniunt non solum parochiales ecclesiae, sed etiam aliae minores quasi parochiales, ecclesiae filiae, quae proprio sacerdote curato gaudent, ecclesiae hospitalium, carcerum, parvorum conventuum canonice erectorum et regularium sive virorum sive sanctimonialium quae extra claustra non pergunt, dummodo tales ecclesiae proprio rectore et jure SSmum Sacramentum asservandi gaudeant ». In praxi Missa privata absque alia functione feria V celebrari solet etiam in capellis illarum monialium quae nulla lege clausurae tenentur, uti e. g. Sorores seu Filiae Charitatis, sed absque magno incommodo non possent ipsae earumque alumnae accedere ad ecclesiam publicam pro Missa conventuali audienda et sacra communione in eadem recipienda ; item in oratorio seu ecclesia sacculari, distincta ab ecclesia ubi Missa conventualis celebratur, habente proprium rectorem, sed nullatenus parochiali, si celebratio Missae privatae in eadem sit necessaria pro commoditate fidelium; item in capella seminarii, si alumni non

(1) Vide in Collectanea Gardelliniana commentarium ad relatam responsionem S. C. R.

accedunt ad aliam ecclesiam in qua Missa solemnis seu conventualis celebratur. Quanquam autem haec praxis fere ubique existat, tamen cum concessio S. R. C., quae est strictae interpretationis, non respiciat nisi ecclesias parochiales clericis destitutas, necessarium putamus ut rectores seu capellani aliarum ecclesiarum et oratoriorum de quibus supra, petant ab episcopo licentiam celebrandi Missam privatam feria V, et episcopus obtineat a Sede Apostolica indultum eamdem concedendi. Vide *Baltimoren. 1 et 7 Sept. 1838* (n. 4837) et citatas *Goritien., 4 Sept. 1875* (n. 5624) ac *Mechlinien. 16 Mart. 1876* (n. 5652).

82. In collectanea Gardelliniana in nota ad relatam responsionem S. R. C., praeter alia, haec leguntur : « Praeterea non desunt ecclesiae in quibus pro populi commoditate parochus privatim celebrat subjectaeque sibi plebi communionem ministrat, priusquam Missae conventuali initium detur. Ita in Patriarchali Lateranensi et in quibusdam aliis Urbis collegiatis ecclesiis, quamvis in eisdem solemnia omnia fiant et possit commode populus sacro interesse. Si ita est, potiore jure congruere videtur, ut id fiat in paupere rurali ecclesia etc. ». Exinde sequi videtur episcopum unius Missae privatae celebrationem posse pro populi commoditate permittere etiam in illis ecclesiis ubi solemnia omnia fiunt, dummodo Missa privata celebretur ante conventualem.

83. Tandem posse Sedem Apostolicam indulgere ut feria V privata Missa celebretur, evidens est. Hujus indulti particularis seu localis seu personalis exempla prae manibus non habemus. Episcopus, praeterquam in casibus expositis, hanc licentiam dare nequit, cum agatur de lege generali totam Ecclesiam obligante.

84. *b)* E contrario feria VI majoris hebdomadae in Ecclesia Occidentali Missam non habet et ideo dicitur et est dies *aliturgicus*. Proinde in hac die quaelibet Missa seu solemnis seu privata, juxta omnes, sub gravi prohibetur. Celebratur tantum Missa *praesanctificatorum* quae vera Missa non est, sed simplex communio sacerdotis (*n. 24*). Poenae contra celebrantem Missam feria VI in jure statutae non sunt ;

sed episcopus potest utique eas constituere (1). Praeter apostolicum indultum celebrandi Missam hac die, quod tamen dari non solet, unica est exceptio ; nempe licet Missam celebrare, ne infirmus moriatur sine viatico quod antea rondum receptum sit : quo in casu celebranda est Missa quae magis convenit, id est *Missa de passione* (2). At hic casus vix practicus erit, cum sacramentum pro infirmis in Missa feriae V reservari debeat.

85. In feria VI majoris hebdomadae nequit occurrere festum S. Joseph, quia hoc festum celebratur die decima nona Martii et Pascha nequit contingere ante diem vigesimam secundam Martii.Si vero occurrit festum Annuntiationis B. M. V., S. R. C. tulit sequens *decretum generale*, *11 Martii 1690* (n. 3204) (3) : « S. R. C. ad tollenda dubia exorta super celebratione festi SSmae Annuntiationis B. M. V. in feria VI in Parasceve vel in sabbato sancto occurrentis, declarando decretum editum *die 11 Februarii* proxime praeteriti, decrevit festum Annuntiationis in casu proposito, una cum praecepto audiendi Missam et vacandi ab operibus, in Ecclesia universali transferri debere ad feriam secundam post dominicam in Albis, etiam quocumque alio festo impeditam ; ita eadem feria praememorato festo Annuntiationis assignata et stabilita intelligatur, et in illa eo prorsus modo et forma praefatum festum,quoad officium et Missam, celebretur, quibus propria die vigesimaquinta Martii in calendario Romano appositum celebraretur, protractis ad aliam diem non impeditam, juxta rubricas Breviarii Romani, omnibus aliis festis in eadem feria occurrentibus quae non sint altioris ritus... Firmo in reliquis remanente praedicto decreto edito *die 11 Februarii*, nempe quod in sabbato sancto celebrationes Missarum privatarum omnino prohibeantur in quibuscumque ecclesiis et orato-

(1) Benedictus XIV, *Inst. Ecc., XXXVIII, n. 11.*
(2) Ballerini-Palmieri, *IV, n. 300* ; Lehmkuhl, *II, 211.*
(3) Eadem S. C., 11 *Februarii* ejusdem anni (*n. 3202*) simile prorsus tulerat decretum pro casu quo festum Annuntiationis incidit in sabbato sancto : quod decretum probatum fuit a Romano Pontifice die 12 ejusdem mensis.

riis privatis, non obstante quacumque contraria consuetudine, et unica tantum Missa conventualis una cum officio ejusdem sabbati sancti celebretur ». Decretum *diei 11* seu *12 Februarii* rursus S. R. C. confirmavit in *Macaonen.*, *Varia dubia*, *10 Maii 1895*, *ad 9um*, et in *decreto Urbis et Orbis*, *27 Maii 1895*, de quo supra, *n. 79*. Et cum in *Urbis*, *Ordinis Servorum*, *11 Junii 1701* (n. 3590) proposita fuissent sequentia dubia : « 1° An translato, ut supra, festo praedicto, intelligatur etiam translata indulgentia ecclesiis B. M. V. Annuntiatae dicatis pro die festo concessa ; 2° An in ecclesia Annuntiationis B. M. V. civitatis Florentiae et in aliis sub eodem titulo de festo praedicto translato post octavam, officium sit tamquam de titulari recitando cum octava ; 3° An eo die quo recitatur officium et celebratur Missa, die eodem festo Annuntiationis B. M. V. translato, in Missa solemni sacerdos celebrans et ministri ad symboli verba : *Et incarnatus est*, ante altare genua debeant submittere » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Supplicandum SSmo pro declaratione vel pro concessione translationis indulgentiae. Ad 2um : Negative. Ad 3um : Affirmative ».

86. Tandem si feria VI occurrit aliud festum de praecepto, e. g., patroni, officium cum Missa transfertur in aliam diem non impeditam, obligationes vero non transferuntur ; et ideo obligatio abstinendi ab operibus servilibus servatur in ipsa feria VI, obligatio autem audiendi Missam cessat, cum eo die Missa desit, nec fideles tenentur in conscientia assistere Missae *praesanctificatorum* quae vera Missa non est. Ita S. R. C. in *Monopolitana*, *20 Martii 1706* (n. 3739) ; nam : « Cum in civitate Monopolitana festum S. Francisci de Paula, quia de patrono principali, celebretur de praecepto, cumque hoc anno incidat in feriam VI in Parasceve, per Vicarium Capitularem ejusdem civitatis S. R. C. demisse supplicatum fuit declarare : An cum officio transferendum veniat etiam praeceptum audiendi sacrum ? » S. C. reposuit : « Negative ; et in feria VI in Parasceve non teneri audire sacrum ».

87. *c*) Tandem etiam in sabbato sancto hodie celebratur Missa solemnis seu conventualis in ecclesiis cathedralibus,

collegiatis, parochialibus, regularibus (*n. 72*), sed prohibentur Missae privatae. Sententia plurium prohibitionem celebrandi Missas privatas hoc die non constare, saltem pro tota Ecclesia, rejicienda prorsus est, ut patet, aliis omissis, ex decreto generali relato *n. 85*. Scriptores qui id docuerunt, vel floruerunt antequam dictum generale decretum *anni 1690* prodiret, vel illud ignoraverunt. Si quis privatim celebrare auderet, non dubitamus peccare per se graviter; sed poenae jure statutae non sunt, licet eas episcopus possit constituere. Praestat in hac prohibitione declaranda nonnihil insistere.

88. Prohibitio celebrandi Missas privatas in sabbato sancto gravior est, quam similis prohibitio pro feria V: quod ita apud collectionem Gardellinianam rite declaratur in nota ad responsionem S. R. C. die *28 Junii 1821* (*n. 80*): « Plerique ex illis qui sacerdotibus facultatem tribuunt privatim celebrandi feria V in coena Domini, putant etiam fieri idipsum posse sequenti sabbato; sed hi non animadvertunt magnum quod unam inter alteramque diem discrimen est. Siquidem feria V diebus aliturgicis non adnumeratur, imo... prae caeteris sacrificium jure postulat; sabbatum vero, ut feria VI in Parasceve, aliturgicum est, quia Ecclesia, per integrum saltem ejusdem diei civilem cursum, in solitudine et moerore versari deberet ob mortem et sepulturam D. N. J. C., veluti habetur in epistola Innocentii I ad Decentium relata in *can. sabbato* (13) *dist. 3, De consecr.* Antiqua monumenta testantur sacras functiones inchoari consuevisse ingruentibus jam tenebris; et cum essent multo longiores, praesertim ob illorum copiam qui sacro fonte erant abluendi, Missam, quae post litanias celebrabatur, mediae nocti fuisse conterminari (1). Equidem paulatim immutatus est mos per anticipationem (2). religiose tamen retentus et servatus liturgicus ordo. Quamobrem etsi nocte sacrificium non offeratur, sed circa meridiem, nihilominus infra actionem prae-

(1) Imo Missa non celebrabatur, nisi « aux premières lueurs de l'aube » ait Duchesne, *Origines, etc., cap VIII, § 4*, prope finem.

(2) Maxime ut minueretur labor jejunii naturalis servandi ante celebrationem Missae.

cipit rubrica ut ad *Communicantes* legatur *sacratissimam noctem*. Id sufficit, quin immorer in paschali praeconio praemittendo nedum prophetiis verum etiam fontis benedictioni, in quo non secus ac si nocte concubia adhuc legeretur, pluries repetitur : *Haec nox est*. Sacrificium quod noctis erat, utique modo offertur ante vel circa meridiem et quod diei superest, ob annuntiatam dominicam resurrectionem, laetitiae significationibus decoratur ; nihilominus quantum fieri potest, ne prorsus obliteretur antiquorum temporum disciplina, aequum est ut per anticipationem solemnia fiant, non item privatae Missae celebrentur. Hinc est ut, si aliquod festum ex praecepto servandum incidat in feriam V, aliquot Missae privatae ad fidelium commoditatem permittuntur, non autem si tale festum occurrat in sabbato sancto, etc. ».

89. E contrario haec prohibitio minus gravis est quam similis prohibitio in feria VI, quia licet sabbatum sanctum, juxta antiquam disciplinam, sit aliturgicum, tamen hodie, per anticipationem, Missa conventualis in eodem celebratur ; dum in feria VI nulla Missa celebrari licite potest. Hinc in feria VI nunquam permittitur Missae celebratio ; sed aliquando indulgetur celebratio Missae privatae in sabbato sancto ; ut ex dicendis patebit.

90. Antea animadvertimus, in Missa privata, quando in sabbato sancto celebratur ab episcopo ordinante in domestico sacello, omitti quae sunt ab initio, legi prophetias, praetermitti quae sequuntur, recitari litanias, ceteraque servari, prout sunt in Missali ; quando vero celebratur a simplici sacerdote, neque prophetias esse legendas quae ad baptismum et ordinationem pertinent, non vero ad Missam. Hinc proposito dubio : « 2° An in sabbato sancto Missa ab episcopo privatim celebranda in domestico sacello ratione ordinationis vel ab aliis sacerdotibus (si qui sunt qui hujusmodi privilegio gaudent, inchoanda sit a *Kyrie* vel a prophetia » ; S. C. R. in *Resolutionis dubiorum, 28 Junii 1828* (n. 4583) : « Ad 2um : Quoad episcopos, ratione ordinationis, servetur praescriptum Pontificalis et decretum S. C. diei *21 Martii 1744* in *Bergomensi*, et Missa incipiatur a prophetiis. Quoad alios, si

qui privilegio gaudent, more solito, sed sine introitu, post campanarum sonitum ». Proinde si sacerdos, Missam privatam celebraturus, litanias praemitteret, contra hoc S. C. decretum non ageret, sed melius est si a confessione Missam incipiat, omisso introitu (1).

91. Jamvero Missa privata celebrari potest ex indulto apostolico, non autem ex indulto episcopi, cum de lege generali totam Ecclesiam obligante agatur. Indultum *locale* difficile admodum conceditur. Exemplum prostat in *Toletana, 26 Apr. 1692* (n. 3723). Cum enim petita fuisset facultas celebrandi tres Missas privatas die sabbati sancti in ecclesia Patrum Praedicatorum, prout hactenus ab immemorabili observatum fuisse exponebatur, S. C. « indulgendum esse censuit, ut praedicta die sabbati sancti in posterum singulis annis, post absolutam Missam solemnem, in praefata ecclesia celebrari possint tres Missae tantum, juxta assertam antiquam et immemorabilem consuetudinem, decreto generali prohibitivo ab eadem S. C. sub die *11 Februarii 1690* edito aliisque in contrarium non obstantibus quibuscumque ». Sanctitas Sua id probavit, addens : *Dummodo tamen non transeat in exemplum*. Simile indultum pro una tantum Missa privata habes in alia *Toletana, 22 Dec. 1698* (n. 3501).

92. Adhuc difficilius conceditur indultum personale. Et cum non pauca hujusmodi indulta, transactis temporibus, concessa fuissent non sine disciplinae canonicae detrimento, hinc proposito dubio : « 3°An ad eliminandos abusus, si qui irrepserint, sit consulendum SSmo pro revocatione cujuscumque indulti celebrandi privatim eamdem Missam, firmo tamen remanente singulari privilegio aliquibus ecclesiis, peculiaribus attentis circumstantiis, concesso, unam vel alteram Missam lectam celebrandi post unicam solemnem de die » ; S. R. C. in *Resolutionis dubiorum, 28 Junii 1821* (n. 4583) reposuit : « Ad 3um : Affirmative juxta votum : Consulendum SSmo pro revocatione cujuscumque indulti celebrandi privatim in sabbato sancto, firmo tamen sin-

(1) Vide Gardellini in citatam responsionem S. R. C.

gulari privilegio aliquibus ecclesiis, peculiaribus attentis circumstantiis, concesso unam vel alteram Missam lectam celebrandi post unicam solemnem de die, prout in dubio ».

93. Si in sabbato sancto incidat festum Annuntiationis B. M. V., repetenda sunt quae diximus *n. 85* ; scilicet totum festum cum obligatione chori et fori transfertur in feriam II post dominicam in Albis, prohibita celebratione Missarum privatarum in sabbato sancto. Id. S. R. C. expresse docet etiam in *decreto generali, 11 Febr. 1690* (n. 3202), non obstante quacumque consuetudine.

94. Quid vero si in sabbato sancto incidat aliud festum de praecepto ? Plures auctores (1) idem tradunt pro sabbato sancto, ac pro feria VI, nempe officium cum Missa esse transferendum ad primam diem non impeditam ; obligationes vero abstinendi a servilibus, et audiendi Missam non transferri ; prohiberi tamen Missarum privatarum celebrationem et ideo obligatione audiendi Missam non teneri illos qui nequeunt Missae conventuali interesse. At non semel S. R. C. translationem obligationis audiendi Missam (et consequenter etiam obligationis abstinendi a servilibus) ad primam diem non impeditam, una cum translatione officii et Missae, arbitrio episcopi remisit. Ita in *Gerunden., 7 Aug. 1691* (n. 3337) ; nam « episcopus et capitulum exposuerant in dicta civitate et dioecesi quotannis celebrari de praecepto ex voto die *2 Aprilis* festum S. Francisci de Paula. Et quia anno proxime futuro 1695 praefata dies incidebat in diem sabbati sancti, supplicaverunt declarari quomodo se gerere deberent circa praeceptum audiendi Missam ». S. C. : « Translationem officii et obligationem audiendi Missam in casu proposito ad primam diem non impeditam et juxta rubricas Breviarii et Missalis Romani, arbitrio ejusdem episcopi, remittendam censuit ». Similis responsio ad similem quaestionem data fuit in *Cusentina, 5 Martii 1695* (n. 3352).

95. Missa solemnis in sabbato sancto celebrari debet

(1) Lehmkuhl, *vol. II, n. 211* ; Scavini, *tom. III, n. 319.*

cum omnibus solemnitatibus Missalis aut saltem parvi Ritualis Benedicti XIII (*n. 80*). In parochiis vero quae clericis destituuntur, episcopus, ob populi commoditatem, potestne lectae Missae celebrationem permittere, sicuti in feria V? Responsio negativa videtur desumi ex decreto S. R. C. diei *28 Junii 1821* relato cit. *n. 80*. Idem S. C. declaraverat in *Januen., 13 Julii 1697* (n. 3433). Nam proposito dubio: « An in ecclesiis tam parochialibus quam non parochialibus ubi deest numerus cantorum possit celebrari in sabbato sancto Missa privata loco solemnis, ut in iisdem ecclesiis fiat benedictio tam luminis et cerei, quam aquae, attentis maxime decretis hujus S. C. de *anno 1690, 11 Februarii*, et *11 Martii ejusdem anni* (*n. 85*) prohibentibus celebrationem Missarum privatarum, et unicam tantum Missam conventualem una cum officio ejusdem sabbati sancti celebrari praecipientibus »; S. C. reposuit: « Negative ». His non obstantibus, praxis est ut in his pauperibus parochiis parochus Missam lectam celebret. Huic praxi favet Benedictus XIV in *Inst. Ecc. XXXVIII*, *n. 11*, juxta interpretationem Gardellini in nota ad responsionem S. R. C. relatam *n. 80*. Proinde putamus hanc praxim, ubi viget, servari posse, donec a S. C. reprobetur (1). Imo in nonnullis locis permittitur ob populi commoditatem celebrari unam alteramque Missam privatam, praeter conventualem; e. g., in *Ordine divini officii* dioecesis Parisiensis in sabbato sancto legitur: « Praeter Missam cantatam, una aut altera legi poterit, si parochus eam valde utilem fidelibus habeat ».

96. Non est dubium Missam privatam in sabbato sancto celebrari posse, ne infirmus moriatur sine viatico quod nondum recepit; qui tamen casus practicus non est, ut diximus *n. 84*. Sed pro commoditate aliorum infirmorum, ut nempe assistere possint Missae sacrificio et in eo juxta consuetudinem communicare, nequit Missa privata celebrari, secus ac in feria V (*n. 76*).

(1) Lehmkuhl, *II*, *n. 211*; sed in *Molin., 22 Sept. 1857*, *ad 7um*, cui innititur, revera nil hac de re habetur.

97. Ut huic articulo finem imponamus, appendicis loco recolimus theologos inquirere quandonam Apostoli primo eucharisticum sacrificium obtulerint. Conc. Trid., *sess. XXII, can. II*, definivit Christum D. in ultima coena illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, instituisse Apostolos sacerdotes, et ordinasse ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum. Jamvero in primis omnes admittunt Apostolos triduo post mortem Domini, ante ejusdem resurrectionem, moerore pene confectos et velut oves, interfecto pastore, dispersas, sacrum non fecisse. Quid si fecissent ? Unanimi consensu respondent theologi Christum sub speciebus futurum fuisse exanimem, quia anima exsangui corpori et sparso sanguini nulla concomitantiae ratione conjuncta erat (*n. 8*) ; sed deinde non conveniunt utrum Missa, illo triduo celebrata, habuisset necne rationem sacrificii ; utrum hostiae tunc consecratae, si servatae fuissent usque ad resurrectionem, corpus Christi exanime, an animae conjunctum continuissent, etc. Sed his omissis, nonnulli putant Apostolos statim celebravisse post cognitam resurrectionem Domini, ut supremum ipsi cultum persolverent, vel ut gratias agerent pro redivivo magistro, vel ut memoriam acerbissimae ejusdem passionis recolerent, vel denique ut fideles ac seipsos singulari laetitia recrearent. E contrario melius Card. Bona, *De rebus liturg., lib. I, cap. V*, censet Apostolos primum celebravisse post Pentecosten ; et hanc affert rationem, quia lex vetus usque ad Pentecosten vim suam retinuit, cum nova satis nondum promulgata esset, et non decebat novum offerri sacrificium, sacerdotio nondum translato. Huic sententiae congruit sacrarum litterarum auctoritas, in quibus Apostoli simul in coenaculo collecti, ante adventum Paracliti, erant *perseverantes unanimiter in oratione* (*Act. I, 14*) ; et post adventum Spiritus Sancti *erant perseverantes in communicatione fractionis panis et orationibus* (*Act. II, 42*) (1).

(1) Ben. XIV, *Inst. Ecc. XXI, n. 1 sequ.*

Articulus II.

Quanam diei hora Missam celebrare liceat.

98. S. Paulus, *Act. XX*, 7, videtur sero Missam celebravisse. Deinde receptum fuit ut agapa et Missa publica celebraretur hora tertia et verba Plinii relata *n. 66* ad hanc consuetudinem alludunt; quantum saevientes persecutiones id permitterent. Postea tempus Missae publicae celebrandae secundum rationem solemnitatum diversum fuit; nempe, ut explicat Martene, *De ant. Eccl. rit., lib. I, cap. III, art. IV, n.* 3, dominicis festisque diebus *ante meridiem*; diebus jejunii *circa nonam*; in quadragesima *ad vesperam*; tandem nonnullis diebus privilegio distinctis *noctu*; nempe die Natalis Domini; sabbato sancto, de quo supra; die festo S. Joannis Baptistae, quo in aliquibus locis duae Missae celebrabantur et prima in nocte; tandem diebus collationis ordinum, idest sabbatis quatuor temporum (1). Missa autem privata quacumque hora celebrari poterat, mane scilicet, hora secunda, meridie, post dictam nonam, vespere et post completorium, prout pluribus adductis testimoniis usque ad seculum XII, probat idem Martene, *l.c., n. 10.* In saeculo XIII Angelicus in *3 p., q. 83, a.* 2, docet Missam solemnem celebrari *ab hora tertia ad nonam*, sed Missae privatae satis esse ut celebrentur *de die non de nocte*. In saeculo XIV Scotus in *4 dist. 13. q. 1*, tradit: « Ad tertium principale ex parte temporis breviter tenetur quod *a principio diei usque ad horam nonam* Missa congrue celebratur ». Istae autem restrictiones non fuerunt inductae lege scripta generali, sed potius consuetudine quae eadem non erat pro omnibus locis. Neque Conc. Trid. rem determinavit; nam *sess. XXII, De observandis et evitandis in celebratione Missae*, tantum praescribit ut

(1) Ex *peregratione Silviae ad loca sancta*, recenter edita, constat Hierosolymis saepius primam Missam noctu, post vigilias, tunc temporis, celebratam fuisse.

episcopi « edicto et poenis propositis cavcant ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent ».

99. Hodie horam Missarum celebrandarum indicant *Rubricae generales Missalis*, § *XV*: « 1° Missa privata, saltem post matutinum et laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest ». Deinde eaedem Rubricae determinant horam Missae conventualis, de qua suo loco; modo praepositam doctrinam declarare debemus.

100. Ex hac Rubrica patet sacerdotem in praesenti disciplina, postquam matutinum cum laudibus recitaverit, de qua re alias, posse Missam celebrare qualibet hora, sed *non ante auroram, nec post meridiem*. Clemens XI in conventu plurimorum Cardinalium ac Praesulum hanc rem sedulo examinandam mandavit et licet ipsis tertia pars horae ante auroram et post meridiem permitti sacerdotibus posse videretur, Pontifex tamen eorum sententiam non probavit et decretum his verbis promulgavit : « Mandamus ne Missarum sacrificia ante auroram celebrentur et usque ad meridiem solum protrahantur ». Attamen hanc tertiam horae partem deinde indulsit Benedictus XIII (1). Unde sequitur in praesenti disciplina Missam celebrari posse qualibet hora *a tertia horae parte ante auroram, ad tertiam horae partem post meridiem*. Ratio praecipua qua Ecclesia noluit Missae celebrationem horis postmeridianis permittere, haec videtur fuisse, ut scilicet consuleret valetudini sacerdotum, quae, ob jejunium naturale omnino servandum nimis longe protractum, dilaberetur. Exinde autem minime sequitur hanc legem continere favorem cui quisque sacerdos possit renuntiare, celebrans quacumque hora post meridiem, ut plures citati a S. Alphonso, *VI, n. 245* in fine, putaverunt : nam Ecclesia ob illam rationem terminos pro celebratione Missarum obligatorios constituit, ut satis patet ex dictis (2).

101. In primis dubitari potest utrum ad vigentem disciplinam servandam sufficiat Missam terminari tertia horae

(1) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XIII, n. 4.*

(2) S. Alphonsus, *l. c.*; Suarez, *in 3 p. D. Thomae, disp. LXXX, sect. 4*; Layman, *lib. V, tract. V, cap. IV, n. 3.*

parte ante auroram et inchoari tertia horae parte post meridiem : an e contrario inchoari nequeat nisi tertia horae parte ante auroram et debeat terminari tertia horae parte post meridiem. Respondemus hanc alteram legis interpretationem veram esse. Nam eam suadent particulae *a, ad*, quae indicant initium et finem. Praeterea eam expresse tradit ipse Benedictus XIII in decreto ab eodem lato die *20 Dec. 1724. n. 9.* quod legitur in *Appendice XVIII* Concilii Romani an. 1725. Hinc Benedictus XIV. *Inst. Ecc. LXVIII, n. 11.* ait : « Tertiam horae partem ante auroram *pro inchoandis Missis* exemplo Romanae Urbis, statuimus ; *absolvendas* vero jussimus cum tertia pars horae post meridiem effluxerit ». Hinc sequitur ultimam Missam esse inchoandam circa meridiem, potius paulo ante, quam paulo post.

102. Porro aurorae nomine intelligitur initium crepusculi matutini, seu initium illius claritatis quae praecedit ortum solis et terminatur ipsomet solis ortu ; sicuti crepusculum vespertinum est illa claritas quae remanet post solis occasum. Jamvero hoc crepusculum matutinum incipit diverso tempore pro diversis latitudinibus ; et in eadem latitudine incipit diverso tempore pro diversis anni partibus. Astronomorum est initium crepusculi matutini, seu auroram, determinare ; et nos pro Missae celebratione eorum determinationem sequimur.

103. In omnibus directoriis divini officii apponi solet tabella indicans auroram ; eamque nos tuto sequi possumus in Missae celebratione. Methodus scientifica simplex et clara pro determinanda aurora in variis locis et in variis anni temporibus, potest esse sequens. Supponimus notam pro diversis locis et diversis anni temporibus horam ortus solis, quae in omnibus ephemeridibus pro variis regionibus indicatur : insuper supponimus notam latitudinem loci pro quo aurora determinari debet : quae latitudo indicatur in omnibus chartis geographicis. Jam vero sequens tabella perpetua desumpta ex *Annuaire du Bureau des Longitudes*, Paris 1874, indicat pro variis latitudinibus ac variis anni temporibus durationem crepusculi matutini, cujus initium, ut supra diximus, est aurora, et finis ortus solis :

LATITUDES

DATES		0°	5°	10°	15°	20°	25°	30°	35°	40°	45°	50°	55°	60°	65°
		h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.
Janvier	1	1.16	1.16	1.16	1.18	1.20	1.23	1.27	1.32	1.39	1.48	2. 1	2.19	2.48	3.42
	16	1.15	1.15	1.15	1.17	1.19	1.21	1.25	1.30	1.37	1.46	1.58	2.14	2.39	3.22
	31	1.13	1.13	1.14	1.15	1.17	1.20	1.23	1.28	1.34	1.43	1.54	2. 9	2.30	3. 3
Février	15	1.11	1.12	1.12	1.14	1.15	1.18	1.22	1.26	1.32	1.40	1.50	2. 4	2.23	2.51
Mars	12	1.10	1.11	1.11	1.13	1.14	1.17	1.21	1.25	1.31	1.39	1.49	2. 3	2.21	2.49
	17	1.10	1.10	1.11	1.12	1.14	1.17	1.21	1.26	1.32	1.40	1.51	2. 5	2.26	2.58
Avril	1	1.10	1.10	1.11	1.13	1.15	1.18	1.22	1.27	1.34	1.43	1.55	2.13	2.41	3.35
	16	1.11	1.11	1.12	1.14	1.17	1.20	1.25	1.31	1.39	1.49	2. 5	2.30	3.22	(1)
Mai	1	1.12	1.13	1.14	1.16	1.19	1.23	1.28	1.35	1.45	1.59	2.21	3. 7	(1)	(1)
	16	1.14	1.15	1.16	1.18	1.22	1.26	1.32	1.41	1.53	2.11	2.47	(1)	(1)	(1)
	31	1.15	1.16	1.18	1.20	1.24	1.29	1.36	1.45	2. 0	2.25	3.45	(1)	(1)	(1)
Juin	15	1.16	1.17	1.19	1.21	1.25	1.31	1.38	1.48	2. 5	2.35	(1)	(1)	(1)	(1)
	30	1.16	1.17	1.19	1.21	1.25	1.30	1.38	1.48	2. 4	2.34	(1)	(1)	(1)	(1)
Juillet	15	1.15	1.16	1.18	1.20	1.24	1.28	1.35	1.45	1.59	2.23	3.25	(1)	(1)	(1)
	30	1.14	1.14	1.16	1.14	1.21	1.25	1.32	1.40	1.51	2. 9	2.41	(1)	(1)	(1)
Août	14	1.12	1.13	1.14	1.16	1.19	1.22	1.28	1.34	1.44	1.57	2.18	2.58	(1)	(1)
	29	1.11	1.11	1.12	1.18	1.17	1.20	1.24	1.30	1.38	1.49	2. 4	2.27	3.12	(1)
Septem.	13	1.10	1.10	1.11	1.13	1.15	1.18	1.22	1.27	1.34	1.43	1.55	2.12	2.38	3.26
	28	1.10	1.10	1.11	1.12	1.14	1.17	1.21	1.25	1.32	1.40	1.50	2. 5	2.25	2.56
Octobre	13	1.10	1.11	1.11	1.13	1.15	1.17	1.21	1.25	1.31	1.39	1.49	2. 3	2.21	2.48
	28	1.12	1.12	1.12	1.14	1.16	1.18	1.22	1.26	1.33	1.40	1.51	2. 5	2.24	2.52
Novem.	12	1.13	1.13	1.14	1.16	1.17	1.20	1.24	1.28	1.35	1.43	1.54	2. 9	2.31	3. 4
	27	1.15	1.15	1.15	1.17	1.19	1.22	1.26	1.30	1.37	1.46	1.58	2.15	2.40	3.24
Decem.	12	1.16	1.16	1.16	1.18	1.20	1.23	1.27	1.32	1.39	1.48	2. 1	2.19	2.48	3.44
	27	1.16	1.16	1.17	1.18	1.20	1.23	1.27	1.32	1.39	1.49	2. 1	2.20	2.49	3.47

(1) Le Soleil n'est pas abaissé de 18° au-dessous de l'horizon.

Igitur ab hora ortus solis subtrahe durationem crepusculi matutini et habebis auroram. Ita, e. g., Roma est in gradu 42° latitudinis : die decima Martii ortus solis accidit hora 6 h. 15 m. Ex tabella pro hoc tempore durationem crepusculi matutini facili computatione deducitur esse: 1 h. 34 m. Quare habebitur :

$6^h\ 15^m$: ortus solis.

$1^h\ 34^m$: duratio crepusculi matutini.

$4^h\ 41^m$: aurora.

Et revera in directorio romano divini officii pro die *8 Martii* indicatur aurora: 4 h. 45, et pro die 17 ejusdem mensis : 4 h. 30. Pro hemisphaero autem australi adduntur sex menses mensibus datis in tabella quae valet pro hemisphaero boreali.

104. Quod si neque in directorio dioecesano divini officii aurora indicatur, neque astronomica aurorae determinatio possibilis est, e. g., quia ignoramus latitudinem loci in quo sumus, nos sequi possumus regulam practicam quam S. R. C. praebuit in responsione dici *18 Sept. 1634* infra citanda ; nempe aurorae nomine intelligere possumus exordium diei civilis, moralis et usualis, in quo homines solertes diluculo ad opera surgere solent in receptis et approbatis regionum consuetudinibus ; et juxta hoc intellectum Missam possumus celebrare.

105. Meridies est momentum quo sol transit per meridianum locale ; sicut media nox est momentum quo sol transit per oppositum meridianum. Sed nos in negotiis ecclesiasticis sequi tuto possumus tempus, ut vocant, medium, et quidem tempus medium nationale, quod indicant publica horologia. Nam episcopus Trevirensis exposuit: « Ad normam legis nuperrime latae, in toto Germanico Imperio, inde ab initio mensis Aprilis anni vertentis, unum idemque tempus, absque respectu ad medium tempus aut meridianum diversarum Imperii regionum, in horis computandis observandum est, illudque referunt publica horologia. Inde fit ut intra fines hujus dioecesis computus horarum legalis spatio semihorae tempus locorum medium superet. Hinc a Sanctitate Vestra episcopus orator petit solutionem

dubii : Possuntne clerici sequi tempus legale in persolvendo officio divino, tam anticipantes privatim matutinum, quam recitantes vesperas? ». S. C. C. die *22 Julii 1893* reposuit: « Affirmative ». Item cum archiepiscopus Neapolitanus exposuisset syndicum Neapolitanum praescripsisse ut omnia Neapolitana horologia, nonnullis privatis exceptis, in indicando meridie pro regula sumerent tempus medium Romanum, ac expostulavisset utrum fideles Neapoli in servando naturali jejunio aliisque Ecclesiae obligationibus possent sequi horologia horas indicantia juxta tempus medium Romanum, an potius ea sequi deberent quae verum tempus Neapolitanum signabant, S. Poenitentiaria die *18 Junii 1873*, reposuit : « Ad 1um partem affirmative ; negative ad 2um ». Imo ratione scandali expedit omnino ut hoc tempus sequamur. Hinc S. R. C. in *Clodien., 7 Aug. 1875* (n. 5622), ad dubium : « 9° An tam pro recitatione officii divini, quam pro jejunio naturali antecommunionem praescripto, veletiam pro abstinentia a carnibus aut lacticiniis diebus jejunii, conformare se quis possit tempori dicto medio, aut juxta proprium placitum tempori vero vel medio, ita ut aliquando uni, aliquando alteri adhaereat » ; reposuit: « Ad 9um : Standum publicis horologiis ». Nihilominus S. Poenitentiaria, *29 Nov. 1882*, aperte declaravit « fideles in jejunio naturali servando et in officio divino recitando sequi tempus medium posse, sed non teneri ».

106. In regionibus septentrionalibus ultra latitudinis quinquagesimum circiter gradum crepusculum per integram noctem ab occasu solis ad ejusdem ortum tempore aestivo perdurat, ita ut aurora proprie dicta non adsit ; imo in regionibus polo nordico magis propinquis nox, dies, crepusculum perdurant singula plurium mensium spatio. Quaeritur quomodonam in his regionibus computari debeat tempus pro Missarum celebratione. Hac de re duabus vicibus S. R. C. egit.

107. In primis Theodosius de Rubeis, in mathematicis disciplinis apprime versatus, proposuit emendandam esse rubricam XV Missalis Romani, ubi dicitur Missam privatam celebrari posse ab aurora usque ad meridiem ; nam,

aiebat, rubrica hoc modo expressa non videtur aptari regionibus in quibus crepusculum perdurat per integram noctem, aut in quibus nox, dies, crepusculum sunt ad plures menses. Cardinales aliique qui hanc difficultatem de mandato Pontificis in *Missalis Romani, 18 Sept. 1634* (n. 1007), ad examen revocarunt, decreverunt, audito prius eodem Theodosio de Rubeis, nihil esse innovandum, quia « in casibus propositis quoad regiones carentes aurora, intelligitur moraliter de tempore quod aequivalet et correspondet aurorae, hoc est de exordio diei civilis, moralis et usualis in quo homines diluculo surgere solent ad opera juxta receptas et approbatas regionum consuetudines ». Facta deinde Sanctissimo peculiari relatione, Sanctitas Sua mandavit : « Nihil innovari, et solum adnotari in registro dubium excitatum, addens quod juxta casuum contingentiam dabitur responsio a Sede Apostolica ». Theodosius de Rubeis institit, sed a data responsione recessum non fuit. Et eamdem regulam practicam appplicari etiam posse pro meridie et pro media nocte, nullo modo dubitamus; nempe meridies erit tempus quo homines manducare solent, medium inter exordium et finem diei civilis, moralis et usualis ; sicuti media nox erit tempus medium inter initium et finem noctis civilis, moralis et usualis, qua homines dormire solent.

108. Recentioribus temporibus propositum fuit S. R. C. sequens dubium in *Sacrarum Missionum in Oceania, 7 Sept. 1850* (n. 5150) : « 1° An ecclesiastici viri qui regiones incolunt ultra circulum polarem positas, ubi tempore aestivo per plures hebdomadas sol numquam occidit, nec vicissim per plures hebdomadas hiemali tempore oritur, in divinis persolvendis laudibus sequi possint meridianum Romanum ». S. C., exquisito prius voto R. P. Secchi, rescripsit : « Juxta votum astronomi P. Secchi ». Jamvero hujus clarissimi astronomi votum ad hoc reducebatur, ut, retenta distributione horarum juxta Romanam methodum, determinari deberet meridies per transitum solis in meridiano locali ; quod si tempus medium sequi placeret, adjici deberet consueta aequatio temporis medii. Transitus autem solis per meridianum semper dignosci potest, tempore

aestivo per maximam ejusdem solis altitudinem, hyemali vero tempore ex majori crepusculorum claritate, vel etiam melius ex stellarum observatione ; namque nullus est locus intra circulum polarem, in quo aliquis uti non possit hoc medio ad determinandum localem meridiem. Quamquam vero dubium propositum et responsio ac votum sint *pro divinis persolvendis laudibus*, tamen applicari jure possunt etiam Missarum celebrationi. Igitur in his regionibus, pro determinando meridie, vel haec regula potest adhiberi, vel praecedens ; et si astronomi qui transitum solis per meridianum determinent, in loco desint, praecedentem regulam sequi necesse erit.

109. Ex dictis intelligitur lex canonica de hora celebrationis Missarum. Haec lex obligat sub gravi in materia gravi. Juxta communiorem sententiam materia gravis est una hora ante legitimum tempus ; materia levis est minus quam hora (1). Proinde est peccatum mortale Missam inchoare una hora ante tertiam horae partem ante auroram, aut Missam terminare una hora post tertiam horae partem post meridiem ; infra hoc tempus erit peccatum veniale. Poenae autem seu latae seu ferendae sententiae in transgressores a jure statutae non sunt ; sed episcopus posset utique eas constituere, ut patet ex verbis Conc. Trid. relatis *n. 98*. Prosper Lambertini, archiepiscopus Bononiensis, in *cit. Inst., Ecc. LXVIII, n. 12*, poenam suspensionis ipso facto pronuntiat in sacerdotes sive regulares sive saeculares, qui Missam celebraverint ante vel post tempus ab eodem determinatum.

110. Et quidem terminus matutinus debet esse et est revera, juxta mentem Ecclesiae, firmior termino meridiano, quia Ecclesia numquam solita fuit eucharisticum sacrificium noctu offerre, nisi forte in primis saeculis metu persecutionum aut in extraordinariis aliquibus solemnitatibus (cit. *n. 98*), dum e contrario solita utique fuit illud offerre post meridiem. Lege etiam verba Pauli III relata *n. 116*. Hinc facilius conceditur indultum celebrandi post meridiem quam ante

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 346* ; Lehmkuhl, *II, n. 217* ; Ballerini-Palmieri, *IV, n. 298*.

auroram (1); et graviori causa opus est ut tempus antevertere, quam ut postponere liceat (2). Proinde valet argumentum : *ex tali causa licet ante auroram celebrare : ergo et post meridiem* ; sed per se non valet argumentum contrarium : *ex tali causa licet post meridiem celebrare : ergo et ante auroram*. Modo videamus quandonam lex cum sua obligatione cesset.

111. In jure a regula generali superius exposita est unica exceptio. Nempe in die Natalis Domini possunt tres Missae celebrari, de qua re alias ; « quarum prima dicitur post mediam noctem », juxta Rubricas Generales Missalis, *X V*, *n. 4*. Duo vero notanda sunt. In primis haec Missa nequit incipi ante mediam noctem, ut patet ex relatis Rubricarum verbis, penitus abrogatis a S. Pio V privilegiis, licet vetustissimis, ob quae nonnulli ante mediam noctem sacrum faciebant. In *Societatis Jesu*, *11 Maii 1878* (n. 5728), proposito dubio : « 2° In multis ecclesiis in die Nativitatis Domini incipitur Missa ita ut jam sacerdos sit in puncto consecrationis, pulsante media nocte : an hoc sit legitimum » ? S. C. R. reposuit : « Ad 2um : Serventur rubricae et contrarios abusus esse abolendos ». Similiter in *Cuneen.*, *2 Junii 1883* (n. 5874), proposito dubio : « 4° Licetne Missam nocte Nativitatis Domini ita praemature inchoare, ut, adveniente hora mediae noctis, jam sit decantatum evangelium » ? S. R. C. reposuit : « Ad 4um : Servandam esse rubricam generalem Missalis Romani, *tit. XV*, *n. 4* ». Praeterea media nocte licet unam Missam conventualem seu solemnem celebrare, Missas autem privatas non nisi post auroram, ut colligitur ex Rubricis Generalibus Missalis, *l. c.* Hinc in *Lucana*, *22 Nov. 1681* (n. 2969) : « Inhaerendo aliis resolutionibus circa celebrationem trium Missarum in nocte Natalis Domini alias editis, et signanter sub die *7 Dec. 1641*, iterum declaravit S. R. C. non esse permittendum usum introductum a nonnullis canonicis et presbyteris Ecclesiae Lucanae, celebrandi tres Missas privatas immediate post de-

(1) De Lugo, *De sacram. Euch.*, *disp. XX*, *n.* 42.
(2) De Lugo, *l. c.*, *n.* 44 *sequ.* ; d'Annibale, *III*, § 482, *not.* 24.

cantatam Missam solemnem in media nocte Natalis Domini ». Deinde eadem S. C. in *Senen., 23 Mart. 1686* (n. 3105) et in *Savonen., 23 Apr. 1703 ad 3um* (n. 3648), reposuit id valere etiam non solum pro saecularibus, sed etiam pro regularibus tum Ordinum Mendicantium, tum Societatis Jesu, tum alterius cujuscumque instituti etiam speciali mentione nominandi. Et cum in *Aretina, 18 Sept. 1781* (n. 4404) proposita fuissent sequentia dubia : « 1° An in nocte Nativitatis D. N. J. C. liceat cuique sacerdoti ante auroram celebrare Missam privatam absque indulto Sedis Apostolicae in casu ? Et quatenus negative : 2° An contraria praxis ubi introduci vellet vel jam esset introducta, declaranda sit abusus et directe opposita legibus Ecclesiae, ita ut per episcopum sit abscindenda » ? eadem S. C. reposuit : « Ad 1um : Non licere. Ad 2um : Contrariam consuetudinem declarandam esse abusum et episcopus curet abscindi ». Necessarium est igitur apostolicum indultum ut media nocte, seu ante auroram dici Natalis Domini, celebrans Missam conventualem, alias duas Missas privatas, aut alii sacerdotes vel unicam privatam Missam celebrare valeant. Hoc indulto sub die *19 Dec. 1872* gaudet archidioecesis Parisiensis ; quo concessum est posse servari consuetudinem, ab antiquis temporibus in dioecesi vigentem, ut in nocte Nativitatis Domini sacerdotes tres Missas celebrent absque interruptione, et fideles devoto animo ad sacram synaxim accedant. Aliae quoque Galliarum dioeceses simile habent indultum.

112. At R. P. posse permittere ut Missa vel citius vel tardius celebrari possit, evidens est. Ut aliqua exempla hujus indulti citemus, omnes missionarii habere solent indultum celebrandi una hora ante auroram et una hora post meridiem. Sane in formula facultatum quas omnibus Vicariis Apostolicis Societatis Missionum ad exteros concedere solet S. Sedes ad quindennium, sub *n. 23* legitur : « Celebrandi... per unam horam ante auroram et aliam post meridiem ». Et in formula facultatum quae a S. Sede conceduntur Missionariis apostolicis Societatis Missionum ad Exteros, sub. *n. 5* : « Faciendi sacrum vel una hora ante auroram vel alia post meridiem, legitima concurrente

causa » (1). Eodem privilegio celebrandi Missam una circiter hora ante auroram vel alia post meridiem, gaudent etiam S.R.E. Cardinales eorumque Cappellani in eorum cappellis (2) et protonotarii apostolici (3). Romae plura templa, idest templum Gallorum a S. Ludovico, a SS. Apostolis, a S. Jacobo, templum Lusitanorum a S. Antonio, a S. Carolo in via Flaminia, a Piis Operariis, a Cappuccinis nuncupatum habent indultum ut Missa ibidem celebrari possit post elapsam horam a meridie (4). Haec autem et similia indulta celebrandi una hora ante auroram vel post meridiem intelligenda esse putamus de una hora ante vel post legitimum tempus, ita ut, post concessionem Benedicti XIII (*n. 100*) liceat, vi privilegii, Missam inchoare una hora et viginti minutis ante auroram, eamdemque finire una hora et viginti minutis post meridiem (5). Insuper inter facultates extraordinarias quae Vicariis Apostolicis Sinarum et regnorum adjacentium conceduntur ad quindennium, est etiam sub *n. 17* facultas: « Celebrandi ex rationabili causa Missam una hora post mediam noctem ; qua facultate uti valeant tum Vicarius Apostolicus, tum Missionarii de ejusdem Vicarii Apostolici licentia ». Tandem Benedictus XIV indulsit ut sacerdotes tam saeculares quam regulares in regnis et dominiis Regum tam Hispaniae, quam Portugalliae et Algarbiorum existentes, tres Missas in die commemorationis omnium defunctorum celebrare possent etiam duabus post meridiem horis (6).

113. Quaestio est num regulares privilegio gaudeant celebrandi Missam ante auroram. Pro certo habemus privilegia regularibus in subjecta materia concessa ante Conc. Trid. fuisse ab eodem Concilio revocata *sess. XXII*, in *Decreto de observandis et evitandis in celebratione Missae* (7).

(1) Collectanea Parisiensis, *n.* 30 et *n.* 119 ; quae *n.* 384, 386, 387 refert potiora indulta a S. Sede concessa pro peculiaribus circumstantiis

(2) Vide dissertationem Card. Brancatii, *De privilegiis quibus gaudent Cardinales in propriis capellis*, quae legitur ad calcem operis Gattico, *De oratoriis domesticis*.

(3) Andreucci, *De protonotariis apostolicis, n. 183.*

(4) Ben. XIV, *Inst. Ecc. XIII, n.* 5.

(5) Scavini, *vol. III, n. 176.*

(6) Ben. XIV, *De sacros. Missae sacr., App. IV, ad lib. III.*

(7) S. Alphonsus, *VI, n. 342* ; Lehmkuhl, *II, n. 218* ; S. Alphonsus,

Negat Ballerini-Palmieri, *vol. IV, n. 294*, post Lugonem, *l.c., disp. XX, n. 29*; sed rationes quas affert solidae minime sunt. Inquirendum igitur est num hujusmodi privilegium regularibus fuerit concessum post Conc. Trid. Jamvero refertur privilegium ab Alexandro VI (1) monasterio Benedictino Montis Serrati datum et a Clemente VIII (2) ad totum ordinem atque ita, per communicationem privilegiorum, ad omnes regulares extensum, secundum quod, ex justa causa, hora secunda post mediam noctem quovis anni tempore in ecclesiis regularium celebrare licet. Concessio hujus privilegii antecedit Conc. Trid., utpote ab Alexandro VI facta, ideoque ab eodem Concilio revocata dici debet. Attamen cum Clemens VIII, post Trid. Conc., hoc caducum privilegium extenderit ad totum ordinem Benedictinum, implicite illi vires restituit; ideoque modo viget pro omnibus regularibus. Rite vero animadvertit De Lugo, *l. c., n. 30*, juxta hoc privilegium regulares non posse hora secunda post mediam noctem celebrare, nisi in suis regularibus ecclesiis. Patres Societatis Jesu a Gregorio XIII antea obtinuerant ut ex justa causa cum permissione superioris possent una hora ante auroram celebrare. Clemens XIV concessit Congregationi Passionis, ut Patres, dum missionibus operam dant, seu earum occasione vel alia quacumque de causa iter facientes, tam in publicis ecclesiis quam in privatis oratoriis apostolico privilegio munitis Missam unius horae ante auroram et alterius horae spatio post meridiem celebrare libere et licite possint. Tandem Congregationi Puritatis Pius VI indulsit ut ejusdem sacerdotes semper et ubique celebrare possent in perpetuum duabus horis ante auroram et post meridiem. His autem privilegiis huc usque recensitis omnes regulares fruuntur vi communicationis.

114. Imo non solum R. P., sed etiam episcopus potest ex justa causa permittere ut Missa celebretur indebita hora

De privilegiis, n. 122, ex oblivione affirmat hanc revocationem esse dubiam.

(1) Emanuel Rodriguez, *Bullarium Regularium*, *Bulla XIII*.

(2) Emanuel Rodriguez, *op. cit.*, *Bulla XXII*.

sive ante auroram sive post meridiem; quamquam enim hanc episcoporum dispensandi potestatem in nullo pontificio aut conciliari decreto legamus, tamen eam admittunt omnes doctores, S. Sede minime reclamante (1). Ea usus est Prosper Lambertini, Archiepiscopus Bononiensis in *cit. Inst. Ecc. LXVIII, n. 12*, permittens, ut ratione magnae celebritatis et ratione modi vivendi qui invectus erat, Missa celebrari posset in illis ecclesiis de quibus agebatur, usque ad integram horam post meridiem. Cum vero episcopus possit suis subditis id permittere, sequitur ipsum posse eadem licentia uti ex eadem justa causa. Nonnulli auctores episcoporum dispensandi potestatem restringunt ad unam horam ante auroram aut post meridiem (2). Putamus autem episcopum non solum posse dispensare pro una tantum vice, sed etiam posse permittere, e. g., ratione talis solemnitatis, in tali ecclesia Missam quotannis celebrari una hora post meridiem, uti revera permisit Prosper Lambertini supra citatus. Sed non posset omnibus sacerdotibus suae dioecesis indiscriminatim indulgere Missae celebrationem ante tempus jure communi statutum; id enim esset non dispensare in jure communi, sed potius jus commune abrogare pro sua dioecesi.

115. Potestatem in subjecta materia dispensandi quam communis sententia tribuit episcopo, Croix, *lib. VI, p. II, n. 225*, quem approbat S. Alphonsus, *VI, n. 344*, censet, secluso privilegio, habere omnes superiores regulares cum votis solemnibus erga suos religiosos, cum sint eorum Ordinarii.

116. Ceterum qui privilegium a Sede Apostolica obtinuit celebrandi ante auroram, cautissime eo uti debet; nam Paulus III relatus a Benedicto XIV in *Inst. Ecc. XIII, n. 2*, haec habet: « Quoque indulto celebrandi seu celebrare faciendi ante diem parce utantur, quia cum in altaris ministerio immoletur D. N. J. C., Dei filius, qui candor est lucis aeternae, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in

(1) Lehmkuhl, *II, n.* 117; De Lugo, *l. c., disp. XX, n. 27*; S. Alphonsus, *VI, n. 344*; Ballerini-Palmieri, *IV, n. 296*.
(2) Lehmkuhl, *l. c.*; De Lugo, *l. c.*

luce ». Idem dicatur si quis simile privilegium ab episcopo habuit aut a superiore regulari.

117. Tandem, etiam citra dispensationem legitimi superioris, in nonnullis gravibus circumstantiis lex non urget, quia in genere lex Ecclesiae, lata non in destructionem sed in aedificationem, non obligat cum gravi incommodo. Hinc, juxta communem doctrinam, omne peccatum abest, si Missa celebratur statim post mediam noctem, ne infirmus careat viatico (1); et ob eamdem rationem a fortiori putamus licere Missae celebrationem longe post meridiem, servato jejunio naturali; de qua re alias. Item si in die festivo Missa solemnis protrahitur ad horam et amplius post meridiem et etiam ad duas horas, et consuevit, post Missam solemnem, Missam privatam celebrari, licebit etiam tunc id facere pro fidelium commoditate, ne Missa careant (2). Item si sacerdos die dominico vel festo ex itinere impeditur celebrare tempore debito, potest hora ante vel post tempus debitum celebrare (3). Item in funere alicujus magnatis, vel occasione concionis, vel publicae supplicationis, vel collationis ordinum, vel celebrationis matrimonii, aut ex alia causa simili, licet Missae celebrationem anticipare vel postponere per horam (4). Item ut fideles qui operibus servilibus die festo vacare coguntur usque ad meridiem, uti e. g. passim Parisiis, Missae audiendae praecepto satisfacere possint, Missa, absque ullo dubio, poterit celebrari una hora ante aut post tempus jure statutum. At Sotus *in. 4, dist. 13, q. 2, a. 2*, apud Benedictum XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. VII, n. 5*, merito animadvertit: « Attamen quod hoc fiat (id est celebretur post elapsum tempus) ad inserviendum deliciis eorum qui

(1) S. Alphonsus, *VI, n.* 343; De Lugo, *disp. XX, n.* 25; Layman, *lib. V, tract. V, cap. IV, n.* 4; Lehmkuhl, *II, n.* 217; Ballerini-Palmieri, *IV, n.* 296.

(2) Lehmkuhl, *l. c.*; Ballerini-Palmieri, *l. c.*; S. Alphonsus, *VI, n.* 344 : *probabiliter*.

(3) S. Alphonsus, *l. c.*; Lehmkuhl, *l. c.*; Ballerini-Palmieri, *l. c.*, aliique communissime.

(4) S. Alphonsus, *l. c.*, plures alios citans; Ballerini-Palmieri, *l. c.*; Scavini, *III, n.* 176.

noctes, aleis et crapulis vacando, in dies vertunt, diesque, dormiendo, in noctes, non potest non esse vituperio dignum ». Imo passim auctores cum Layman, *lib. V, tract. V. cap. IV. n. 3*, admittunt servari posse consuetudinem qua Missa hora ante auroram celebratur diebus ferialibus, ut opificibus, qui summo mane surgere debent, solatium Missae praebeatur (1). Busembaum, *l. c.*, subdit : « Non tamen idcirco post meridiem licebit » ; cujus affirmationis ratio perdifficilis est (*n. 110*). Ceterum notandum has recensitas aliasque similes causas graves esse, ita ut a quolibet peccato excusent ; causae autem leviores sufficiunt ad excusandum a culpa gravi, remanente veniali peccato (2), et, cum dispensatione episcopi, ab omni culpa. Imo in his praecise casibus, quando nempe concurrit causa aliqua, sed non sufficiens ad excusandum ab omni culpa, proprie exercetur potestas dispensandi episcopi : ad quem proinde recurrendum in dubio de causae sufficientia.

118. Ex his omnibus deduci potest praxim, in parochiis Parisiensibus passim vigentem, qua occasione funerum et praesertim matrimoniorum et diebus dominicis aliisque festis Missa celebratur una circiter hora post meridiem, non esse reprobandam. Nam, occasione matrimoniorum, saepe fere impossibile est Missam citius celebrare, cum civilis lex in Galliis sub gravibus poenis praecipiat matrimonium civile praecedere debere religiosum. Praeterea haec Missa, si favet deliciis multorum de quibus Sotus, praesto est pluribus opificibus, qui citius Missae assistere non possent. Tandem hanc praxim probat expresse vel tacite auctoritas episcopalis. Quamquam autem haec vera sunt, tamen experientia docet exinde sacerdotum qui has serotinas Missas habitualiter celebrare solent, sanitatem omnino dilabi.

119. His finem imponimus recolentes ea quae habet Benedictus XIV in const. *Etsi minime, 7 Febr. 1742*. Ut populus, ad Missam parochialem confluens, concionem audiat, Pontifex vult ut episcopi lege lata caveant ne in parvis ecclesiis, ecclesiae parochiali proximis, diebus dominicis

(1) Busembaum, n. 133 ; Ballerini-Palmieri, *l. c.* ; Lehmkuhl, *l. c.*
(2) Ballerini-Palmieri, *l. c., n.* 298.

aliisque festis, ullus sacerdos « antea sacrificium faciat, quam parochus Missam celebraverit, sermonem habuerit, ceterasque sui muneris partes absolverit; hoc enim pacto ecclesia parochialis confluentium parochianorum numero celebrabitur ». Proinde episcopus poterit hanc legem ferre, et etiam poenis ferendae vel latae sententiae communire. Si haec lex lata fuit, illicitum erit Missas diebus dominicis aliisque festis ante parochialem celebrare, dummodo Missa parochialis hora opportuna celebretur; si haec lex lata non fuit, parochus de rigore juris prohibere non potest, ne infra suae parochiae limites Missae ante parochialem celebrentur. Id confirmatur ex pluribus responsis SS. CC. RR. quae referunt Benedictus XIV, *De syn., lib. XII, cap. VII, n. 7*, et *Inst. Ecc. XLIV, n. 7 sequ.*; Lucidi, *De vis. sacr. lim., vol. I, pag. 435, 436*. Haec quidem quoad ecclesias saeculares: at episcopus vetare nequit, ne in ecclesiis regularium Missae celebrentur aliaeque peragantur functiones etiam cum campanarum sonitu (excepto sabbato sancto) ante Missam parochialem, vel donec illa absolvatur. Ita resolvit S. C. C. in *Squillacensi, 28 Febr. 1681*, et in folio plures aliae similes resolutiones referuntur.

120. Haec de hora Missae in Ecclesia Latina. Synodus Montis Libani (an. 1736), *p. II, cap. XIII*, statuit: « Ut nullus sacerdos ante auroram et post meridiem sine speciali R. D. Patriarchae privilegio Missam celebret, exceptis diebus jejunii quadragesimalis in quibus, praeter dominicam et sabbatum, hora nona dici, idest tertia post meridiem, celebrare fas est, et exceptis festivitatibus Natalis D., Epiphaniae et Resurrectionis, in quibus post mediam noctem Missa dicitur; idque tam de privata, quam de solemnibus Missis intelligendum est. Ubi vero jejunium quadragesimale circa meridiem solvi coeptum est, non liceat Missam post illam horam protrahere ». Eamdem disciplinam etiam aliae Orientales Ecclesiae passim sequuntur. Benedictus XIV, const. *Etsi pastoralis, 26 Maii 1742*, § *VI, n. 6*, permittit consuetudines servari, dummodo hora nona non transgrediatur; et si alicubi viget consuetudo producendi jejunium cum Missa usque ad vesperam, in suo robore permaneat.

CAPUT III

DE LOCO CELEBRATIONIS MISSARUM.

SECTIO I

De loco remoto celebrationis Missarum.

121. Locus remotus celebrationis Missarum est *ecclesia* et *oratorium*. At aliquando in ipsa ecclesia vel oratorio Missae sacrificium celebrari non potest ; et aliquando celebrari potest etiam extra ecclesiam et oratorium. Sub hac sectione in quatuor distinctis articulis agemus in primis de ecclesia, deinde de oratorio, tandem duas exceptiones exponemus.

Articulus I

De ecclesia (1).

§ 1. — *Quid et quotuplex sit ecclesia.*

122. Ecclesia, spectata vi nominis, significat coetum hominum in genere. Sed post Christum D, passim accipitur pro coetu fidelium. Exinde hoc vocabulum deductum est ad significandam aedem materialem pro christianae religionis cultu, sive quia conventus christianorum in ipsa celebrantur, sive quia ipsa est figura et symbolum verae Ecclesiae. At in sensu stricto, quatenus ab oratorio proprie dicto distinguitur, ecclesia indicat aedem pro christianae religionis cultu eo potissimum fine extructam, ut publico fidelis populi usui deserviat. Hoc stricto sensu nos nomen ecclesiae in praesentiarum accipimus.

(1) Vide canonistas in *tit. XL, De consecratione ecclesiae vel altaris* et in *tit. XLVIII, De ecclesiis aedificandis et reparandis, lib. III, Decret.*, et in *tit. XXXII, De novi operis nuntiatione, lib. V, Decret.*

123. In Ecclesiae incunabulis erat praesertim *domus Ecclesiae*, id est domus ordinaria ad communitatem ecclesiasticam pertinens. In ea aderat *oratorium*, quod erat vera ecclesia, pro actibus cultus et nominatim pro Missae sacrificio, aliaeque aedes pro nascentis communitatis ecclesiasticae necessitatibus (1). At in ipsis primis tribus saeculis, nempe tempore persecutionum, christianos non paucas habuisse publicas separatasque ecclesias indubium est (2). Si domus ecclesiae aut ecclesia nondum habebatur, aut, saevientibus persecutionibus, fidelibus fas non erat illam adire, tunc tantum fideles conveniebant pro actibus cultus et nominatim pro sacrificio Missae in alio quocumque decenti loco. Hinc Dionysius Alexandrinus, apud Eusebium, *Hist. Eccl., lib. VII, cap. XII*: « Cumque ab omnibus fugaremur atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque festos egimus dies. Quivis locus in quo varias aerumnas singillatim pertulimus, ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi, ad sacros conventus peragendos fuit ».

(1) Hanc *domum Ecclesiae* ita describit Duchesne, *Origines du culte chrétien, chap. X* : « Les églises primitives n'ont été d'abord que des maisons ordinaires, spécialement affectées au culte chrétien ou plutôt à l'ensemble des services de la communauté chrétienne. Les maisons antiques se prêtaient fort bien à cet usage. Elles comprenaient généralement une entrée sur la voie publique, une cour entourée de portiques (*atrium*) ; en arrière une autre cour ou une grande salle fermée, une salle de bains, des pièces d'habitation, des caves, des celliers, des dépendances de tout genre disposées autour des cours antérieures. C'était ce qu'il fallait pour installer les diverses catégories de personnes dont se composaient les réunions chrétiennes, catéchumènes, fidèles, pénitents, pour loger l'évêque et les clercs qui l'assistaient dans son administration, pour abriter et conserver les papiers, les livres, les vases sacrés, pour emmagasiner les vêtements, les objets de literie, les provisions à l'usage des pauvres et des étrangers. Une *domus Ecclesiae* en ces temps reculés comprenait tout cela. C'était quelque chose d'assez compliqué, à la fois église, évêché, réfectoire, dispensaire, hospice. Cependant la partie spécialement affectée au culte prit de bonne heure un relief spécial : les autres parties du bâtiment s'en détachèrent peu à peu et ne participèrent point à son caractère sacré. La *domus Ecclesiae* devint la *domus Dei*, le lieu où les chrétiens rencontraient le Seigneur, le *dominicum* ». En igitur ecclesia separata.

(2) Devoti, *l. c.* ; Bingham, *Origin. Ecc., lib. VIII, cap. I, § 13* ; Card. Orsi, *Hist. Eccl., lib. III, § 23* ; Le Brun, *Explication littéraire, historique et dogmatique des prières et des cérémonies de la Messe, t. II, diss. I, art. VIII.*

Et *Act. XX, 7*, legimus S. Paulum sacrum fecisse sero in tertia privatae domus contignatione (*troisième étage*). Cessante vero persecutionum procella, ecclesiae publicae multiplicatae sunt, vel de novo extructae, vel delubra paganorum aut haereticorum in cultum veri Dei transformata (1).

124. Variis nominibus ecclesia appellata fuit ; nempe *oratorium* lato sensu (*n. 187*) ; *dominicum*, id est domus Dei ; *basilica*, quasi regia domus, seu aedes ad audiendas causas aut ad alium publicum usum constituta ac a piis Imperatoribus data christianis ut ibi conventus agerent suos (2) ; *templum*, quo tamen nomine christiani serius uti caeperunt, cum esset ethnicorum proprium (3) ; *titulus*, locus scilicet Deo dicatus qui sacerdotes et ministros addictos habebat ; *martyrium*, *prophetaeum*, *apostoleum*, prout in martyris vel prophetae vel Apostoli memoriam erat dedicata ; et Sozomenus, *Hist. Ecc., lib. II, cap. III*, memorat etiam *Michaelaeum*, id est ecclesiam, quam in honorem S. Michaelis Archangeli Constantinus M. in Hestiis, extra Constantinopolim, Deo erexerat.

Sunt autem pro varia dignitate ac officio variae ecclesiarum species. Nam est *ecclesia cathedralis*, *ecclesia collegiata*, *ecclesia abbatialis*, *ecclesia parochialis*, *ecclesia baptismalis*, *ecclesia matrix*, *ecclesia filialis*, etc. Hae aliaeque distinctiones partim clarae sunt, partim ad nos modo non attinent.

§ 2. — *De ecclesiae aedificatione et reparatione.*

125. In primis regula canonica quam ipsa antiquitas ad nos transmisit, est ut nemo ecclesiam aedificet, priusquam pontificis judicio locus et atrium designetur, cum aga-

(1) De consecratione ecclesiarum Arianorum vide *can. 21, 22, dist. 1, De consecr.*, in Decreto.

(2) De basilica vide in collectione Gardelliniana votum relatum in *Lucerina, 27 Augusti 1836* (n. 4781).

(3) Vix ullus est christianus scriptor qui, tribus prioribus saeculis, ad designandas ecclesias, templi nomine usus fuerit. Magis adhuc christiani abhorruerunt a *fani* vocabulo. Devoti, *Inst. Can., lib. III, tit. VII, § 1, not. 6.*

tur de loco qui publico fidelium cultui est destinatus. Porro episcopus consensum dare debet, si dos sufficiens pro manutentione et expensis cultus constituatur, et nova ecclesia in aliorum damnum non vergat (1), nec in privata proprietate sit. Vide responsionem S. R. C. in *Lucana, 17 Jun. 1843* (n. 4969). At si dos sufficiens non constituitur, aut nova ecclesia in aliorum damnum vergit, episcopus consensum debet recusare aut certe ecclesiam forte aedificatam nec consecrabit nec benedicet, ex *can. 1, caus. 1, q. 2*, in Decreto, et ex *cap. 8, De consecratione ecclesiae vel altaris*. Episcopus qui aedificationi ecclesiae non sufficienter dotatae consensum praebuit eamque insuper consecravit aut benedixit, debet, in defectu patroni, necessaria praebere, ut fuse exponit Card. Petra, *tom. I, comm. in const. II Paschalis II, sect. I, n. 84 sequ.* Dos distincta ac separata a redditibus monasterii non est necessaria pro aedificanda ecclesia regularium sive mendicantium sive non mendicantium (2) : sed pro erectione monasterii et ecclesiae regularium aliae conditiones necessariae sunt, quas modo nos exponere non debemus. Utrum nova ecclesia aliis praejudicium afferat, necne, judex est episcopus, data iis quorum interest libertate suas querelas exponendi, ex *cap. 1, De novi operis nuntiatione*. Omnis qui se gravatum reputat novae ecclesiae constructione, potest novum opus inceptum *nuntiare* tum aedificanti tum episcopo : facta hac nuntiatione, jure communi praescribitur, ut opus inchoatum cesset, donec judex, auditis utrinque allegationibus, sententiam ferat. Ex *cap. 1, De novi operis nuntiatione*, tres menses dantur nuntianti, ut suum praejudicium probet. Quod si quis, nulla habita nuntiationis ratione, operi inceepto non supersedit, jure communi deberet quidquid post factam nuntiationem aedificatum fuit, destruere suis impensis. Tandem si ecclesia, pertinens ad laicam familiam,

(1) Pontificale et Rituale Romanum in Rubrica, *De benedictione et impositione primarii lapidis pro ecclesia aedificanda*, conformiter antiquo *can.*, 9, *dist. 1, De consecr.*, in Decreto, et *cap. 1, De novi operis nuntiatione*.

(2) Giraldi, *Exposit. Jur. Pont., p. I, sect.* 601.

per vigentes civiles leges, potest haereditaria ratione transmitti, aut vendi, aut in usum profanum converti, episcopus pariter consensum denegabit illius aedificationi, aut ab ecclesiae consecratione abstinebit, nisi sufficientes cautiones praebeantur, uti reposuit S. R. C. in *Taurinen., 4 Maii 1882, ad 2um* (n. 5841).

126. Si agitur de ecclesia simplici, id est neque cathedrali, neque collegiata, neque parochiali, neque regulari, non dubitamus episcopum posse, dum consentit aedificationi aut dedicationi, aliquas limitationes apponere, e. g., ne Missa in eadem celebretur certis diebus et certis horis. Id S. R. C. in *Monasterien., 14 Junii 1845* (n. 5015), declaravit pro publico oratorio (*n. 179*), sed ejus responsionem et ad ecclesiam simplicem extendi putamus. At valde dubitamus episcopum posse talem limitationem addere, ut illi qui Missae assistunt, praecepto non satisfaciant, quia statuere ut auditio alicujus Missae satis non sit ad praeceptum implendum, excedit episcopalis potestatis limites. Post vero aedificatam ecclesiam limitationes episcopus apponere amplius regulariter non potest, ut satis patet ex responsione S. C. C. in *Savonensi, 28 Julii et 8 Sept. 1724* (*n. 203*).

127. Pariter episcopus permittere non potest, nec in limine fundationis, aditum vel fenestras ad privatas domus, imo nec ad suum palatium episcopale, adjacens ecclesiae, licet palatium episcopale inter privatas domus non recenseatur. Ad hoc igitur necessaria est licentia S. Sedis. Hinc in *Elboren., 19 Junii 1604* (n. 244), cum jussu archiepiscopi, sine consensu capituli, aperta fuisset parva fenestra, ex aedibus archiepiscopi in ecclesiam prospiciens, in loco satis alto ac decenti, et transenna munita, e qua archiepiscopus poterat, non visus, quandoque audire divina officia et prospicere, num per canonicos aliosque recte ac decenter in ecclesia omnia fierent, cumque archiepiscopus peteret id confirmari apostolica auctoritate, S. R. C. reposuit *pro usu et persona archiepiscopi concedi posse.* In *Velitern., 19 Dec. 1829* (n. 4654), cum eques Colonnesi obtinuisset a Sede Apostolica pro se ceterisque de familia licentiam aperiendi

adit unde propriae domus viridario ad ecclesiam publicam S. Apolloniae ibique sacrum audiendi, cumque petiisset, num etiam sui inquilini, Missam ibi audientes, praeceptum implerent, S. R. C. reposuit : « Strictim servetur privilegium ». Confer etiam *Aretin.*, *12 Sept. 1840* (n. 4896), et *Bojanen.*, *2 Aug 1698* (n. 3482). At si domus attigua ecclesiae est monasterium sive virorum sive mulierum, licitum est de consensu episcopi, patroni (si ecclesia est juris patronatus), rectoris, aut fabricae ecclesiae, chorum in ecclesiam aperire, e quo religiosi vel religiosae Missae sacrificio assistere et SSmi Sacramenti visitationem peragere valeant. Vide *Brixien.*, *16 April. 1842* (n. 4940).

138. Antiquarum ecclesiarum (sicut et recentiorum) nulla erat forma determinata ; interdum enim erat oblonga, navi similis (1), aut rotunda, aut plurium laterum, aut ad formam crucis. Duabus partibus ecclesia constabat, *sanctuario* seu *abside* et *navi* : illud reservabatur episcopis, presbyteris, diaconis, et comprehendebat altare ; haec reservabatur fidelibus et inferioribus clericis, et in ea erat *ambo* pro schola cantorum et lectoribus. Sanctuarium separabatur a navi per cancellos (2). Una erat porta pro viris et alia pro mulieribus. Serius, praesertim in oriente, ecclesia divisa fuit in tres partes *sanctuarium*, *navim*, *narthecen*, pro variis personarum classibus : in sanctuarium a navi ingressus erat per portam *sanctam*, a narthece in navim per *speciosam* (3). *Sacrarium*, vel *secretarium*, *vestiarium*, etc., quod nos barbara voce *sacristiam* appellamus, construi consuevit in inferiori navis parte ad austrum. Ethnicis dominantibus, credibile est christianos secreto monitos per diaconum vel per alium ab episcopo designatum ad ecclesiam convenisse ; pacatis Ecclesiae rebus, convocabantur per tubam aut tabulas ligneas ; tandem circa saeculum VI campanae cum turri campanaria introductae sunt, quae benedici etiam caeperunt. Etiam in recentioribus ecclesiis est sanctuarium a reliqua ecclesia cancellis, ut plurimum,

(1) Ideo corpus ecclesiae appellabatur et adhuc appellatur *navis*.

(2) Vide *cap. 1, De vita et honestate clericorum*, quod ex concilio Moguntino (an. 888) desumptum est.

(3) Devoti, *l. c.* ; Le Brun, *l. c.* ; Bingham, *op. cit., lib. III, cap. III;* Mamachius, *De' costumi de' primitivi cristiani, lib. I, cap. IV*, § *II*.

divisum et reservatum clericis ministerio altaris addictis ; de qua re fusius in *cap. VIII* ; sacrarii locus non est determinatus ; et campanae, antequam in campanili ponantur, benedicendae sunt juxta formam Pontificalis Romani, si inserviunt ad usum sacrum, vel ad usum sacrum simul et ad indicandas horas, non autem si inserviunt exclusive ad usum civilem et profanum, ut censuit S.R.C. in *Perusina, 16 Julii 1591, ad 1um* (n. 83), et in *Dubiorum, 17 Sept. 1822, ad 2um* (n. 4590), earumdemque benedictio reservatur episcopo, qui nequit eam delegare personis charactere episcopali non insignitis, etiam omissa unctione, ut eadem S. C. censuit in *Majoricen., 19 Apr. 1687* (n. 3134) ; solum si campana pro episcopali benedictione descendi nequit, sacerdos aliquis turrim ascendat et campanam aqua benedicta aspergat, ut in cit. *Perusina, ad 3um* : ecclesiae autem Ordinum Mendicantium, ex *extrav. un., De officio custodis*, unam tantum campanam habere possunt. Demum ecclesia, ut plurimum, erat ad orientem, ita ut celebrans et populus orientem respicerent, quia christiani versus orientem preces fundebant ; sed id minime constans erat sive in paganis templis ad Christi cultum conversis, sive in ecclesiis noviter erectis. In ecclesiis ad occidentem aliquando altare majus erat et est ad orientem, ita ut celebrans populum et orientem respiciat, e. g., Romae in Basilica Vaticana, Lateranensi, Liberiana ; pro quo casu Rubricae Missalis, *Ritus servandus in celebratione Missae, V, 3*, ritus speciales assignant.

139. Etiam ecclesiae ornatus est prorsus liber, dummodo nil indecens aut profanum redoleat. Conc. Trid., *sess. XXV, De invocatione*, etc., statuit nemini licere ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit. In *Vicariatus Apostolici districtus occidentalis Scotiae, 24 Martii 1860* (n. 5305), expositum fuit, fenestras novae ecclesiae, vitris coloratis munitas, referre imagines virorum cum fama sanctitatis vel martyrii mortuorum, sed numquam inter Beatos aut Sanctos ab Apostolica Sede adscriptorum. Et proposito dubio : « An liceat ecclesiarum fenestras ornare praefatis imaginibus in vitro

depictis, quando imagines ipsae nullum prorsus praese ferunt ecclesiastici cultus indicium dictaeque fenestrae nulli altari immineant? » S. C. reposuit : « Negative ». Ad evitandas erroneas hujus responsionis interpretationes, eadem S. C. die *14 Aug. 1894*, probante Leone XIII die *27 ejusdem mensis et anni*, deinde sequens tulit *generale decretum* : « Imagines virorum ac mulierum qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum beatificationis aut canonizationis honores consequuti sunt, neque altaribus utcumque imponi posse, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis, aliisve sanctitatis signis ; posse tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquo cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquam profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni ». Hoc generale decretum conforme omnino est rescripto Urbani VIII diei *13 Martii 1625*. Hinc in *Mexicana*, *15 Julii 1892*, cum ageretur de imagine B. M. V. de Guadalupe in altari majori collocanda, medium inter binas marmoreas statuas, scilicet Rmi Dni Zumarraga, primi antistitis Mexicani et cujusdam Indi, Joannis Didaci, cui Deipara fertur apparuisse, ad dubium, an praedictas virorum statuas, etsi adorantium instar, ibi apponere liceret, eadem S. C. reposuit : « Simulacra de quibus in casu, collocari poterunt in ecclesia, dummodo non exponantur super altare ». Ceterum norma liturgica est, quam continuo urget S. R. C., haud posse in eadem ecclesia, multoque magis in eodem altari publicae venerationi exponi duas vel pictas tabulas vel statuas eumdem repraesentantes Sanctum, et si de alma Virgine agatur, Deiparam sub eodem titulo repraesentantes ; quod principium nullam exceptionem patitur. Ita S. R. C. in epistola data *die 30 Maii 1890*. De imaginibus e fronte altaris apponendis redibit sermo *n. 307*.

130. Nil prohibet quominus subtus pavimentum ecclesiae habeatur cubiculum et in eodem reponantur ea quae ad ipsam ecclesiam pertinent. At idem cubiculum inservire non debet ad usum mere profanum, extraneum ecclesiae, etsi aditus ad illud sit extra corpus ecclesiae. Huc

spectat responsio S. R. C. in *Mechlinien.*, *31 Aug. 1867* (n. 5381); nam proposito dubio: « 6° Licetne partem adhibere quae jacet subter pavimentum ecclesiae, praesertim consecratae, ut cellarium et aliud hujusmodi, ad retinendum ibi vina et alias res mere profanas, quamvis aditus ad praedicta loca sit extra corpus sacri aedificii? » S. C. reposuit: « Ad 6um: Negative ». Utrum vero supra ipsam ecclesiam haberi valeant, necne, cubicula ad dormiendum, vide *n. 217*.

131. Qui vult ex propria devotione novam ecclesiam aedificare, debere expensas pro ejusdem aedificatione et dotatione sustinere, evidens est; alii cogi non possunt, nisi pro aedificatione novae ecclesiae necessariae, qualis est ecclesia cathedralis et parochialis aut ad instar parochialis in locis missionum. Quod si agatur de ecclesiae collapsae reparatione, diversi concurrere debent, pro ecclesia cathedrali, collegiata, parochiali aut simplici (1).

132. Si ecclesia instauranda est cathedralis, Sperelli *Dec.* 68, *n.* 20, haec habet: « Prius ad portionem pro fabrica destinatam; deinde recurrendum est ad consuetudinem. Quibus cessantibus, episcopus tenetur quartam partem fructuum suae mensae tam praesentium quam futurorum. Qua non sufficiente pro fabrica necessaria, non tamen ad ornatum, tenentur canonici de praebendis (deducto ne egeant) contribuere. Et illis quoque non sufficientibus, possunt ceteri in dicta ecclesia beneficiati juxta vires et deinde etiam totus clerus ab episcopo cum consensu majoris partis capituli ad contribuendum cogi; et denique in subsidium tenetur contribuere populus... Manutentio autem seu reaedificatio ecclesiae aediumque illi adnexarum, eodem jure definitur juxta cap. *Boni principis*, *dist. 96* ». Hanc Sperelli doctrinam plures alii doctores probant, et, quod majus est, S. C. C. in *Terracin. et Setin.*, *17 Mart. 1781*, § 7. Praeter haec omnia, in Italia et insulis adjacentibus, ex Benedicti XIII const. *Pius et misericors*, *IV Idus Maii 1725*, ad restaurationem et conservationem ecclesiae cathedralis, nisi aliunde satis consultum sit, dimi-

(1) Lucidi, *De visit. sacr. lim.*, *vol. I*, *pag.* 62, *sequ.*

dium redituum beneficialium primi anni, quod *media annata* vocatur, ab omnibus beneficiatis in dioecesi solvi debet, exceptis *a*) beneficiis sitis in ecclesia collegiata; *b*) parochiis, una cum incertis, annuum redditum scutorum centum non excedentibus; *c*) beneficiis reservatis S. Sedi; *d*) beneficiis, quae ex consuetudine mediam annatam jam solvunt.

133. Haec doctrina etiam collegiatis aptanda esse videtur, si e numero eorum quibus illud onus inhaeret, primo demas episcopum (dummodo aliter consuetudo non ferat, prouti, e. g., ferebat in collegiata Motulae dioecesis Castellanetensis ex folio S. C. C. in *Castellaneten.*, *24 Julii 1858*); et secundo clerum qui de collegiata minime sit; et tandem populum qui pariter collegiatae sit extraneus. In Italia et insulis adjacentibus, ex citata Benedicti XIII constitutione, ad restaurationem ac conservationem ecclesiae collegiatae, nisi aliunde satis consultum sit, *media annata* ab omnibus beneficiatis in eadem ecclesia solvi debet, exceptis beneficiis, quae supra secundo, tertio et quarto loco indicavimus (1).

134. De parochiali ecclesia Conc. Trid., *sess. XXI, cap. VII, de ref.*, haec habet: « Parochiales vero ecclesias, etiamsi juris patronatus sint, ita collapsas refici et instaurari procurent (episcopi) ex fructibus et proventibus quibuscumque, ad easdem ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos et alios qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut, in illorum defectum, parochianos, omnibus remediis opportunis, ad praedicta cogant, quacumque appellatione, exemptione et contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices seu viciniores ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas parochiales, quam alias ecclesias dirutas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi ». Ex his satis apparet series eorum qui ad restaurationem ecclesiae parochialis adstringuntur. Eam distinctius exponit Benedictus XIV in *Inst. Ecc. C*, et breviorem exhibet S. C. C. in *Spoletana*,

(1) Lucidi, *l. c.*, *n.* 40.

Restaur. domus parochialis, *18 Dec. 1847*, per haec verba: « Itaque primo loco, ecclesiarum parochialium statui prospiciendum est ex fructibus et proventibus ecclesiae. Secundo, sumptibus eorum qui ex constitutione aliqua vel statuto ad id obligantur. Tertio loco, eorum expensis, si qui sint, qui ex aliqua ac certa consuetudine obstringuntur : haec autem ad inducendam coactionem debet esse idonea. Inter illos... nedum privatae personae, sed et moralia, ut aiunt, corpora, e. g. municipia, comprehenduntur, uti statuit haec S. C. in *Balneor.*, *Restaur. ecc. par.*, *15 Sept. 1838* et *1ª Febr. 1840*. Quarto, expensis parochi, si tamen idem parochus amplo censu potiatur, et postquam necessarii ad ejusdem alimoniam sumptus deducti fuerint ; quod si congruo censu destitutus sit, a reparationum onere exemptus abire permittitur. Et hac quidem in sede, una cum parocho, locum habere debent non solum ii qui pensiones (dummodo eae libere assignatae non fuerint) ex parochiali dote percipiunt, sed etiam ii qui simplicia beneficia in ecclesia parochiali possident. Quinto loco, onus reficiendi parochiale templum patronis imponitur, si nimirum patronatus jura retinere velint. Sexto loco, ad taxationem populi deveniendum est, sicuti videre est in *Imolen.*, *Rest. ecc. par.*, *6 Sept. 1783*... Exceptio fit si paroeciae incolae pauperrimi sint ; tunc enim adigi nequeunt. Septimo loco, si parochialis ecclesia censu divite praedita sit, quin parochi redditus nequaquam distinguantur, census hujusce partem alienandi facultas postulari poterit ad sacras aedes reparandas vel a fundamentis extruendas. Praeter haec, alia etiam suppetunt, extra ordinem, remedia, ope S. C. obtinenda, videlicet capellaniarum suspensio, ut in *Tiburtina*, *Susp. cap.*, *17 Febr. 1816* ; census impositio super bonis ecclesiae, ut in *Forolivien.*, *15 Jun. 1789*, *ad 1ᵘᵐ*, ac etiam Missarum reductio, ut in *Veliternen.*, *Susp. Miss.*, *18 Sept. 1790*, *ad 1ᵘᵐ* ».

135. Tandem quoad alias simplices ecclesias, Panimollius, *Decis. 15*, *adnot. 1*, *n. 17*, docet : « Deficiente fabrica, et redditibus ecclesiae, ad ejus reparationem et manutentionem destinatis vel consuetudine, vel legato, seu alio sta-

tuto, si beneficium sit pingue, et tunc tenetur etiam clericus beneficiatus et alii ecclesiarum rectores, licet sint inferiores, reparare et altaria paramentis, mappis et aliis necessariis ad Missae sacrificium instruere, quia reparatio ecclesiae, ejusque etiam fabricatio, et praeparatio ornamentorum a pari procedunt »... Si beneficium est tenue et beneficiato sustentando impar, beneficiatus non tenetur, modo tamen resideat et ecclesiae servitium operamque praebeat. Quod si ecclesia aut altare sunt jurispatronatus, dote carent et reparatione indigent, si post terminum patrono praefigendum non reparentur, aliis concedenda erunt, licet altaria in ecclesiis regularium inveniantur.

136. Tum Pontificale, tum Rituale Romanum habent caeremonias *pro benedictione et impositione primarii lapidis*. Haec benedictio reservatur loci episcopo qui tamen potest ad eam peragendam sacerdotem delegare ; Pontificale tradit caeremonias benedictionis quae datur ab episcopo ; Rituale caeremonias benedictionis quae datur a sacerdote de mandato episcopi. De ea sermo est etiam in *can. 9, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto. Si benedictio ab episcopo peragitur, Pontificale Romanum monet : « His expletis, si velit (episcopus) parat se ad celebrandam Missam in dicto loco de Sancto in cujus nomine ecclesia fundatur ». In *Neapolitana, 23 Febr. 1884* (n. 5907), propositis dubiis : « 1° Adsuntne dies in quibus talis Missa uti prohibita censenda est ? 2° Haec Missa, sive canatur sive legatur, quo ritu celebranda est, scilicet ut votiva solemnis pro re gravi, exclusa omni commemoratione, vel ut votiva privata ? 3° Si episcopus nolit talem Missam celebrare, potestne illam alius sacerdos celebrare ? ». S. R. C. reposuit : « Quoad 1um : Affirmative, scilicet dies infra annum solemniores. Quoad 2um : Affirmative ad primam partem : negative ad secundam. Quoad 3um : Affirmative ». Praeterea si titulus ecclesiae est aliquod mysterium, e. g., S. Crucis, SSmi Sacramenti, quaesitum fuit num in precibus primi lapidis et benedictionis seu consecrationis ecclesiae exprimendum sit nomen hujus mysterii, loco nominis Sancti. S. R. C. in *Societatis Presbyterorum SSmi Sacramenti, 11 Martii 1871* (n. 5476), re-

posuit : « Ad 3um : In oratione quae incipit : *Domine Deus, qui licet coelo et terra*, omisso nomine cujusvis Sancti vel Sanctae, dicatur : *Beatae Mariae semper Virginis omniumque Sanctorum intercedentibus meritis*, etc. Ad benedictionem primarii lapidis in oratione : *Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus* (1), dicatur : *in honorem S. Crucis, in honorem mysterii SSmi Sacramenti* ».

§ 3. — *De titulo seu patrono ecclesiae.*

137. Sicut homini, dum baptizatur, imponitur nomen quo deinceps appellatur, ita ecclesia, more ab Apostolis recepto, fundatur sub alicujus nomine, a quo postea nuncupatur et ab aliis distinguitur, e. g., ecclesia S. Joannis, S. Petri etc. Porro is sub cujus nomine ecclesia fundata est et a quo appellatur, dicitur ecclesiae titulus vel titularis, ut docet ipsamet S. R. C. in *Briocen., 27 Sept. 1859* (n. 5240), aut etiam, si est persona creata, patronus. Nam est aliqua differentia inter patronum et titulum ecclesiae, si proprie loqui velimus. Titulus ecclesiae est quoque patronus, si est persona creata, nempe B. M. V., vel Angelus vel Sanctus, quae intercedere pro nobis apud Deum potest; secus est ecclesiae titulus, sed non patronus, e. g. SSma Trinitas, aut aliqua ejusdem persona, mysterium, res sacra, sub cujus nomine ecclesia fundata est et appellatur ; imo ipse Christus D. potest esse ecclesiae titulus, sed non proprie patronus. Nec insuper confundi debet patronus titularis ecclesiae cum patrono loci, quem scilicet certa civitas, dioecesis, provincia, regnum, sibi delegit, veluti singularem apud Deum advocatum ; nam patronus loci potest esse idem, sed potest quoque esse diversus a titulari ecclesiae. Unde in Rubrica breviarii passim legitur : *patronus loci vel ecclesiae*. Ita, e. g., S. Genovefa est patrona civitatis Parisiensis, sed nulla civitatis ecclesia in ejus honorem est dedicata, ac proinde S. Genovefa non est titularis ullius ecclesiae. Si plures sunt ejusdem loci patroni, unus inter hos erit *prin-*

(1) Haec oratio habetur tantum in Pontificali.

cipalis, alii minus principales ; et si omnes censentur aequales, omnes habendi minus principales, nisi ex indulto apostolico, in casu rarissimo, plures dati sint patroni aeque principales. Nos in praesenti loquimur non de simplici patrono loci, qui scilicet non sit patronus seu titulus ecclesiae, sed de patrono seu titulo ecclesiae qui, ut dictum est, potest esse vel simplex, si non est simul patronus loci, vel mixtus, si est simul patronus loci (1).

138. Titulus ecclesiae potest esse : *a*) SSma Trinitas, aut aliqua ejusdem persona ; *b*) Christus D. aut aliquod ejusdem mysterium, e. g., Nativitas, Transfiguratio etc. ; *c*) B. V. M., vel aliquod ejusdem mysterium, seu praerogativa vel factum quod cultu publico coli potest, e. g., Annuntiatio, Assumptio, Patrocinium, etc. ; *d*) Angelus, cujus nomen cognoscitur, scilicet Michael, Gabriel, Raphael, vel omnes simul, vel omnes angeli custodes ; *e*) Sancti, seu qui in Sanctorum catalogo ab Ecclesia positi sunt, quorum festum celebrari possit. Quamquam enim primis Ecclesiae saeculis templa Deo dedicarentur solum in honorem martyrum, quorum nomine etiam Apostoli comprehenduntur, tamen postea receptum fuit, ut dedicari solerent etiam in honorem confessorum et virginum, et etiam in honorem omnium Sanctorum. Vetitum est, sine apostolico indulto, quod difficile admodum conceditur, ecclesiam dedicare in honorem *Beatorum*, uti reposuit S. R. C. in *Meliapurien.*, *23 Jan. 1740* (n. 1401) et in *Vercellen.*, *11 Apr. 1840* (n. 4890) ; et multo magis vetitum est ecclesiam dedicare in honorem *Venerabilium*. Imo episcopus nec permittere potest novas ecclesias dedicari in honorem Sanctorum V. T. ; quod patet ex responsione S. R. C. in *Imolen.*, *3 Aug. 1697* (n. 3438), ubi ad dubium, an in ecclesiis altaria sanctis Prophetis T. V. dicata essent permittenda, S. C. reposuit : « Antiqua tantum permittat (episcopus) ». Etiam aliqua praerogativa vel

(1) De his omnibus vide Gavanti cum nobis Merati, *Comm. in Rubricas Brev., sect. III, cap. XII, sect. VIII, cap. V ;* Guyet, *Heortologia, lib. I, cap. IV, V, VI, VII.* Patronus loci eligi debet ad normam decreti Urbani VIII, diei *23 Mart. 1630* ; dum titulus ecclesiae a fundatorum beneplacito constituitur.

factum ad Sanctos pertinens potest esse titulus ecclesiae, e. g., patrocinium S. Joseph, conversio S. Pauli, decollatio S. Joannis Baptistae, etc.; *f*) Tandem res sacra, e. g. crux, corona spinea, columna, lancea, clavi etc. (1). Ceterum, sicuti in aliis, ita et in hac re, praxim in Ecclesia receptam tuto sequimur; antequam autem novus prorsus et inusitatus ecclesiae titulus introducatur, praestat S. R. C. consulere.

139. Plerumque unicus est titulus ecclesiae, sed nil vetat quominus plures sint, quia ecclesia dedicata fuit pluribus, sive per modum unius, id est sub uno eodemque festo, e. g. SS. Gervasii et Protasii, SS. Cosmae et Damiani, S. Dionysii cum sociis, etc., sive divisim, nempe quorum festa divisim celebrantur, e. g., ecclesia S. Jacobi et S. Christophori, ecclesia S. Joannis et S. Francisci etc., quae Parisiis habentur. Plures ejusdem ecclesiae tituli possunt esse etiam ex facto S. Sedis quae, una ecclesia in aliam translata, statuit ut tituli in hac cumulari possent aut deberent. Ita S. C. C. in *Anerina, 31 Mart. 1708*, et in *Burgensi, 14 Nov. 1733 et 9 Jan. 1734*, censuit, translata ecclesia parochiali in aliam recenter erectam, titulum antiquum esse retinendum et ad ecclesiam subrogatam transferendum, sed addi posse titulum secundum. Quandoque S. Sedes, citra casum translationis, alium addit titulum; et exemplum habes in *Derthonen., 20 Apr. 1822* (n. 4587). Quando ex facto S. Sedis novus titulus antiquo superadditus est, antiquus suas praerogativas non amittit, et omnes tituli habendi sunt aeque principales. Episcopus titulo existenti alium addere, citra novam ecclesiae dedicationem, auctoritate propria non potest. Contingere etiam potest quod plures ejusdem ecclesiae tituli invecti sint a populo qui ecclesiam ab alio titulo appellare coepit, sive relicto, sive retento priore; cujus rei exempla non desunt. Sed in hoc casu posterior titulus, a populari suffragio inductus, non est verus titulus illius ecclesiae, cum haec in ejus honorem dicata non fuerit, et tantum Sedis Apostolicae auctoritas hunc dedictionis

(1). Guyet, *l. c.*, haec omnia fuse et rite prosequitur.

defectum supplere valeat : erit igitur ad summum titulus secundarius, accidentalis, et adventitius.

140. Titulus ecclesiae in genere mutari non debet, id est neque alius addi, de qua re supra, neque aliquis, si titulus multiplex est, supprimi, neque alius substitui. Haec mutatio fieri potest, quando ecclesia diruta rursus extruitur, et exemplum habes in *Mantuana, 29 Mart. 1760* (n. 4284) ; sed etiam in hoc casu maxime decet, ut idem titulus retineatur, et ad summum novus addatur, uti praecepit S. R. C. in *Isclana, 16 Jan. 1885, ad 1um* (n. 5930). Praeterea haec mutatio fieri potest auctoritate Sedis Apostolicae ; sed si S. Sedes aliquando permittit aut jubet, ut, citra novam ecclesiae dedicationem, titulo existenti alius addatur, ut supra diximus, permittere non solet, ut unus ex titulis supprimatur, vel titulus existens in alium commutetur, cum id in injuriam illius tituli vergere quodammodo videretur. Ita in *Tarvisin., 6 Sept. 1834* (n. 4735), S. R. C. noluit permittere episcopo Tarvisino, ut unus ecclesiae alicujus titulus supprimeretur, licet rationes satis graves adessent (1). In *Ord. Carm. Excalc. Prov. Poloniae, 27 Maii 1773* (n. 4361), immutatio tituli facta fuerat, sed non indicatur quanam de causa. E contrario in *Brugen., 11 Mart. 1843* (n. 4954), propositis dubiis : « 1° Utrum semel assignato titulari patrono alicui ecclesiae, liceat episcopo rationabili ex causa illum in alium immutare ; 2° Et quatenus negative, enixe efflagitat (episcopus) ut ex apostolico indulto haec sibi facultas in casu elargiatur » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Non licere. Ad 2um : Pro gratia assumendi S. Annam in contitularem cum S. Andrea Apostolo, facto verbo cum SSmo ».

141. Festum tituli ecclesiae, sicuti festum patroni principalis loci, inter solemniora festa adnumeratur, celebrandum sub ritu duplici primae classis et quidem cum octava, prout ex rubricis Missalis et Breviarii eruitur. Haec autem est differentia inter patronum principalem loci et simplicem titulum ecclesiae, quod festum patroni princi-

(1) Vide commentarium hujus responsionis in collectione Gardelliniana.

palis loci est etiam de praecepto in loco, ex Urbani VIII const. *Universa*, *13 Sept. 1642*, dum festum simplicis tituli ecclesiae est sine praecepto. Proinde si titulus ecclesiae est simul patronus principalis loci, festum tituli erit de praecepto in loco. Et quidem si titulares ecclesiae plures sunt, non per modum unius, sed divisim (*n. 139*), omnium festa propriis diebus celebranda sunt ritu indicato, dummodo omnes sint aeque principales, uti reposuit S. R. C. in *Collen.*, *15 Febr. 1873*, *ad 1um* (n. 5534); in *Oscen.*, *14 Apr. 1877*, *ad 3um* (n. 5687); in *Sancti Claudii*, *29 Nov. 1878*, *ad 2um* (n. 5751); in *Tarvisina*, *12 Sept. 1884*, *ad 4um* (n. 5926); in una *Ordinis Minorum S. Francisci de observantia*, *16 Apr. 1853*, *ad dubium II*, *quaest. 5* (n. 5183). Sed in hoc tituli festo fusius insistendum est.

142. In primis celebrandum esse, ut supra, festum tituli ecclesiae consecratae, nemo est qui dubitet. Item dicendum de festo tituli ecclesiae tantum benedictae. Id docet Guyet, *Heortologia*, *lib. I*, *cap. V*, *quaest. V*, et S. R. C. pluries declaravit. Ita in una *Ordinis Capuccinorum*, *21 Mart. 1711* (n. 3833), proposito dubio: « 1° An debeat fieri officium primae classis cum octava patronorum seu titularium ecclesiarum particularium, quales sunt, v. g., ecclesiae religiosorum, etiamsi ab episcopis nondum fuerint consecratae, ut non raro accidit in pluribus dioecesibus, in quibus plures ecclesiae nondum fuerint consecratae, licet a multo tempore ac etiam a saeculis fuerint extructae et in eis divina mysteria celebrentur, et illae a tempore quo fuerunt fabricatae, habeant pro patrono seu titulari aliquem Sanctum »; S. R. C. reposuit: « Ad 1um: Affirmative, juxta votum D. Abbatis Chiapponi ». Eodem sensu reposuit in *Ordinis Minorum Excalceatorum*, *23 Febr. 1830*, *ad 1um* (n. 4849); in *Vallispraten.*, *2 Sept. 1871* (n. 5495); in *Altonen.*, *28 Sept. 1872*, *ad 2um* (n. 5512); in *Viglevanen.*, *11 Junii 1880*, *ad 6um* (n. 5809). Haec vera sunt, etsi ecclesia sit polluta, uti eadem S. C. censuit in *Lausanen.*, *8 Apr. 1713*, *ad 1um* (n. 3853). Tandem festum tituli ecclesiae nec consecratae nec benedictae non celebratur: item ecclesiae dirutae, uti

reposuit S. R. C. in *Capuana, 21 Julii 1855, ad 1um* (n. 5214), et in cit. *Viglevanen., ad 5um*.

143. Hoc festum complectitur tum officii recitationem tum Missae celebrationem.

144. Officium tituli in die ejusdem festo recitare, ritu praedicto, possunt et debent tantum clerici ejusdem ecclesiae, seu clerici qui adscripti sunt stricto ecclesiae servitio. Hinc, e. g.: 1° Omnes qui in ecclesia habent beneficium residentiale, utcumque minimum, recitabunt officium tituli ejusdem ecclesiae; 2° Regulares recitabunt officium tituli ecclesiae propriae, ut patet ex responsione S. R. C. in relata *Ordinis Cappucinorum*, etc.; 3° Parochus, pro-parochus et vicarii ab episcopo nominati ut parochum in ministerio parochiali juvent, recitabunt officium tituli ecclesiae parochialis, uti, quoad parochorum vicarios, censuit eadem S. C. in *Oranen., 2 Sept. 1871, ad 4um* (n. 5492); in *Oveten., 11 Aug. 1877, ad 1um* (n. 5708); in *Patavina, 18 Aug. 1877, ad 3um* (n. 5710); in *Derthusen., 27 Julii 1878, ad 2um* (n. 5739); 4° Parochus recitabit etiam officium tituli ecclesiae filialis existentis in territorio suae parochiae, uti S. C. reposuit in cit. *Oveten., ad 3um*; 5° Si ecclesia adnexa est seminario, superiores, professores, ac seminaristae, in eodem seminario degentes, recitabunt officium tituli ecclesiae, uti resolvit S. C. in *Vicariatus Ruremundensis in Hollandia, 27 Febr. 1847, ad 3um* et *5um* (n. 5079), et in *Sagien., 30 Martii 1878* (n. 5721); 6° Episcopus recitabit officium tituli ecclesiae cathedralis; 7° Missionarius, pluribus adscriptus ecclesiis, sed in una tantum proprie residens, tenetur tantum ad officium tituli ecclesiae in qua residet, aut dignioris, uti, attentis peculiaribus circumstantiis, reposuit S. C. in *Vicariatus Apostolici Bombeyen. Septentrionalis, 25 Aug. 1882* (n. 5849), et in *Cincinnaten., 27 Febr. 1883, ad 2um* (n. 5867). Quod si idem clericus duplici ecclesiae sit adscriptus, e. g., episcopus qui duas regit dioeceses, parochus qui duas parochias, tenetur ad officium tituli utriusque ecclesiae, id est episcopus ad officium utriusque ecclesiae cathedralis, uti censuit S. C. in *Gnesuen. et Posnanien., 2 Martii 1866* (n. 5359), et paro-

chus ad officium utriusque ecclesiae parochialis, prouti S. C. reposuit in *Nucerina, 24 Sept. 1842* (n. 4949), excepto casu missionarii, de quo supra.

E. contrario, e. g: 1° Regulares nec debent nec possunt recitare, ritu praedicto, officium tituli ecclesiae quae cohaeret quidem monasterio quod inhabitant, sed quae eorum propria non est, ut censuit S. C. in una *Societatis Jesu, 18 Sept. 1877, ad 1um* (n. 5713); item nec ecclesiae inhaerenti monasterio quod non inhabitant, licet ad ipsos pertineat, de qua re in una *Ordinis S. Benedicti Congreg. Silvestrianae, 23 Maii 1846, ad 3 um* (n. 5042); item nec ecclesiae parochialis, in cujus territoriosunt; 2° Qui in ecclesia tantum celebrant, aut confessiones excipiunt, vel aliud ministerium exercent, quin sint parochus, vice-parochus, coadjutor parochi, nec possunt nec debent recitare, ritu praedicto, officium tituli ejusdem ecclesiae, licet, ordinati titulo patrimonii, eidem ecclesiae adscripti sint in actu ordinationis, uti reposuit S. C. in *Mechlinien., 7 Dec. 1844, ad 1um et 3um* (n. 4955) et in cit. *Oveten., ad 4um*; 3° Proinde nec cappellani monialium officium tituli earumdem ecclesiae; 4° Nec parochus officium tituli ecclesiae non filialis quae in suo territorio reperitur, licet pro commoditate fidelium, longe a parochia degentium, ibidem per se vel per alium Missam celebret et etiam sacramenta, praeter baptismum, ministret, et etiamsi illa ecclesia antiquitus fuerit parochialis, ut censuit S. C. in cit. *Oveten., ad 7um*, et in alia *Oveten., 20 Dec. 1878* (n. 5757), et in *Vicariatus Ruremundensis in Hollandia, 27 Febr. 1847, ad 2um* (n. 5079); 5° Nec sacerdotes qui capellaniam collativam, fundatam in aliquo altari vel cappella ecclesiae parochialis aut in parvis sacellis aedificatis intra domus Nobilium vel in pagis, habent, cujus titulo ordinati sunt, officium tituli ipsius cappellae, ab ecclesiae parochiali separatae. Porro isti omnes possunt ad officium tituli recitandum, solemni titularium ritu, teneri alia ratione, e. g., si titulus ecclesiae est etiam patronus principalis loci.

145. Relate ad Missam tituli ritu solemni praedicto, haec prohibetur in aliis ecclesiis vel oratoriis alio titulo gau-

dentibus, etsi subjectis ecclesiae quae festum sui tituli agit, uti censuit S. C. in *Adrien.*, *29 Martii 1851*, *ad 3um* (n. 5152). In ecclesia sive consecrata sive benedicta quae, habens clerum addictum, celebrat festum titularis, omnes sacerdotes debent celebrare Missam titularis sub ritu duplici primae classis cum octava. In ecclesia autem quae nullum clerum addictum habet, in die festo celebratur Missa titularis ritu titularium, sed octava locum non habet, nisi titularis aliunde octavam exigat.

146. Festum autem tituli ecclesiae cathedralis celebratur tum quoad officium tum quoad Missam, non solum a clero ejusdem, juxta superius dicta, sed etiam ab utroque clero totius dioecesis. Id declaravit S. R. C. in *Bossanen.*, *22 Aug. 1772* (n. 4360), ubi proposito dubio: « 5° An festum Conceptionis B. M. V. quae est titulus ecclesiae cathedralis, celebrari debeat sub ritu duplici primae classis tam in civitate quam in dioecesi et ab utroque clero »; S. C. reposuit: « Ad 5um: Affirmative ». Et hanc responsionem S. C. confirmavit in *Ruremunden.*, *9 Maii 1857*, *ad 2um* (n. 5262). Vide etiam *Didien.*, *27 Maii 1876*, *ad 1um* (n. 5665), et *Vancouverien.*, *9 Maii 1879* (n. 5781), ubi etiam alia decreta citantur. Haec autem est differentia inter clerum saecularem et clerum regularem dioecesis, quod saecularis tenetur etiam ad octavam festi tituli ecclesiae cathedralis; regularis illud celebrat sine octava, uti tradit S. C. in *Collen.*, *15 Febr. 1873*, *ad 1um* (n. 5534).

147. Porro ecclesia cujus titulus est B. M. V., sine ullo titulo seu mysterio, debet celebrare festum Assumptionis, ex responsione S. R. C. in *Tarraconen.*, *2 Maii 1654* (n. 1708); item ecclesia cujus titulus est S. Maria Angelorum, ex responsione ejusdem S. C. in *Parisien.*, *14 Maii 1707* (n. 3772). Ecclesia cujus titulus est SSmus Salvator, pro titulari celebrat festum Transfigurationis, ex responsione ejusdem S. C. in *Narnien.*, *29 Nov. 1755*, *ad 1um* (n. 4259), in *Aquipendien.*, *22 Maii 1835*, *ad 2um* (n. 4738), et in *Brugen.*, *15 Martii 1895*. In concursu festi titularis cum alio festo serventur Rubricae. Ex decreto Cardinalis Caprara diei *9 Aprilis 1802*, pro Gallia festivitas patroni prin-

cipalis loci, id est dioecesis vel civitatis aut oppidi, transfertur ad dominicam insequentem ; sed hoc decretum non comprehendit festum tituli simplicis (non patroni loci) ecclesiae, cum hoc festum non sit de praecepto, prouti pluries S. C. declaravit, e. g., in *Ruremunden.*, *20 Mart. 1869* (n. 5436), et in *Oranen.*, *2 Sept. 1871*, *ad 1um* (n. 5492).

148. Tandem titulus ecclesiae secundarius, accidentalis, adventitius (*n. 139*) ad summum, juxta receptam rubricistarum opinionem, gaudet eodem ritu qui competit patrono minus principali loci. Jamvero patrono minus principali loci non competit nisi ritus duplex major sine octava, vel etiam ritus duplex minor, si ita fert consuetudo, uti reposuit S. R. C. in *Urbevetana*, *26 Junii 1751* (n. 4218). Nec regulares illius festum celebrant, nisi descriptum sit in Kalendario Romano vel proprio ipsorum Regularium, uti reposuit S.C. in una *Ordinis Minorum S. Francisci*, *10 Julii 1687*, *ad 1um* (n. 3143), et in una *Ordinis S. Benedicti*, *20 Maii 1796*. *ad 1um* (n. 4587). Haec igitur ad summum concedantur titulo simplici, secundario, accidentali et adventitio ecclesiae ; ejus autem festum et Regulares agent, si ecclesia est ipsorum propria. Dixi *ad summum*, quia fatendum est esse differentiam inter patronum minus principalem loci et titulum secundarium, accidentalem et adventitium ecclesiae, quia patronus minus principalis loci est revera loci patronus de jure, cum titulus secundarius, accidentalis et adventitius ecclesiae est titulus de facto tantum et non de jure : unde haec assimilatio non caret aliqua difficultate.

§ 4. — *De dedicatione ecclesiae.*

I

Quid et quotuplex sit ecclesiae dedicatio.

149. Ecclesiae dedicatio definiri potest : actio sacra per quam cum certa precum formula certoque ritu ab Ecclesia instituto, talis locus de profano fit sacer et Deo divinoque cultui a legitimo ministro perenniter dedicatur ad ibi di-

vina et ecclesiastica peragenda. Quamquam enim Giraldi, *Expos. Jur. Pont., p. I, sect. 598*, hanc definitionem applicet ecclesiae benedictioni in specie, tamen haec definitio potius convenit dedicationi in genere. Duplex autem est ecclesiae dedicatio, nempe *benedictio* et *consecratio*. Ritus consecrationis habentur in Pontificali Romano; ritus benedictionis etiam in Rituali. Differentiae inter unam aliamque dedicationis speciem patebunt ex dicendis.

150. Haec ecclesiarum dedicatio historice ita declaratur. Ipsa rei natura suadet ut domus Dei et domus orationis, ab omnibus profanis usibus segregata, unice cultui divino reservetur; maxime ecclesia christiana in qua sacrosanctum Missae sacrificium offertur. In V. T. Moyses, afflante Deo, tabernaculum, altare et omnia vasa sacra consecravit oleo et aliis caeremoniis, prouti narratur *Exod. XL*. Statim post redditam Ecclesiae pacem, solitum fuit novam ecclesiam magna solemnitate inaugurari, sed non aderat ritus particularis pro hac inauguratione, licet delubrum falsi numinis, in ecclesiam christianam conversum, variis lustrationibus prius expiaretur. In antiqua liturgia Romana, quando agebatur de nova ecclesia inauguranda, pridie consecrabatur altare et transferebantur reliquiae quae in eodem reponebantur; sequenti die Missa magna solemnitate super altare celebrabatur, atque ita ecclesia habebatur divino cultui dedicata (1). E contrario in antiqua liturgia Gallicana nova ecclesia, aut paganum delubrum prius expiatum, ut supra, dedicabatur per specialem ritum (2). Hic ritus deinceps ab universa Ecclesia sive orientali sive occidentali receptus fuit; et nostrum Pontificale Romanum agens *De ecclesiae dedicatione seu consecratione*, refert, paucis mutatis, ritum dedicationis antiquae liturgiae Gallicanae. Multiplicatis vero fidelibus et ecclesiis, cum episcopus, aliquando absens aut aliis curis

(1) Vide epistolam Vigilii, Romani Pontificis, ad Profuturum episcopum Bracharensem (an. 538), cujus fragmentum refertur in *can.* 24, *dist.* 1, *De consecrat.*, in Decreto.

(2) Ritus dedicationis seu consecrationis ecclesiae in antiqua liturgia Gallicana vide apud Duchesne, *Origines du culte chrétien, chap. XII*, § 3.

interim distractus, non posset omnes ecclesias, antequam cultui aperirentur, hoc solemni ritu dedicare, inductus insuper est alius dedicationis ritus simplicior et minus solemnis ; et primus retinuit *consecrationis* nomen, alter dictus fuit *benedictio*. Dedicatio autem ecclesiae in stricto sensu est consecratio, utpote unica antiqua dedicatio. Dies dedicationis in antiquis documentis appellatur *dies natalis* ecclesiae dedicatae.

151. Benedictio ecclesiae est dedicatio ejusdem quodammodo provisoria, donec fiat consecratio, quam Ecclesia magis optat. Id expresse traditur a Rituali Romano in rubrica post traditos ritus benedictionis ecclesiae aut publici oratorii in fine : *Ecclesia vero, quamvis a simplici sacerdote, ut supra, sit benedicta, ab episcopo tamen consecranda est*. Haec verba videntur importare obligationem, sed rite intelligenda sunt. Nam curandum omnino est ut ecclesiae cathedrales et parochiales (quibus accedunt collegiatae) consecrentur, si non ex rigoroso praecepto quod contraria consuetudine fortasse obsolevit, saltem ex decentia et convenientia. Hinc Benedictus XIII in concilio provinciali Romano (an. 1725) praecepit « ut ecclesiae saltem cathedrales et parochiales et majora ipsarum altaria quae adhuc perfecta non sunt nec dedicata, intra annum, si fieri poterit, in civitatibus, per dioeceses vero intra biennium omnino perficiantur et solemniter consecrentur ». At pro aliis ecclesiis secundariis haec decentia et convenientia minor est et de facto consecrari non solent, sed tantum benedici (1). In *Cuneen., 7 Aug. 1875* (n. 5621), ad dubium : « 1° Praeter parochiales ecclesias quae ex praescripto concilii Romani sub Benedicto XIII (tit. XXV) consecrari debent, possuntne quaevis aliae publicae ecclesiae consecrari, uti sunt 1° sacella campestria penes quae sacerdos, ut plurimum, residet ibique celebrat et sacramenta ministrat; 2° oratoria confraternitatum a parochialibus sejuncta ; 3° quae vulgo dicuntur sanctuaria, in quibus vel aestivo solummodo tempore, vel aliquoties tantum Missae sacrificium offertur » ;

(1) Vide Catalano in *comm. Ritualis Romani, tit. VIII, cap. XIX.*

S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Incumbere debent episcopi ut ecclesiae saltem cathedrales et parochiales solemniter consecrentur. Quoad minores ecclesias, si nolint uti jure suo illas solemniter consecrandi, facultatem tribuant sacerdotibus eas benedicendi ». In *Platien., 21 Febr. 1896*, ad dubium : « 4° Utrum benedicto coemeterio, censeri debeat benedicta etiam ecclesia eidem annexa, et viceversa » ; S. R.C. reposuit : « Ad 4um: Negative ad utrumque ».

152. Effectus autem principalis et directus tum consecrationis tum benedictionis idem est, nempe ut ecclesia fiat locus sacer, unice ac perpetuo reservatus cultui divino, aptus celebrationi Missarum ; unde dedicatio, praeter execrationis casus de quibus infra, repeti nequit. S. Thomas in *3 p., q. 83, a. 3, ad 3um*, explicat curnam ecclesiae, altaria et alia hujusmodi consecrentur : « Consecrantur non quia sint gratiae susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur cultui divino, ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. Unde *Machab., III, 38*, dicitur : *Vere Dei virtus quaedam est in loco ; nam ipse qui dat in coelis habitationem, visitator et adjutor est loci istius.* Unde et quidam probabiliter dicunt, quod per ingressum ecclesiae consecratae homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicuti et per aspersionem aquae benedictae, inducentes quod *Psal. LXXXIV, 1*, dicitur : *Benedixisti, Domine, terram istam ; remisisti iniquitatem plebis tuae.* ». Haec applicentur et simplici benedictioni ; at major spiritualis virtus acquiritur ecclesiae consecratae, quam ecclesiae simpliciter benedictae. Per dedicationem igitur ecclesia obtinet privilegia locorum sacrorum, nempe localem immunitatem, de qua tit. *De immunitate ecclesiarum, etc., XLIX, lib. III Decret.* Haec immunitas secumfert 1° jus asyli, de quo canonistae, *l. c.* ; 2° exemptionem a tributis civilibus et ab omnibus profanis actionibus ex jure divino. Proinde in ecclesia prohibentur judicia, ex *cap. 1* et *5 cit. tit.*, ludi theatrales, ex *cap. 12, De vita et honestate clericorum*, academiae etiam in honorem Sanctorum, ex responso S. R.C.

in *Baren.*, *19 Dec. 1693* (n. 3323), negotiationes, etc.; e contrario permittuntur repraesentationes sacrae, e. g., praesepe Domini, et, remoto SSmo Sacramento, conventus *des congrès catholiques, eucharistiques*, etc. De musica in ecclesia melius sermo erit in *cap. VII.*

153. Igitur Ecclesia, postquam dedicata fuerit per consecrationem aut saltem per benedictionem, tunc est apta divinis officiis et nominatim celebrationi Missae. Nam « canonica regula est Missam in templis *consecratis* esse celebrandam », ait Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib III, cap. VI, n. 1*, ubi illud *consecratis* intelligendum est lato sensu pro dedicatis sive consecratione sive benedictione. Ad hanc canonicam regulam probandam praetermittimus *can. 1, 2, 11, 14, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, qui apocriphi sunt, a pseudo-Isidoro conficti (1). Sed ad rem facit *can. 12 ejusd. dist.*, quem Gratianus tribuit concilio Triburiensi, dum est concilii Moguntini (an. 888) : « Missarum solemnia non ubique, sed in *locis ab episcopo consecratis*, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus ». Est etiam *can 15 ejusd. dist.*, quem Gratianus, auctoritate pseudo-Isidori deceptus, tribuit S. Silvestro, dum desumptus est, paucis ab eodem pseudo-Isidoro mutatis, ex *lib. VI Capitularium Francorum, cap. 201* : « Ut nullus presbyter sacra mysteria, nisi in *locis ab episcopo consecratis*, agere praesumat ». Hi canones loquuntur de solemni ecclesiae consecratione, quia ex una parte sunt pro locis liturgiae Gallicanae, et ex alia simplex benedictio tunc invecta nondum fuerat. Sed hodie etiam ecclesiam tantum benedictam caeremoniis ad hoc traditis a Rituali Romano esse aptam celebrationi Missarum, patet evidenter ex ipsomet Rituali, quod tradit ecclesiam vel oratorium publicum benedici, *ut ibi sanctissimum Missae sacrificium celebrari possit.*

154. Imo si serio dubitatur de facto dedicationis ecclesiae, ecclesia rursus dedicari debet, ut sacrificium Missae in eadem celebrari licite valeat ; de qua re fuse Benedictus XIV in epist. *Jam inde, 12 Maii 1852*, § *1 sequ.*, et habes exemplum in *Sagien.*, *17 Dec. 1875* (n. 5646), et in *Bellu-*

(1) Berardi, *Canones Gratiani etc., p. II, cap. LI.*

nen. et Feltren., *19 Aug. 1878* (n. 5744). Id traditur in *can. 16*, *dist. 1*, *De consecrat.*, in Decreto, qui tamen est apocriphus, a pseudo-Isidoro confictus. Ceterum haec doctrina est communis et suadetur ratione, quia facta non praesumuntur, sed probantur ; et proinde si factum dedicationis ecclesiae sufficienter non probatur, ecclesia non est apta celebrationi divinorum officiorum : contrarium putamus, si ageretur de solo dubio juris. Porro dedicatio, ad instar aliorum factorum probatur documentis, testibus, signis, usu. Ita, e. g., si ex consuetudine immemoriali, nunquam interrupta, in Kalendariis fit consecrationis mentio et quotannis anniversaria dies cum officio et Missa celebratur, est sufficiens consecrationis probatio, ex responsione S. R. C. in *Ferentina, 27 Nov. 1706* (n. 3755), et in *Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisoletanae in Hispania, 22 Apr. 1780* (n. 4396), ita ut non sit necesse ecclesiam rursus dedicare (1). At etiam in hoc casu, deficientibus scripturis et testibus, posse ecclesiam denuo consecrari, tradit Benedictus XIII in concilio provinciali Romano, *tit. XXV*, *cap. III;* nec consecratio fieri debet *sub conditione*, quia consecratio ecclesiae inter illos actus recensetur, qui ab intentione agentis statum non capiunt. Putamus ecclesiam nec consecrari posse nec benedici, si, praeter praedictam consuetudinem, habeantur in ecclesia cruces quae sunt aliud signum evidens, licet per se non peremptorium, peractae consecrationis. Certum autem est ecclesiam nec consecrari nec benedici posse, si indubium est fuisse consecratam, sed ignoratur dies aut annus consecrationis. Consuetudo immemorialis offerendi in ecclesia sacrificium Missae, absque consuetudine celebrandi dedicationis festum, satis probat ecclesiam fuisse simpliciter benedictam, ita ut possit consecrari, sed non denuo benedici.

155. Quamquam haec verissima sint, tamen episcopus permittere potest, ut in ecclesia, nondum consecratione vel benedictione dedicata, sacrificium Missae licite celebretur. Id aperte patet ex relato canone concilii Moguntini et nemo

(1) Vide Gardellini commentarium ad responsionem S. R. C. in *Regni Hispaniarum*, *15 Maii 1819*, *ad 1um* (n. 4559).

negat. Obstare videtur Conc. Trid., *sess. XXII* in *Decreto de observandis et evitandis in celebratione Missae*, ubi aufert episcopis potestatem permittendi Missae celebrationem *omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria*. Sed in primis illud *dedicata* refertur potius ad oratoria, quam ad ecclesiam, et insuper lato sensu accipiendum est, ita ut significet tantum episcopum non amplius posse permittere Missae celebrationem extra ecclesiam et oratoria divino tantum cultui *reservata* : de qua re melius suo loco. Si ecclesia est definitiva, locus non erit huic permissioni episcopi, quia episcopus potest sacerdotem delegare pro ejusdem benedictione, et ita non debet permittere ut in eadem Missae sacrificium offeratur ante benedictionem. Vide *Oranen., 2 Sept. 1871, ad 4um* (n. 5493). Sed si ecclesia est provisoria, e. g., ex ligno confecta, dum definitiva construitur, potest huic permissioni locus esse. Gregorius IX in *cap. 9, De immunitate*, etc., tradit ecclesiam in casu, etsi non consecratam (dedicatam), gaudere immunitate.

156. Minister utriusque dedicationis est episcopus, ita ut valide ecclesiam dedicet et episcopus acatholicus (*n. 279*). Et quidem consecratio est actus ordinis episcopalis, quem simplici sacerdoti unus Romanus Pontifex committere potest. Hoc indultum, nempe ut simplex sacerdos ecclesiam consecret, difficile a Sede Apostolica conceditur, ut notat Benedictus XIV, *De syn., lib. XIII, cap. XV, n. 5*, cum, si episcopus eamdem consecrare nequeat, suppleri possit per benedictionem : ideoque hoc indultum longe difficilius conceditur, quam simile indultum consecrandi altaria. Nihilominus laudatus Pontifex nonnulla hujus indulti exempla recenset, *l. c., n. 3*. Romanus Pontifex potest quoque ratam habere altaris vel ecclesiae consecrationem quae nulla fuit, cum versemur in materia mere ecclesiastica ; et exemplum prostat in *cap. 10, De consecratione ecclesiae vel altaris*, et plura alia citari possent. Praeterea, licet plures episcopi pro majori solemnitate convocari possint ad ecclesiae consecrationem, tamen unus debet esse consecrator, qui totam caere-

moniam peragit, et nominatim qui duodecim cruces sacro chrismate ungit, relativa proferens verba, in qua unctione essentia consecrationis consistit (*n. 167*). E contrario benedictio est actus ordinis sacerdotalis, quem jus ecclesiasticum reservat episcopo, cum licentia tamen illum simplici sacerdoti, etiam in dignitate non constituto, committendi, uti reposuit S. R. C. in *Massen., 7 Oct. 1645* (n. 1545), et patet ex Rituali Romano (1); sacerdos autem delegatus utitur eadem benedictione, qua utitur episcopus, quaeque est in Pontificali, prouti reposuit S. R. C. in *Placentina, 19 Maii 1607, ad 10*[um] (n. 351). Pro dedicatione ecclesiae nil sine simonia dedicans exigere potest, sed sponte oblatum potest acceptare, sicut et canonicas procurationes.

157. Porro ecclesiae consecrationem peragit episcopus loci. Eam peragere possunt, si forte sunt charactere episcopali insigniti, et vicarius capitularis pro dioecesi, sede vacante, et abbas *nullius* pro suo territorio, non vero vicarius generalis ex generali mandato (2). Non expedit episcopum orientalem consecrare ecclesias et altaria latinorum et vice versa. Revera ad dubium : « An episcopus Coptus catholicus consecrare possit sacros lapides et ecclesias latinorum » ; S. C. S. Officii, die *16 Junii 1831*, reposuit : « Non expedire ». Proprius loci episcopus ecclesias et altaria suae dioecesis illicite consecrat, antequam possessionem sui episcopatus sumpserit. S. C. de Prop. Fide, die *1 Dec. 1837*, jussit in memoriam Patriarchae Graeco-Melchitae revocari necessitatem petendi obtinendique a Romano Pontifice confirmationem electionis patriarchalis et honorem pallii, quod est plenitudinis officii pastoralis insigne, servata antiqua Sedis Apostolicae et patriarchalium sedium et totius Ecclesiae consuetudine, antequam iisdem Patriarchis fas sit convocare concilium, conficere chrisma, dedicare basilicas, ordinare clericos, episcopos consecrare aliaque peragere, quae, non obtenta electionis confirmatione et pallii concessione, vetita sunt, nisi specialis Sedis Apostolicae venia praedictis Patriarchis facta fuerit (3). Episcopus autem

(1) Giraldi, *l. c.*
(2) Benedictus XIV, *De syn., lib. II, cap, VIII, n. 2.*
(3) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 830, 33.*

alienus quicumque indiget expressa licentia aut Romani Pontificis aut Ordinarii loci ; sine qua ecclesiam consecrans, praeter grave peccatum, est ipso facto suspensus ab exercitio pontificalium, ex Conc. Trid., *sess VI, cap. V, de ref.*, cum sine dubio exerceat pontificalia. Ordinarius autem loci qui hanc licentiam episcopo alieno concedit, est episcopus pro dioecesi, sede plena, capitulum ac deinde vicarius capitularis, sede vacante ; non autem vicarius generalis ex mandato generali, nec archiepiscopus, primas, patriarcha etiam pro ecclesia sibi immediate subjecta in aliena dioecesi ; est abbas *nullius* pro suo territorio ; tandem est episcopus loci (aut capitulum et vicarius capitularis) simul et superior regularis pro abbatia quasi-nullius, pro abbatia simpliciter et pro ecclesia regulari (1). At si regulares ter humiliter rogaverint episcopum monasterii, ut dignetur eorum ecclesiam consecrare, et ipse sine legitima causa recusaverit, aut, ea cessante, distulerit ultra quadrimestre, possunt alium quemcumque episcopum pro hac consecratione requirere, etiam invito episcopo monasterii. Id contra plures solide probat Giraldi, *l. c.*, post Barbosam, *De jur. ecc., lib. II, cap. II, n. 33* ; Ferraris, *Biblioth., v. Ecclesia, art. IV, n. 10,* aliosque quam plurimos, ex Leonis X const. *Dum intra, 19 Dec. 1516*. Demum notandum est in Urbe ecclesiam titularem cardinalitiam, si forte execrata rursus consecrari debet, consecrari non per Cardinalem Vicarium, sed per Cardinalem titularem. Id deducimus ex decisione diei *25 Junii 1879*, de qua *n. 312* (2). Haec quae diximus de ecclesiae consecratione, repete, mutatis mutandis, de ejusdem benedictione ; Basilicae autem Vaticanae hac de re privilegia vide apud Benedictum XIV in const. *Ad honorandum, VI Kal. Apr. 1752*, § *8* (3).

158. Tandem tempus quo dedicatio ecclesiae fieri debet,

(1) Vide nostrum tractatum canonicum *De sacra ordinatione, n. 92 segu.*

(2) De Angelis, *lib. III Decret., tit. XL, n. 2.*

(3) Antiquitus ecclesia, a quopiam loci Ordinario consecrata, evadebat obnoxia illius auctoritati, nisi consecrator suo juri cessisset ; sicuti de clerico ordinato diximus in nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione, n. 802.* Benedictus XIV, epist. *Jam inde, 12 Maii 1756*, § *6.*

indicat Innocentius III in *cap. 2, De consecratione ecclesiae vel altaris*, respondens episcopo Tornacensi : « In dioecesi tua licet tibi ecclesiis dedicationem impendere tam diebus dominicis, quam privatis ». Haec verissima sunt de benedictione ecclesiae. Ad consecrationem quod attinet, haec rursus vera sunt de stricto jure ; sed convenientius est ut ecclesiae consecratio fiat festivo die. Hinc Pontificale Romanum initio rubricae : « Ecclesiarum consecratio, quamvis omni die de jure fieri possit, decentius tamen in dominicis diebus vel Sanctorum festivitatibus fit ». Et si alicubi vigeret consuetudo de ecclesiis non consecrandis diebus privatis seu ferialibus, servanda foret (1). Quod si consecratio ecclesiae fiat die feriali, haec dies non ideo evadit de praecepto pro populo.

II

De praecipuis dedicationis caeremoniis.

159. Jam diximus caeremonias consecrationis tradi in Pontificali, benedictionis in Rituali Romano. Nobis in animo hic non est singulas percurrere, sed nonnullas tantum breviter explicare, quae aliquam facessere possunt in praxi difficultatem.

160. In primis animadvertimus Pontificale ponere, sub eadem rubrica, *De ecclesiae dedicatione seu consecratione*, consecrationem ecclesiae et altaris immobilis : et deinde sub alia distincta rubrica agere *De altaris consecratione quae fit sine ecclesiae consecratione*. Exinde satis apparet posse quidem consecrari altarei mmobile, quin simul consecretur ecclesia, sed vice versa non posse consecrari ecclesiam, quin simul consecretur saltem altare majus immobile ; quod S. R.C. saepius declaravit. Ita in *Urbis, 19 Sept. 1665* (n.2343), proposito dubio : « An consecrari possit (ecclesia), quamvis non consecretur altare majus, et an loco illius possit consecrari aliud » ; S. C. reposuit : » Debet cum ipsa omnino consecrari altare majus ; nam istud est principale et si hoc tantum sit in ecclesia, sufficit ; alia vero accessoria, pro quibus datur consecratio distincta, sine ecclesiae consecra-

(1) Giraldi, *l. c., sect. 595.*

tione ». Rursus in *Oppiden.*, *24 Maii 1844* (n. 4976), cum episcopus ratione infirmae valetudinis postulavisset indultum peragendi caeremoniam consecrationis novae suae ecclesiae cathedralis duobus diebus consecutivis, Gregorius XVI eidem concessit, ut, peracta consecratione ecclesiae et altaris majoris, Missa celebraretur per alium sacerdotem, et episcopus post Missam populum solemniter benediceret, publicaret indulgentias et diem anniversarium consecrationis assignaret ; alio vero die quocumque cetera consecraret altaria. Vide etiam *Fesulanam*, *12 Aug. 1854* (n. 5204). At *benedictio tobalearum*, *vasorum et ornamentorum ecclesiae et altaris consecratorum*, quae in Pontificali est sub distincta rubrica, fieri potest etiam sine consecratione ecclesiae et altaris, et haec sine illa.

161. Duo autem notanda sunt. Primum est, si altare majus ecclesiae est jam consecratum immobiliter, ecclesiam posse consecrari una cum alio altari secundario, prouti reposuit S. R. C. in *Caesaraugustana*, *31 Aug. 1872*, *ad 1um* (n. 5503). Alterum est consecrationem ecclesiae esse validam, si una simul altare consecratum fuit, sed ejus consecratio fuit nulla, e. g., quia superior lapidea mensa ex unico lapide non constabat. Id expresse declaravit S. R. C. in *Fanen.*, *17 Junii 1843* (n. 4966), ubi expositum fuit una simul cum ecclesia consecratum fuisse altare, constans parvis sex lapidibus ad formam unius unitis et ligneam coronam per gyrum habens ; et propositis dubiis : « 1° An hoc altare, exposito modo constructum, censendum sit consecratum ; 2° Et quatenus negative, quid de ecclesiae consecratione sentiendum, cum ex Pontificali Romano nequeat, sine consecratione altaris, ecclesia consecrari » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Reiterandam esse altaris consecrationem, dummodo mensa ex integro lapide constituatur ; alioquin, si hoc commode fieri non possit, parvus lapis, medius collocatus, consecretur ad instar altaris portatilis. Ad 2um : Ecclesiam fuisse rite consecratam ». Vide etiam ejusdem S. C. responsionem in *Turonen.*, *28 Sept. 1882* (n. 5529). Idem dicendum, si altaris consecratio fuit penitus praetermissa. Nam formaliter proposita quaestione in *Decreto*, *19 Maii 1896* :

« 1° An ecclesia in cujus consecratione omissa fuit consecratio altaris, habenda sit valide consecrata » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Affirmative, nempe valide, sed non licite, nisi habeatur apostolica dispensatio, quamvis aliqua vel omnia altaria consecrata reperiantur, ideoque servandus omnino est ordo rituum Pontificalis Romani ut integritas consecrationis perficiatur ».

162. Ex dictis sequitur, si ecclesia non est consecrata, sed omnia altaria in eadem sunt consecrata immobiliter, ecclesiam non posse consecrari. Est unicus casus in quo ecclesia consecrari nequit, ita ut satis esse debeat ejusdem simplex benedictio. Pariter ex dictis sequitur in consecratione ecclesiae non posse unum episcopum consecrare ecclesiam, alium altare, quia est eadem caeremonia, ecclesiae et altaris consecrationem complectens, ab eodem proinde episcopo perficienda. Haec confirmantur ex responsione S. R. C. in *Augustodunen., 3 Mart. 1866* (n. 5358) ; nam propositis dubiis : « 1° An ad alicujus ecclesiae consecrationem procedi possit, in qua omnia altaria sint consecrata, omittendo ea quae altaris consecrationem respiciunt ; 2° An ad ecclesiae consecrationem procedi possit a duobus episcopis, quorum unus ecclesiae, et alter consecrationem altaris ejusdem ecclesiae peragat » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Negative. Ad 2um : Opponi ritui consecrationis ecclesiae ».

163. Hoc posito, rubrica Pontificalis ab initio haec habet : « *Quando autem ecclesia fuerit dedicanda, debet archidiaconus praenuntiare clero et populo quibus est ecclesia consecranda, ut, priusquam consecretur, jejunent ; nam pontifex consecrans et qui petunt ecclesiam sibi consecrari, praecedenti die jejunare debent* ». Catalanus, *Pont. Rom. comment. illustr., t. II, p. 61*, animadvertit hanc jejunii disciplinam in ecclesiae consecratione esse antiquissimam. S. R. C. in *Mechlinien., 19 Julii 1780* (n. 4400), et in *Camberien., 12 Sept. 1840* (n. 4908), declaravit : « Jejunium a Pontificali Romano praescriptum esse strictae obligationis pro episcopo consecrante et pro iis tantum qui petunt ecclesiam sibi consecrari ». Haec autem

doctores intelligunt de omnibus clericis ecclesiae addictis, etsi ipsi personaliter non petierint ecclesiam consecrari. Hinc, e. g. si capitulum petit, tenentur jejunio omnes capitulares, etiam illi qui suffragium pro ecclesiae consecratione non dederunt, imo etiam beneficiati et cappellani qui vocem in capitulo non habent; si petiit parochus, tenentur et vicarii, licet petitionem forte ignoraverint. Sed laici, etiam illi qui, ecclesiae fabricam constituentes, petitionem capituli aut parochi dignoverunt, non tenentur. Hoc jejunium est simile aliis jejuniis cum abstinentia a carnibus et lacticiniis: sed in Galliis, ratione introductae consuetudinis in omnibus jejuniis, butyrum et lac permitterentur (1). Vix necesse est animadvertere, benedictioni ecclesiae nullum praemitti jejunium.

164. Pergit Pontificalis rubrica: *Sane sero ante diem dedicationis Pontifex parat reliquias in altari consecrando reponendas....* Notandum est in primis Ecclesiae saeculis, praeter ecclesias urbanas, fuisse ecclesias coemeteriales. Hujusmodi ecclesiae aedificabantur super sepulcrum alicujus sancti apostoli, martyris, confessoris, virginis, sed praesertim martyris; aut ad ecclesias jam forte aedificatas corpus illius Sancti vel aliqua ejusdem reliquia transferebatur (2). Cum vero fidelium devotio has ecclesias cum Sanctorum pignoribus praeferret, factum est ut in omnibus ecclesiis reliquiae Sanctorum ponerentur, et septima synodus generalis, *can. 7*, prohibuit ecclesias consecrari sine reliquiis Sanctorum. Cumque Sanctorum pignora reconderentur sub altari, inde enata est necessitas reliquiarum pro altaris consecratione. Ex his apparet reliquias Sanctorum directe spectare ad consecrationem altaris potiusquam ecclesiae: ac proinde de eis et de caeremoniis quae ad ipsas referuntur, loquemur in sectione sequenti.

165. Inter omnes caeremonias consecrationis ecclesiae, quas habet Pontificale, notatu digna est scriptio alphabeti Graeci et Latini per modum crucis in pavimento super cine-

(1) *Nouvelle Revue théologique, tom. XII, pag. 594; Mélanges théologiques, série V, pag. 590 et suiv.*

(2) Duchesne, *Origines du culte chrétien, chap. XII.*

res ; et quaeri potest quaenam sit illius origo et significatio. Hanc caeremoniam non habet Ecclesia Orientalis. In antiqua liturgia Gallicana ex qua Pontificale Romanum illam desumpsit, haec caeremonia non apparet ante saeculum IX. Ex his quae habet De Rossi, *Bull. 1881, pag. 140*, episcopus, hac caeremonia commensurans Ecclesiae terram, illius possessionem sumit nomine Dei ; sicuti agrimensores solebant in terra quam commensurabant, lineas transversales ducere cum numeris indicantibus dimensiones (1).

166. Pontificale praecipit ut episcopus, consecrans ecclesiam, una cum clero et populo circumeat ecclesiam, aspergens aqua benedicta parietes. Aliquando autem hujusmodi circuitus est impossibilis, quia vel aliae domus annexae ecclesiae sunt, vel ecclesia extructa est super rupem, vel auctoritas civilis prohibet omnem religionis cultum extra ecclesiam, vel alia similia obstant impedimenta. In his casibus S. R. C. facile ab impossibli circuitu dispensat. Ita in *Savonen., 30 Sept. 1596, ad 1um* (n. 99) ; in *Cortonen., 17 Julii 1604* (n. 248) ; in *Asten., 24 Sept. 1605* (n. 277) ; in *Asten., 27 Sept. 1608* (n. 392) ; in *Lugdunen., 22 Aug. 1654* (n. 1723) ; in *Grossetana, 10 Junii 1690* (n. 3219) ; in *Grossetana, 15 Julii 1690 (n. 3226)* ; in *Senogallien., 8 Mart. 1692* (n. 3267). Imo si episcopus aliquo modo ecclesiam circuire potest, sed non plene, ex responsione S. R. C. in *Senen., 12 Junii 1628* (n. 744), et in *Lancianen., 13 Junii 1682* (n. 2986), videretur licentiam S. Sedis in casu non esse absolute necessariam.

167. Essentia autem consecrationis consistit in ungendis sacro chrismate duodecim crucibus, quae pictae aut sculptae sunt in parietibus, cum prolatione verborum : *Sanctificetur et consecretur* etc. (2). Hinc si episcopus consecrans deficeret ante expletas harum crucium unctiones, tota functio sacra foret repetenda ; e contrario si episcopus postea deficeret, satis foret continuare functionem et supplere ea quae desunt etiam per alium episcopum, ut reposuit S. R. C.

(1) Duchesne, *Origines du culte chrétien, chap. XII*, § *3* in fine.
(2) Giraldi, *l. c.* ; Barbosa, *De jure eccl., lib. II, cap. II, n. 52.*

in *Ulysbonensi, 12 Aug. 1614* (n.486). Hinc etiam est quod consecratio censeatur adhaerere parietibus (1). Pontificale Romanum in rubrica generali ab initio indicat ubi eae cruces sint ponendae, scilicet circa decem palmos super terram, tres in quolibet ecclesiae pariete, seu, ut edixit S. R. C. in *Mechlinien., 31 Aug. 1867, ad 5um* (n. 5381), sex in parte dextera, sex in parte sinistra ecclesiae, ita tamen ut duae sint prope altare majus, duae prope januam principalem. Quod si cruces male dispositae fuerunt, aut aliquae vel omnes deinceps perierunt, sufficit novas cruces loco et ordine requisitis depingere, quin repetatur unctionis caeremonia, uti reposuit S. C., *l. c.*, et in *Lauden., 28 Junii 1879* (n. 5787), et in *Nitrien., 13 Julii 1883, ad 2um* (n. 5882), et in *Barchinonen., 16 Jan. 1886, ad 1um et 2um* (n. 5959). In ecclesia SSmae Trinitatis ad montem Pincium in Urbe depictae erant non duodecim, sed quatuordecim cruces. Sanctimoniales a Sacro Corde Jesu ancipites quaesiverunt a S. R. C. quid agendum in casu tam gravi (?!?), et S. C. in *Sanctimonialium Sacri Cordis Jesu, 25 Sept. 1852* (n. 5178), reposuit : « Duas cruces ex lateralibus esse tollendas, salvis remanentibus positis in presbyterio et prope portam principalem ». Eruditos latet quo potissimum tempore mos in ecclesia consecranda figendi cruces inoleverit, ut docet Benedictus XIV in Allocutione habita *Pridie Kal. Oct. 1750.*

E contrario essentia benedictionis consistit in aspersione parietum cum aqua benedicta in parte superiori et inferiori cum precibus praescriptis in Rituali. Doctores passim censent hanc benedictionem adhaerere non parietibus, sed solo (2); quod non est verum, quia benedicuntur ipsi parietes in parte superiori et inferiori.

168. Post peractam consecrationem ecclesiae cum altari, Pontificale conformiter antiquae liturgiae, praescribit ut Missa celebretur, de qua etiam in *can. 3, dist. 1, De con-*

(1) Schmalz., *lib. III Decret., tit. XL, n. 16*; Sanchez, *De matr., lib. IX, disp. XV, n. 37*, Suarez, *in 3 p. D. Thomae, disp. LXXXI, sect. IV.*

(2) D'Annibale, *III*, § *9*; Schmalz., *l. c., n. 16*; Suarez, *l. c.*; Sanchez, *l. c.*; Layman, *lib. V, cap. V, n. 15.*

secr., in Decreto ; Missa scilicet quae est in missali pro ipsa die dedicationis ecclesiae. Haec Missa ab ipsomet episcopo consecrante celebranda est, licet non sit de essentia consecrationis. Benedictus XIV in epistola *Peracta*, *16 Nov. 1748*, ad Engelbertum, Abbatem monasterii Campidonensis, docet necessarium esse indultum apostolicum, ut episcopus consecrans Missae celebrationem alteri committere valeat ; et exemplum ejus indulti habes *n. 160*. Cum vero episcopus consecrans, expleta caeremonia, non possit hoc indultum ab Apostolica Sede expostulare, ideo, si nimis est defatigatus, pro hoc casu ipsum Pontificale in fine hanc licentiam ei concedit : « Si vero fatigatus nimis celebrare noluerit, facit Missam solemniter per aliquem sacerdotem celebrari ». Porro si ipse episcopus Missam celebrat, sufficit etiam Missa sine cantu et plana, et tunc necesse non est ut episcopus assumat sandalia et omnia paramenta pontificalia, de quibus Pontificale, ut reposuit S. R. C. in *Aquen.*, *15 Dec. 1877* (n. 5714) ; si Missam celebrat alius sacerdos, illud *solemniter* cantum cum diacono et subdiacono, etc., includit ; sed si Missa solemnis haberi nequit, celebrabitur Missa non solemnis cum cantu vel lecta. Etiam post ecclesiae benedictionem « dicitur Missa de tempore occurrenti vel de Sancto », ait Rituale Romanum.

169. Ipso consecrationis die clerus ecclesiae addictus debet recitare officium dedicationis cum octava : hinc in breviario officium dedicationis est et pro anniversario et pro ipsomet dedicationis die. Hoc dedicationis officium incipiendum est post peractam dedicationem, cum dici profecto non possit officium dedicationis ecclesiae nondum dedicatae ; nimirum incipiendum est ab hora tertia, ut reposuit S. R. C. in *Cenomanen.*, *7 Dec. 1844* (n. 4979), ita ut vesperae in vigilia dedicationis, matutinum, laudes et prima dicendae sint de feria vel de Sancto, prouti descriptum fuerit in ordinario, uti reposuit eadem S. C. in *Mechlinien.*, *29 Julii 1780* (n. 4400) ; ab hora autem tertia inclusive, omisso officio de feria vel de Sancto, recitandum est ab omnibus clericis ecclesiae addictis officium dedica-

tionis cum octava (1). In *Varsavien., 3 Sept. 1746* (n. 4184), quaesitum fuit : « 8° Cum praescriptum sit dicendum esse officium de dedicatione in ipso die consecrationis a clero illius ecclesiae, quae consecratur, dubium est utrum episcopus consecrans, etiam non Ordinarius loci, debeat dicere idem officium de dedicatione » ; et S. R. C. reposuit : « Ad 8um : Negative quoad praeceptum ; poterit tamen, si velit, ex congruentia ». Illos autem clericos qui in ecclesia habent beneficium simplex, sed eidem ecclesiae non sunt addicti, nec debere nec posse, loco officii de feria vel de Sancto, recitare, die consecrationis, officium de dedicatione, colligimus ex responsione S. R. C. in *Urbis, 5 Oct. 1697* (n. 3447). Vix opus est animadvertere, quando ecclesia simpliciter benedicitur, non recitari officium de dedicatione, quod est tantum pro dedicatione solemni seu consecratione.

170. Tandem operae pretium est sequentes S. R. C. declarationes referre.

In *Cuneen., 7 Aug. 1875* (n. 5621), propositis dubiis :

« 1° Pontificale Romanum in rubrica praeliminari praescribit paranda duo intorstitia accensa quae semper praecedant pontificem ; et incipiente episcopo exterius circumire ecclesiam, id fieri praecipit, praecedentibus duobus acolytis cum candelis accensis : in utroque loco nulla fit mentio de cruce processionali, quae tunc solum deferenda praescribitur, cum episcopus cum clero procedit ad reliquias in ecclesiam consecrandam solemniter transferendas... Estne crux processionalis ante episcopum deferenda initio functionis, an tantummodo ad translationem reliquiarum ?

« 2° Pontificale ipsum, postquam praescripsit parandum aspersorium factum de herba hyssopi, hujus postea tantum expresse meminit, cum, benedicta aqua cum sale, cinere et vino, fieri incipiunt primo circum altare, tum intus ecclesiam aspersiones de hac ipsa aqua. Estne etiam... adhibendum aspersorium de herba hyssopi in aspergendo exteriores ecclesiae parietes ?

(1) Vide in collectione Gardelliniana commentarium ad responsionem S. R. C. in *Gratianopolitana, 23 Maii 1835* (n. 1742).

S. C. reposuit :

« Ad 1um : Non est improbanda consuetudo, passim recepta, deferendi in casu crucem hastatam ab initio sacrae functionis.

« Ad 5um : Affirmative ».

171. In *Lincien., 27 Maii 1890*, quaesitum fuit :

« 3° An in dedicatione ecclesiae uterque diaconus et subdiaconus sumere debeat dalmaticam et tunicellam, cum rubrica Pontificalis has vestes excludere videatur ?

« 4° A quo et quando extergendae sunt cruces inunctae in parietibus in dedicatione ecclesiae, cum Pontificale, eas extergendas praescribens, id non indicet ?

« 5° An earum unctio incipere debeat ex parte Evangelii ?

« 6° Quando plura altaria in dedicatione ecclesiae consecrantur, an in litaniis addenda sint nomina Sanctorum singulorum altarium, non tantum eorum quorum reliquiae in singulis reconduntur, sed et eorum in quorum honorem altaria singula consecrantur ?

« 7° Quando plura altaria in dedicatione ecclesiae consecrantur, an post inunctas duodecim cruces in parietibus, altare majus tantum thurificandum sit, reliqua vero altaria non ?

« 8° Cum nunc temporis in dedicatione ecclesiae sermo et lectio decretorum ante fores ecclesiae (priusquam processio cum sanctis reliquiis ecclesiam ingrediatur) omittantur, an ideo omitti debeat responsorium : *Erit mihi Dominus..... decimas* ?

« 9° An, finita Missa post ecclesiae dedicationem, episcopus debeat solemniter impertire benedictionem pontificalem : *Sit nomen Domini*, et etiam si ipsemet sive solemniter sive privatim celebraverit ?

« 10° In consecratione plurium altarium fixorum, an sufficiat unicus sacerdos, continuo incensans singula altaria, dum episcopus in singulis actiones peragit, vel debeant esse tot sacerdotes, quot sunt altaria, qui etiam reliqua altaria continuo thurificent, dum episcopus in singulorum uno actiones perficit ? »

S. C. reposuit :

« Ad 3um : Negative.

« Ad 4um : Cruces in parietibus extergendas a diacono, quatenus oleum sanctum per murum defluat, et statim ac episcopus cujusque crucis unctionem peregerit. Si tamen cum episcopo locus non esset ministris sacris ascendendi scalam, ascendat cum eo saltem caeremoniarius, a quo hoc in casu cruces abstergantur.

« Ad 5um : Affirmative.

« Ad 6um : In litaniis bis esse invocandos respective ordine Sanctos illos, quorum nomini dedicantur altaria, et sanctos martyres quorum reliquiae in ipsis altaribus reponuntur, si eorum nomina innotescunt.

« Ad 7um : In casu omnia altaria thurificanda.

« Ad 8um : Negative.

« Ad 9um : Affirmative.

« Ad 10um : Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam ».

III

De festo dedicationis ecclesiae.

172. Festum dedicationis (solemnis seu consecrationis) ecclesiae intelligitur in primis festum quod fit ipso die quo ecclesia dedicatur. Praeterea intelligitur festum quod singulis deinceps annis, eodem ipso consecrationis die recurrente, celebratur, et dicitur anniversarius dies consecrationis ; nam a sacris canonibus statutum est ut quaelibet consecrata ecclesia celebrare solemniter debeat anniversarium suae consecrationis seu suae nativitatis. Vide *can. 17, dist. 1, De consecr.*, in Decreto (1). De hoc anniversario consecrationis ecclesiae festo hic potissimum sermo est.

173. Festum consecrationis ejusque anniversarius dies non sunt de praecepto. Id S. R. C., pro ipso consecrationis die, declaravit in *Mechlinien., 29 Julii 1780* (n. 4400). Nam ad dubium : « 3° An si ecclesia consecretur die feriali, sitne festum observandum in populo tali die cum obligatione in hujusmodi loco abstinendi ab operibus servilibus et audiendi sacrum » ; S. C. reposuit : « Ad 3um : Ne-

(1) Guyet, *Heortologia, lib. I, cap. III, quaest. I.*

gative ». At festum consecrationis ejusque anniversarius dies cum officio et Missa est ritus duplicis primae classis cum octava, prouti constat ex rubricis Missalis et Breviarii. Quoad vero ejus dignitatem prae aliis festis, prae oculis habendum est *decretum generale* a S. R. C. latum *die 4 Febr. 1896* :

« Ad omnes in posterum controversias circa anniversarium dedicationis ecclesiae penitus evellendas, S. R. C. in comitiis pro nova collectione authentica decretorum evulganda, subsignata die ad Vaticanum habitis, statuit ac declaravit :

« 1° Dedicationem ecclesiae, ejusque proinde anniversarium, esse festum Domini.

« 2° Hinc ecclesiae propriae anniversarium, juxta rubricas solemnius et primarium, aliis quibuscumque locorum festis, etiam patroni et titularis, esse per se praeferendum, tam in occursu, quam in concursu ; permitti nihilominus, ut patroni festum, cujuscumque sit personalis dignitatis, ratione feriationis praedicto anniversario praeferatur.

« 3° Anniversarium vero dedicationis ecclesiae non propriae, uti secundarium habendum esse, et si cum aliis quibuscumque festis occurrat vel concurrat, servandas esse rubricas et decretum generale super primariis et secundariis festis.

« 4° Ejusdem autem dedicationis ecclesiae sive propriae sive non propriae anniversario sive occurrente sive concurrente cum festis solemnioribus universalis ecclesiae, haec semper illi praevalere, personali etiam dignitate postposita, juxta Rubricas.

« 5° Quamvis fixa esse debeat illa dies anniversaria dedicationis ecclesiae quae intra annum a consecratione recurrit, nihilominus episcopo ecclesiam consecranti jus inhaerere juxta decreta alias edita, aliam diem fixam vel etiam dominicam, dummodo in consecrationis actu, seligendi pro illius anniversario quotannis solemnius celebrando, exceptis duplicibus primae et secundae classis universalis Ecclesiae, nec non quibuscumque dominicis privilegiatis et duplicibus primae classis Ecclesiarum particularium ».

174. Ex dictis jam apparet festum dedicationis fieri non debere pro ecclesia tantum benedicta ; quod expresse etiam declaravit S. R. C. in *Nullius provinciae Compostellanae, 27 Sept. 1817* (n. 4542). Nam proposito dubio : « 6° An, omisso officio dedicationis ecclesiae cathedralis Astoricensis, possit illud collegiatae oppidi Villafranca celebrari, cujus templum tantum benedictum esse memoria extat, cum vetus perierit igne absumptum, an. 1754 » ; S. C. reposuit : « Ad 6um : Negative ». Vide etiam *Taurinen., 21 Martii 1795, ad 1um* (n. 4463), et *Ord. S. Benedicti Congr. Vallisoletanae in Hispaniis, 22 Apr. 1780, ad 1um* (n. 4396). Item nec ecclesiae consecratae quae vel amplius non extast, vel temporis injuria, ob aliquod infortunium, magna ex parte dejecta aut consumpta, consecrationis decus amisit, uti patet ex relata responsione, et praeterea, aliis omissis, ex responsione in *Nullius Balneariae, 15 Sept. 1815* (n. 4516), ubi proposito dubio : « 1° An diruta et solo aequata ecclesia matrice dedicata ejusdem oppidi, teneatur clerus quotannis ad officii celebrationem de dicta dedicatione cum octava etc., quamvis in alio situ dein matrix ecclesia constructa fuit, cui clerus inservit » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Negative ». Attamen in casu faciendum esse festum dedicationis novae ecclesiae consecratae palam est, et ita reposuit S. C. in *Mechlinien., 27 Febr. 1847, ad 2um* (n. 5071). Tandem nec ecclesiae cujus consecratio dubia est. Nam in *Alexandrina, 18 Aug. 1629* (n. 826), ad dubium : « 1° An posset celebrari dedicatio illarum ecclesiarum, quas certum est non fuisse consecratas » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Non posse celebrari festum consecrationis illius ecclesiae quam certum est non fuisse consecratam, imo neque si est dubium ». Vide etiam *Ord. S. Hieronymi vallis de Hebron Diocesis Barchinonen., 7 April. 1832* (n. 4688).

175. Igitur festum anniversarium dedicationis reservatur ecclesiae quae fuit certe consecrata suamque consecrationem conservat. Hoc dedicationis festum anniversarium celebrari debet etiam in casu quo certum est ecclesiam fuisse consecratam, sed ignoratur consecrationis dies, episcopo, vel potius S. R. C. assignante diem. Hinc in cit. *Alexan-*

drina, proposito dubio : « 2° An potuerint episcopi extra actum consecrationis statuere diem consecrationis » ; S. C. reposuit : « Ad 2ᵘᵐ : Potuisse episcopum constituere diem celebrationis festi consecrationis ecclesiarum, quando certa dies ignorabatur, dummodo constaret fuisse consecratas ». Et in *Majoricen.*, *13 Aug. 1667* (n. 2449), proposito dubio : « 3° In ecclesiis quarum dedicatio ignoratur, juxta doctrinam Gavanti, est assignandus dies talis dedicationis ; quaeritur an talis assignatio spectet ad episcopum, vel qui dictas ecclesias regunt, possint talem diem assignare » ; S. C. reposuit : « Ad 7ᵘᵐ : Ad S. R. C. ».

176. Porro festum dedicationis celebrari debet ipsomet consecrationis die annis successivis recurrente, prout per se patet. In *Gnesnen.*, *8 Junii 1891*, proposito dubio : « 3° Quando in consecrationibus ecclesiarum quae fiunt diebus dominicis, episcopus consecrator, ipsum eumdem diem adsignat ad anniversarium dedicationis recolendum, quaeritur an dominica illa, quae, e. g., erit aliqua post Pascha, vel post Pentecosten, adsignari possit pro die mensis in quam incidit dominica peractae consecrationis » ; S. R. C. reposuit : « Affirmative ». At episcopus, *in actu consecrationis* et ex justa causa, potest alium assignare diem pro anniversaria consecrationis memoria, uti expresse decrevit S. R. C. in *Collen.*, *21 Jan. 1679*, *ad 2ᵘᵐ* (n. 2873), et in decreto generali supra (*n. 173*) relato. *Actum autem consecrationis* intelligit P. Cavalieri, *tom. I*, *cap. I*, *ad decret*, *2. n. 2*, ab antiphona *Adesto* usque ad benedictionem tobalearum exclusive. Giraldi, *Expos. Jur. Pont. p. I*, *sect. 599*, putat *actum consecrationis* incipere a praeparatione reliquiarum sero vigiliae et terminari cum Missa post consecrationem inclusive, quia facultas transferendi anniversarium de genere illorum privilegiorum est quae latam interpretationem admittunt. Primam sententiam praeferimus, licet alteram improbare non audeamus. Sed postea episcopus diem anniversarium consecrationis mutare non potest, inconsulta Sede Apostolica, et mutatio forte facta est illicita et irrita, ita ut festum consecrationis, non obstante hac mutatione, celebrandum sit in propria die. Ita

S. R. C. in cit. *Collen.*, et rursus in *Bituntina, 1 Oct. 1707* (n. 2777). Imo si consecrationis peractae dies est incerta, festum celebrandum est ea die, qua verosimiliter ex validis circumstantiis peracta censetur, uti colligitur ex responsione S. R. C. in *Ariminen., 14 Junii 1608* (n. 389). Quod si ob incertitudinem alia fuerit assignata dies (*n. 175*), et postea detegatur documentum quod incertitudinem tollit, nequit suffragari facta assignatio et anniversarium celebrandum est in ea ipsa die in qua ecclesiam consecratam fuisse repertum est. Ita expresse S. R. C. in *Januen., 13 Mart. 1649* (n. 1605). Sedes autem Apostolica difficillime et nonnisi gravissimis mota rationibus hanc mutationem indulget. Hinc in *Tarvisin., 6 Sept. 1834* (n. 4735), interrogante episcopo, num licite posset extra actum dedicationis ecclesiae immutare diem anniversarium dedicationis ejusdem, praecedenti decreto jam constitutum ac firmatum, eo quod experientia demonstravit oppidanos parocciae non posse ad ecclesiam convenire ob impedimentum illa ipsa die quotannis incidens ; et quatenus negative, opportunam postulante facultatem, S. C. reposuit : « Negative » (1).

177. Festum dedicationis ecclesiae celebratur tantum in ipsamet ecclesia, ut censuit S. R. C. in cit. *Alexandrina, 18 Aug. 1629, ad 2um* (n. 826). Ceterum quoad officium dedicationis, quinam illud recitare possint aut debeant, et quoad Missam dedicationis, vide et applica quae diximus *n. 144, 145*, de officio et Missa titularis. Festum autem dedicationis ecclesiae cathedralis per totam dioecesim celebrandum est cum officio et Missa ritu duplici primae classis ; in ecclesia quidem cathedrali et civitate episcopali cum octava, in aliis ecclesiis dioecesis sine octava, prout expresse declaravit S.R. C. in *Fesulana, 16 Martii 1638* (n. 1869), et in *Narnien., 6 April. 1658* (n. 1883), et clarius in *Nullius Sublacen., 19 Sept. 1750* (n. 4211). Tantum ex consuetudine immemoriali octava dedicationis ecclesiae cathedralis servari potest in aliis civitatis episcopalis ecclesiis, sicuti in ipsa cathedrali ecclesia ; de qua re in *Conclen.*,

(1) Vide commentarium hujus responsionis, in collectione Gardelliniana.

2 Maii 1619 (n.572), juxta interpretationem hujus responsionis datam in cit. *Fesulana*. Sed in aliis civitatis et dioecesis ecclesiis festum dedicationis ecclesiae cathedralis celebrarine debet ritu duplici majori, an ritu duplici minori? Cum aliqua discrepantia hac de re esset inter responsionem in cit. *Fesulana* et responsionem in cit. *Narnien.*, S. C. in *Curien.*, *19 Junii 1706* (n. 3565) reposuit : « Servetur solitum ». Regulares vero tenentur celebrare festum dedicationis ecclesiae cathedralis cum officio et Missa sub ritu duplici secundae classis sine octava, si in civitate episcopali morantur, uti expresse traditur in decreto generali diei *1 et 8 Aprilis 1662* (n. 2159), et in cit. *Nullius Sublacen.*; degentes extra civitatem episcopalem nulla obligatione adstringuntur, et si est consuetudo celebrandi festum dedicationis ecclesiae cathedralis, hanc consuetudinem continuare possunt, si velint, dummodo illud celebrent ad summum ritu duplici secundae classis, ut censuit S. C. in *Taurinen.*, *21 Martii 1795*, *ad 3um* (n. 4463). Quod si jus cathedralitatis ab una ecclesia ad aliam translatum est, nova habenda est ut vera cathedralis, antiqua ut ecclesia communis, non obstante quacumque consuetudine, ex responsione S.C. in *Bossanen.*, *23 Martii 1771*, *ad 10um* (n. 4355), et in *Balneoregien.*, *2 Apr. 1875* (n. 5591). Tandem notum est festum dedicationis Basilicarum Apostolorum Petri et Pauli et festum dedicationis Basilicae Lateranensis in Ecclesia universa celebrari ritu duplici majori sine octava, ex decreto S. R. C. diei *22 Aug. 1893*.

178. In Galliis ex decreto Card. Caprara diei *9 Aprilis 1802*, § *IV*, festum dedicationis omnium et singularum ecclesiarum celebratur in dominica quae proxime sequitur octavam festivitatis omnium Sanctorum. Hoc decretum respicit omnes ecclesias consecratas in Galliis sive ante sive post decretum, uti reposuit S. C. in *Sagien.*, *31 Aug. 1872*, *ad 1um* (n. 5516). Consequenter (salvo peculiari indulto dioecesi concesso) nec debet nec potest festum dedicationis singularum ecclesiarum celebrari ipso anniversario dedicationis die, e. g., anniversarium dedicationis ecclesiae cathedralis, quia hoc in casu festum dedicationis ecclesiae

bis celebraretur, ut reposuit S. C. in cit. *Sagien., ad 2um*. Magis consona est et decreto Card. Caprara et responsis S. R. C. praxis qua festum dedicationis omnium ecclesiarum celebratur in omnibus ecclesiis, sive consecratis sive benedictis tantum, sive saecularium sive regularium, imo et in oratoriis seu publicis seu privatis, et ab omnibus clericis, etiam nulli ecclesiae addictis. Attamen decretum Card. Caprara valet tantum pro territorio Galliae tempore quo latum fuit ; hinc S. C. censuit non valere pro Oranensi dioecesi. in *Oranen., 2 Sept. 1871, ad 2um* (n. 5492).

179. Etiam nonnulis aliis locis aut Ordinibus religiosis indultum est ab Apostolica Sede festum dedicationis omnium ecclesiarum regni, dioecesis, aut Ordinis religiosi. In hoc casu ea quae *n. praec.* diximus, applicanda erunt. Nempe hoc indultum supprimit particularia festa dedicationis ecclesiarum, ne festum dedicationis ecclesiae pluries celebretur. ex responsione S. R. C. in *Bellunen. et Feltren., 28 Aug. 1876, ad 1um* (n. 5675), et in una *Ordinis Carmelitarum discalceatorum in Hibernia, 16 Apr. 1842, ad 1um, 3um et 4um* (n. 4941), nisi aliqua ecclesia e. g., cathedralis festum proprium ex eodem indulto conservet : insuper festum dedicationis omnium ecclesiarum fieri debet in omnibus omnino ecclesiis regni aut dioecesis ut supra, ex cit. *Bellunen. et Feltren., ad 2um*, et in una *Ord. Beatae Mariae Virginis de Mercede, 23 Sept. 1837, ad 1um* (n. 4824). Attamen capitulum generale non posse hoc festum praescribere vide in *Ord. S. Pauli Primi Eremitae Congr. Montis Ossae in Lusitania, 22 Apr. 1780, ad 1um* (n. 4397).

IV

De cessatione dedicationis ecclesiae.

180. Cessatio dedicationis ecclesiae dicitur lato sensu *execratio* ; nam haec vox in sensu stricto grammaticali significat potius cessationem consecrationis. Videamus quandonam ecclesiae dedicatio deficiat.

181. In primis ecclesia consecrata amittit suam consecrationem, si parietes majori ex parte corruerint, cum con-

secratio adhaereat parietibus (1). Id satis eruitur ex *cap. 6, De consecratione ecclesiae vel alturis*; et in hoc sensu reposuit S. R. C. in *Aretina, 4 Sept. 1875, ad 2um* (n. 5672).E contrario ecclesia non foret execrata, si tectum tantum corruerit, integris et illaesis remanentibus parietibus, vel si de parietibus minor tantum pars corruerit, licet plures cruces continens, ut diximus *n. 167*, ita ut in hoc casu satis sit partem parietum restaurare et cruces rursus depingere absque ulla consecrationis vel benedictionis caeremonia. Vide etiam responsionem ejusdem S. C. in *Marianopolitana, 1 Martii 1871* (n. 5475), *et 20 Febr. 1874* (n. 5578). Imo nec execrata foret ecclesia, si parietes successive in minori parte reparentur ita ut demum major pars aut etiam tota ecclesia sit reparata, de qua re vide responsionem S. R. C. in *Caesaraugustana, 31 Aug. 1872, ad 2um* (n. 5508), etsi id fiat cum animo tandem totam ecclesiam renovandi. Nam cum supponatur ecclesia successive in minori parte reparata, semper, una parte destructa, remansit pars major ecclesiae quae, retinens suam consecrationem, etiam ad se traxit partem novam, ita ut etiam ipsa consecraretur (2). Ob eamdem rationem, quando ampliatur ecclesia, pars nova est eo ipso consecrata, et nec debet nec potest consecrari, dummodo sit minor, et per hujusmodi accessionem forma ecclesiae notabilem mutationem passa non sit. Nonnulli auctores tradunt ecclesiam successive reaedificatam, ut supra, aut novam ecclesiae partem, ad abundantiam, esse aspergendam aqua benedicta. E contrario ecclesia consecrata diruta et ex eadem prorsus materia deinde rursus

(1) Giraldi, *l. c., sect. 599*; De Angelis, *lib. III Decret., tit. XL, n. 4*; Schmalz., *n. 23*; Pirhing, *n. 8*. Citari solet *can. 2, dist. 1, De consecr.*, in Decreto, sed est apocryphus, uti probat Berardi, *p. 1, cap. VII*. Nec majorem vim habet *can. 19 ejusd. dist.*; sed vide Berardi. *p. II, cap. VII*.

(2) S. Alphonsus *VI, n. 368*; De Lugo, *disp. XX, n. 65*; Schmalz., *n. 28*; De Angelis, *l. c.*; Giraldi, *l. c., sect. 600*; D'Annibale, *III*, § *12*. Est pro hac doctrina responsio S. R. C. in *Messanen., 19 Sept. 1859* (n. 5293), sed videtur ibi agi de decrustatione parietum, de qua mox.

extructa, foret utique consecranda aut benedicenda (1). Insuper De Lugo, *l. c.*, *n. 66*, non immerito dubitat de remanente consecratione etiam in casu quo parietes in minori quidem parte corruerunt, sed ita ut ecclesia, moraliter loquendo, non amplius eadem maneat, e. g., si ex quatuor parietibus fere duo corruerunt; prae oculis enim habendum est sequens principium generale quod tradit Benedictus XIV in epist. *Jam inde*, *12 Maii 1756*, § *13*; « Illud tuto pronuntiari posse videtur, quoties destructum est vetus templum, vel quia corruit, vel quia illud subverterunt homines, vel quia christifidelium religio, a primo posito lapide ad usque novissimum, novum excitare templum instituit, adeo ut asserere nemo possit veterem consistere aedem, sed potius veteri illi in honorem certi alicujus Sancti Deo dicatae novam superinductam aedem, Deo itidem in honorem ejusdem Sancti nuncupatam, perspicuum esse, posse novam dicari ecclesiam, licet vetus illa, jam destructa, fuisset et ipsa solemni ritu inaugurata ».

182. Communissima sententia est execrari quoque ecclesiam consecratam si, remanentibus parietibus, crusta parietum interior vel ex toto vel ex majori parte tollatur igne vel abrasione, quasi consecratio adhaereret crustae, non ipsis parietibus (2). Haec absona sententia hodie sustineri amplius non potest. Nam in *Senien. et Modrussen.*, *5 Maii 1882*, expositum fuit: « In Ecclesia S. Viti Civitatis Fluminensis in Dioecesi Senien. et Modrussen., instaurationis majorisque gratia decoris, nova incrustatio interna ex materia marmorea superinducta est, atque in eum finem, permittente Ordinario, prior incrustatio, vulgo *intonaco*, in qua depictae erant cruces et signa consecrationis, per totum internum ecclesiae spatium decussa fuit simul cum cruci-bus, et quidem id insimul, non successive, quia sic artificibus necessarium visum est. In reliquo vero per totam Ecclesiam sive intra sive extra, nihil est mutatum, signanter

(1) Pirhing, *n. 9*; Schmalz., *n. 23*; Barbosa, *De jur. ecc.*, *lib. II*, *cap. II*, *n. 49*; contra Reiffenstuel, *lib. III Decret.*, *tit. XL*, *n. 11*.

(2) S. Alphonsus, *VI*, *n. 368*; D'Annibale, *III*, § *9*; Schmalz., *n. 23*; Pirhing, *n. 8*; Barbosa, *De jure ecc.*, *lib. II*, *cap. II*, *n. 46*; Reiffenstuel, *l. c.*, *n. 13*; Guyet, *Heortologia*, *lib. I*, *cap. III*, *quaest. VII*.

altare majus et omnia alia consecrata altaria manserunt illaesa. Neque durante instauratione quidquid aliud accidit, quo Ecclesia censeri posset profanata, seu violata. Hinc Sacram ipsam Congregationem supplex rogavit (episcopus) pro resolutione insequentis dubii : An in casu, qui supra expositus est, ecclesia suam consecrationem amiserit, indigeatque nova consecratione » ; S. R. C. reposuit : « Negative ad primam partem ; ad secundam provisum in prima : et iterum depingantur, vel apponantur cruces in parietibus in testimonium peractae consecrationis ». Rursus in *Tridentina, 11 Jan. 1894*, proposito dubio : « An post decretum in una *Senien. die 5 Maii 1882*, ecclesiae consecratae e quarum parietibus crusta, vulgo *intonaco*, majori ex parte disjecta fuit, tanquam execratae habendae sint, ideoque nova indigeant consecratione » ; eadem S. C. rescripsit : « Negative ad utramque partem ». Tandem in *decreto diei 19 Maii 1896*, ad dubium : « 2° Utrum ecclesia e cujus parietibus vel partim vel integre disjicitur simul incrustatio, vulgo *intonaco*, ut renovetur, consecrata mancat vel execrata » ; S. C. reposuit : « Ad 2um : Ecclesia consecrata remanet, quamvis in ejus parietibus opus tectorium sit renovatum ». Vide etiam *Messanen., 19 Sept. 1859* (n. 5293).

183. Auctores passim tradunt ecclesiam simpliciter benedictam, dirutis ex majori parte parietibus, non amittere benedictionem, ita ut rursus extructa benedici nec possit nec debeat, licet possit consecrari. Ratio est, quia concipiunt benedictionem adhaerere solo, non parietibus (1). D'Annibale, *l. c.*, censet ecclesiam benedictam execrari, *cum tota corruerit* ; Schmalz., *l. c.*, *si ecclesiae aedificium destructum sit auctoritate superioris et sine spe reaedificationis*. Haec nobis difficilia admodum sunt : putamus enim et benedictionem afficere parietes, qui benedicuntur in parte superiori et inferiori, juxta Rituale Romanum (*n. 167*),

(1) Schmalz., *lib. III Decret., tit. XL, n. 16* ; D'Annibale, *III*, § *9* ; Layman, *lib. V, tract. V, cap. V, n. 15* ; Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXXXI, sect. IV, cas. 6* ; Sanchez, *De matr., lib. IX, disp. XV, n. 37*; Sylvius, *v. consecratio q. 2, n. 4*, cum aliis.

et ideo censemus, dirutis parietibus cessare benedictionem, sicuti consecrationem, ita ut ecclesia, rursus aedificata, rursus benedici aut consecrari possit et debeat. Sane haec ecclesia, moraliter loquendo, non est eadem ac antiqua; quomodo igitur antiquae ecclesiae benedictio ipsam afficere potest? Principium a Benedicto XIV traditum (*n. 181*) etiam ecclesiae benedictae applicandum est. Sed contraria sententia, propter extrinsecam doctorum auctoritatem, est probabilis et practice tuta, donec a S. R. C. explosa fuerit.

184. Conc. Trid., *sess. XXI*, *cap. VII*, *de ref.*, agit de ecclesiis vetustate vel alias collapsis et confert episcopis, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatis, potestatem, si ipsae ecclesiae instaurari non possunt, transferendi beneficia, etiam juris patronatus, et curam animarum in matricem aut alias ecclesias, et ipsas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi (*n. 131*). Facta autem hac conversione ecclesiae in usus profanos, non dubitamus cessare eo ipso ecclesiae consecrationem et benedictionem, etiamsi ecclesia diruta eam, ante hanc conversionem, per se non amissiset, e. g., si tectum tantum cum parva parietum parte corruerit et instaurari ob nimiam omnium paupertatem nequeat. Evidens est ante hanc conversionem removendas esse reliquias aliaque objecta sacra.

185. Execratio altaris, etiam majoris, non secumfert necessario execrationem ecclesiae simpliciter benedictae, quia benedictio ecclesiae et consecratio altarium nullatenus connexae sunt. Pariter execratio altarium sive mobilium, sive immobilium secundariorum non secumfert execrationem ecclesiae consecratae ob eamdem rationem et praeterea id saltem tradit *cap. 1*, *De consecratione ecclesiae vel altaris*, ibi: « Propter hoc vero (nempe propter execrationem altaris) nequaquam reiterare suam consecrationem consuevit; licet id quidam canones innuere videantur ». Guyet, *Heortologia*, *lib. I*, *cap. III*, *quaest. VII*, putat execrationem altaris majoris secumferre execrationem ecclesiae consecratae. Hanc opinionem non admittimus, tum quia relatum *cap. 1*, *De consecratione ecclesiae vel altaris*, non distin-

guit inter altare majus et altaria secundaria, tum quia, licet ecclesia consecrari nequeat, quin simul consecretur altare majus (*n. 160*), tamen duae consecrationes sunt essentialiter distinctae, et ideo sicuti ecclesiae consecratio existere potest sine consecratione altaris majoris (*n. 161*), ita sine eadem potest perdurare. Utrum viceversa ex execratione ecclesiae sequatur execratio altarium, suo loco videbimus. Execratio autem coemeterii non secumfert execrationem ecclesiae.

186. Ut huic materiae finem imponamus, animadvertimus in *can. 38, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, praescribi: « Ligna ecclesiae dedicatae non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam ecclesiam, vel igne sunt comburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus (1); in laicorum vero usum non debent admitti ». Hic canon vim obligandi non habet, cum ex una parte de illius auctore non satis constet (2), et ex alia ligna separata ab ecclesia quamlibet consecrationem aut benedictionem amiserint. At hic canon indicat quantam debeamus venerationem ecclesiae quae *domus Dei est et porta coëli.*

Articulus II

De oratorio.

§ 1. — *Quid et quotuplex sit oratorium.*

187. Ut in hac materia haud obvia ordine procedamus, a rerum notionibus incipientes, dicimus in primis *oratorium*, spectata vi nominis, esse locum orationis, seu locum cultui addictum et reservatum. Si hic locus orationis eo potissimum fine est aedificatus ut publico fidelis populi usui deserviat, proprio nomine appellatur *ecclesia* (*n. 121*), licet

(1) Glossa addit: « Non tamen indifferenter, sed vel in capitulo, vel in dormitorio, vel in aliis religiosis locis, non in coquina, vel in vineis pastinandis ».

(2) Berardi, *Canones Gratiani, etc., p. II, cap. VII.* Friedberg hunc canonem desumit ex *Poenitentiali Theodori*, § *146.*

nonnumquam in vetustis praesertim monumentis genericum *oratorii* nomen etiam retineat (1). Si e contrario hic locus orationis destinatur potius commoditati alicujus individui, alicujus familiae particularis, alicujus communitatis, stricto sensu dicitur *oratorium*. Oratorium dicitur etiam *capella*, quin certo constet apud eruditos de hujus vocis origine (2). Nos in praesentiarum de hoc oratorio vel capella in stricto sensu agimus.

188. Hoc autem oratorium subdividitur in *publicum* et *privatum*. Si oratorium ita inservit commoditati alicujus individui, alicujus familiae, alicujus communitatis, ut nihilominus omnibus fidelibus sit verum jus accedendi et assistendi divinis officiis quae ibi celebrantur, oratorium est *publicum*. Haec notio oratorii publici cohaeret juri Romano; nam Celsus in *l. 6 ff., De contrahenda emptione*, etc., et Papinianus in *l. 72 ejusd. tit.*, loca *publica* definiunt quae in *publico usu sunt*, vel *habentur*; Pomponius in *l. 1 ff., De locis et itineribus publicis*, quae ad *usum omnium pertinent*; Ulpianus in *l. 2 ff., Ne quid in loco publico vel itinere fiat*, quae *publico usui destinata sunt*. Si e contrario ita inservit commoditati alicujus individui, alicujus familiae particularis, alicujus communitatis, ut aliis omnibus fidelibus verum jus non sit accedendi et assistendi divinis officiis ibi celebratis, oratorium non est publicum, sed *privatum*.

189. Tandem oratorium privatum, si inservit commoditati alicujus individui vel alicujus familiae particularis, est stricte *privatum* seu *domesticum*; si autem inservit commoditati alicujus communitatis, e. g., seminarii, monasterii etc., est late *privatum*, et a nonnullis non immerito nuncupatur *semi-publicum* vel *semi-privatum* (3).

190. Juxta has notiones quisque facile intelligit ad publicitatem oratorii omnino requiri ut oratorium non sit in

(1) In antiquitate *oratoria* proprie dicebantur parvae, sed verae ecclesiae, reservato ecclesiae vocabulo praesertim cathedralibus et parochialibus.

(2) Vide Gattico, *De oratoriis domesticis, cap. II.*

(3) De variis decursu temporum vocis *oratorii* significationibus, vide *Gattico, op. cit., cap. I.*

alicujus dominio, quo fideles excludi possent (1), et ut janua illius pateat in publicam viam e qua fideles possint illud libere adire ; vel, si ad oratorium e via publica pervenitur per atrium domus, per praedium, per aream campumque de alicujus dominio, ut dominus nequeat liberum fidelium accessum et recessum jure impedire (2) ; secus enim verum jus omnium fidelium accedendi et assistendi divinis officiis in oratorio celebratis ne intelligi quidem potest, et ideo oratorium non est publicum. Hinc est quod plures oratorium publicum definiunt illud *cujus janua publicae adjacet viae vel quod ingressum in via publica habet* (3), ita scilicet ut omnibus fidelibus jus verum sit accedendi et assistendi divinis officiis ibi celebratis ; quae definitio, hoc sensu intellecta, in nostram recidit. Janua in via publica est publicitatis oratorii indicium, cum illud fidelium jus significet ; sed sine illo fidelium jure, oratorium, non obstante janua in via publica, foret privatum ; et cum illo fidelium jure, oratorium est publicum, etsi janua viae publicae non adjaceat, juxta superius exposita. Aliud indicium publicitatis oratorii est campana cum campanili, quae, fideles convocans ad divina officia, quodammodo alte proclamat haec omnibus patere ; sed non repugnat dari oratorium publicum sine campana, et oratorium privatum cum campana, e. g., ad convocandos solos operarios illius officinae (4). Utrumque autem indicium, nempe janua in via publica et campana cum campanili, validius est et quasi peremptorium publicitatis oratorii argumentum. Praestat ut notiones datas auctoritate documentorum Sedis Apostolicae comprobemus.

191. Has notiones in primis desumimus ex responsione S. R. C. in *Suessionen.*, *22 Julii 1855* (n. 5215). Nam proposito dubio : « 3° Juxta decretum in una *Marsorum*, *diei*

(1) Sed posse in publicum oratorium, imo et in ecclesiam haberi jus patronatus evidens est et nemo ignorat.

(2) Nil interest si hoc jus populo sit acquisitum praescriptione, aut valido domini chirographo. Romae tale oratorium adest in palatio *Altemps*.

(3) D'Annibale, *III*, § *3* ; Gattico, *op. cit.*, *cap. III*, *n. IV* ; Ferraris, *Bibliotheca etc. v. Oratorium*, *Additiones ex aliena manu*, *n. 106 sequ.* ; Fagnanus, in *cap. 30*, *De privilegiis. n. 18.*

(4) Gattico, *l. c.*, *n. 12 sequ.* ; Ferraris, *l. c.*

12 Nov. 1831, ad dubium 31[um], festum titularis capellarum publicarum quae existunt in aedibus episcopalibus, seminariis, hospitalibus, celebrari non debet ritu duplici primae classis cum octava. Et juxta decretum in una *Vicariatus Ruremundensis in Hollandia, diei 27 Febr. 1847, ad dubium 3*[um], professores et seminaristae in majoribus constituti ordinibus tenentur ad octavam ecclesiae seminarii, quae quamvis non sit parochialis, tamen patet omnibus fidelibus. Quaeritur quid intelligendum sit per ecclesiam et capellam publicam » ; S. C. reposuit : « Ecclesia intelligitur quae eo potissimum fine aedificatur ut publico fidelis populi usui deserviat. Capella publica vero quae, licet ingressum habeat in publica via, attamen non tam fidelis populi libero usui destinata videtur, quam alicujus familiae vel collegii commoditati ». Igitur S. C. formaliter interrogata respondet capellam publicam esse illam quae ex una parte non tam fidelis populi libero usui destinata videtur, quam alicujus familiae vel collegii commoditati (secus est ecclesia), et ex alia ingressum habet in via publica, ita nempe ut fideli populo jus sit accedendi et assistendi divinis officiis.

192. S. C. C. in *Tusculana, 13 Nov. 1626*, tradit modum servandum a Cardinali Bevilacqua, ejusdem Praefecto, in construenda publica capella : « S. C. censuit capellam per illustriss. ac reverendiss. dominum Cardinalem Bevilacqua construendam in villa nuncupata Tusculana, si construatur in loco ad quem omnibus pateat aditus, nec habeat aditum vel prospectum ullum in privatas aedes, dictusque illustrissimus publico instrumento se obliget semitam qua itur ad capellam praedictam, cuicumque liberam in perpetuum servare atque illius dominio et juri renuntiet, edicto de privatis oratoriis hac de re edito non comprehendi, ibique de licentia Ordinarii posse Missas celebrari ». Pariter in *Vercellensi, 3 Aug. 1675*, cum episcopus prohibuisset, ne Missa diebus solemnioribus celebraretur in oratorio intra moenia castri Catallengi existente, cumque comites de Catallengi exponerent idem oratorium esse sacra supellectili instructum, ab immemorabili tempore in ea, nocte Nativitatis Domini, pluries celebratam fuisse Missam solemnem ;

episcopos antecessores illud visitavisse, in eo administratum fuisse sacramentum confirmationis, et tandem publicum et *liberum ad illud haberi aditum*, cum nocturno tantum tempore clauderetur janua praedicti castri, S. C. reposuit : « Oratorium esse publicum adeoque licitum esse ibi celebrare festis etiam solemnioribus ».

193. Tandem, ut alia plura omittamus, Clemens XII in litteris scriptis episcopo Placentino pro publicae capellae erectione relatis a Gattico, *op. cit.*, *cap. III*, *n. 1*, haec habet : « Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, si capella praedicta publico in loco sita sit ejusque porta viae publicae adjaceat..., capellam hujusmodi sub prohibitione de mandato fel. rec. Pauli PP. V, praedecessoris Nostri, de non celebrando in privatis oratoriis publicata, minime comprehensam declarantes... sacrosanctum Missae sacrificium... celebrari auctoritate apostolica permittas ».

Alia documenta habes infra, et nominatim vide responsionem S. C. C. in *Savonensi* relatam *n. 204*.

194. Ex dictis apparet, e. g., esse ut plurimum privatas (*semi-privatas* seu *semi-publicas*) capellas seminariorum, non solum capellas minores in quibus sacerdotes celebrant Missam, sed ipsam capellam communem, quia ex una parte omnibus fidelibus jus non est illam adeundi, et ex alia ipsa commoditati alicujus communitatis inservit ; item capellas aliorum collegiorum, carcerum, hospitalium etc., licet aliquando ecclesia hospitalis sit oratorium publicum, imo publica ecclesia, e. g., ecclesia S. Spiritus Romae. Item capellas monasteriorum sive virorum sive mulierum, licet ecclesia major monasterii virorum et ecclesia monialium cum clausura saepe sit publica ecclesia aut oratorium publicum. Pariter ex dictis apparet esse privatas (stricte *privatas* seu *domesticas*) capellas in domibus privatis, in palatio civitatis, provinciae, senatus, camerae deputatorum, principis etc., quia istae capellae non sunt destinatae usui omnium aut alicujus communitatis, sed alicujus individui, aut alicujus familiae particularis. Item parva illa oratoriola quae in coemeteriis a familiis cri-

guntur, ut pro sepulcro familiali, gentilitio, etc., inserviant. Item oratoria aedificata in agro aut solo privato, licet ab omnibus domibus distincta, ut saepe declaravit S. C. C. apud Fagnanum in *cap. 30, De privilegiis, n. 18.*

195. Oratoria sive publica sive privata esse antiquissima ipsa rei natura suadet; imo sunt antiquiora ecclesiis, et omnium antiquiora sunt oratoria privata privatae domus. Revera coenaculum in quo Christus D. primam Missam celebravit in institutione Eucharistiae, erat quodammodo oratorium privatum privatae domus. Deinde Apostoli, initio suae praedicationis, saepe debuerunt Missae sacrificium offerre privatis in domibus sive in oratorio sive extra oratorium, e. g., S. Paulus, de quo *Act. XX, 7.* At oratorium quod includebatur in *domo ecclesiae* (*n. 122*), non erat, si proprie loqui velimus, oratorium neque publicum neque privatum, sed erat vera ecclesia, cum eo potissimum fine esset instructum, ut publico fidelis populi usui deserviret. De historia oratoriorum legendus est Gattico, *op. cit., cap. IV sequ.* Hodie quam plurima istiusmodi oratoria cujuscumque speciei habentur. In Oriente autem est potior ratio celebrandi in privatis oratoriis, quia ecclesiae non habent nisi unum altare, et postquam una super illo Missa celebrata est, alia ibidem celebrari non potest (1); de quâ re fusius suo loco.

§ 2. — *De oratorio publico.*

196. Ad publica oratoria quod attinet, dicimus haec plerumque aequiparari ecclesiis. Proinde ea quae de ecclesiis diximus, de oratoriis publicis plerumque repetenda sunt. Praestat nonnulla in specie quae magis practica sunt, prosequi.

197. In primis pro oratorio publico aedificando, sicuti pro extruenda ecclesia, consensus episcopi est necessarius, qui eum negabit, si dos competens non constituatur, aut oratorium vergat in damnum aliorum, aut in proprietate privatae familiae sit, quin sufficientes cautiones praebeantur (*n. 125*). Praeterea episcopus exiget ne janua vel fenes-

(1) Benedictus XIV, const. *Magno*, 2 *Junii* 1751, § 10.

tra in domum privatam aperiatur, vel ut aperta claudatur (*n. 126*), seu, ut ait Clemens XII in epistola ad episcopum Placentinum citata a Gattico, *op. cit.*, *cap. III*, *n. 11* : « Ejus (capellae a viro nobili erectae) porta viae publicae adjaceat et in ea nulla alia porta quae ad aliquam domum ducat, existat, et quatenus existat, claudatur omnino atque ita a privatis domibus separata sit, ut per eas ad eam accessus aut prospectus nemini pateat ». Die *2 Aug. 1856*, S. C. C. permisit quidem V. Z. januam aperire inter cubiculum suae privatae domus, et publicum oratorium, domui adnexum et sui juris patronatus ; sed inter alia exigit « ut proximum oratorio cubiculum ad dormitorii usum non inserviat ». Insuper requiret alia omnia requisita pro publicitate oratorii, quae supra exposuimus. Tandem apponet, si quas vult, conditiones de Missa non celebranda aliquibus diebus aut aliquibus horis, quas postea apponere amplius non posset (*n. 126*). Huc spectat responsio S. R. C. in *Monasterien.*, *14 Junii 1845* (n. 5015). Nam oratorium publicum de consensu episcopi erectum fuerat, ita ut licentia celebrandi sese non extenderet ad dominicos festosque dies de praecepto, ne fideles concionem in parochiali ecclesia, haud remota, aliaque parochialia exercitia negligerent. S. C., haec probans, indultum celebrandi in oratorio diebus dominicis aliisque festis contra episcopi praescriptum non concessit. At licet episcopus possit, servatis servandis, consentire erectioni oratoriorum publicorum in genere, tamen oratoria publica, intra privatorum aedes posita, S. C. C. *die 26 Julii 1616*, censuit, si antiqua sunt, esse extra domum transferenda, aperta, si fieri possit, janua in publicam viam ; nova autem erigere *e re non esse* (1), licet sub decreto Conc. Trid. prohibentis Missae celebrationem privatis in domibus non comprehendantur ; de qua re infra.

198. Oratorium publicum, sicuti ecclesia, erigi solet et debet sub alicujus nomine, quo nuncupatur ; atque ita etiam oratorium publicum suum habet titulum. De titulo oratorii publici vide et applica quae *n. 137 sequ.* diximus de titulo ecclesiae.

(1) D'Annibale, *III*, § *3*, *not. 16* ; Gattico, *op. cit.*, *cap. XIII*, *n. 7.*

199. Erectum oratorium publicum, sicut ecclesia, debet dedicari ut aptum sit divinis officiis et praesertim celebrationi Missarum, licet episcopus, ex gravi causa, in casu extraordinario, permittere in eodem possit Missae celebrationem ante omnem dedicationem. Poteritne consecrari ? Certe neque necessitas neque decentia urget oratorii publici consecrationem, quod clare patet ex Rituali Romano relato *n. 151*. Sed episcopus potest illud etiam consecrare, una cum altari immobili, nec desunt oratoriorum publicorum consecratorum exempla, quae infra habes.

200. Si oratorium publicum est consecratum, fieri quotannis debet festum tum titularis, tum dedicationis ritu duplici primae classis cum octava, juxta ea quae diximus de ecclesia *n. 137 sequ.* et *n. 172 sequ.* E contrario si oratorium publicum est tantum benedictum, fieri non posse festum anniversarium dedicationis, per se patet (*n. 174*) ; sed nec fieri potest festum titularis ritu titularium, et in hoc est differentia inter oratorium publicum et ecclesiam (*n. 112*). Haec quae diximus probantur sequentibus S. R. C. responsionibus.

201. In *Marsorum*, *12 Nov. 1831* (n. 4669), proposito dubio : « 3° An festum titularis capellarum *publicarum* et oratoriorum quae existunt in aedibus episcopalibus, seminariis, hospitalibus, domibus regularium, domibusque privatis celebrari debeat sub ritu duplici primae classis cum *Credo* et octava ? Nam oratoria publica vocantur etiam ecclesiae ». S. C. reposuit : « Ad 3um: Negative ». Fatendum est hanc responsionem rem extra dubium non ponere, quia illa oratoria quae enumerantur, sunt privata, et solum oratoria in hospitalibus et domibus regularium *possunt* esse publica.

202. In *Mechlinien.*, *1 Dec. 1841* (n. 4985), expositum fuit : « 2° Juxta decretum S. R. C. diei *12 Nov. 1831* celebrari non debet ritu duplici primae classis cum *Credo* et octava festum titularis capellarum publicarum quae existunt in hospitalibus domibusque regularium. Verum existunt in dioecesi Mechliniensi plura hujusmodi oratoria benedicta, quandoque etiam consecrata, quibus unus sal-

tem sacerdos, tamquam director seu pastor adscriptus est, qui, ex speciali commissione Ordinarii, non tantum ibidem celebrat, sed et munia quaedam pastoralia exercet, e. g., instruendo populum, aliqua sacramenta administrando, etc. Quaeritur ergo an sub decreto supracitato comprehendantur etiam praedicta oratoria, 1° si sint publica ; 2° si non sint publica, sed tantum inserviant determinatis personis, e. g., infirmis in nosocomiis vel monialibus aut aliis in monasterio sive conventu commorantibus » ; S. C. reposuit : « Ad 2um : quaest. 1 et 2 : Negative juxta decretum *dici 12 Nov. 1831* ». Hac responsione, ni fallimur, S. C. sese refert ad decretum dici *12 Nov. 1831*, et ideo docet festum titularis oratoriorum etiam publicorum faciendum non esse ritu titularium, si oratorium publicum est benedictum ; imo nec si oratorium est consecratum, sed in hoc insistendum non est, cum posterioribus decretis res melius determinetur. Hanc responsionem S. C. confirmat in *Cadurcen.*, *26 Martii 1859* (n. 5280).

203. In *Cenomanen.*, *28 Sept. 1872* (n. 5521), episcopus exponebat capellam seu ecclesiam seminarii, satis magnae structurae et proprio constantem aedificio fuisse consecratam sub titulo S. Vincentii, Caesaraugustani diaconi et martyris ; in ea celebrari omnia divina officia independenter ab aliis ecclesiis ; et fidelium usui patere. Proinde quaerebat : « 1° Utrum in illa ecclesia seu capella debeat hujus Sancti festum celebrari cum *Credo* et octava et fieri commemoratio inter suffragia ; 2° Utrum professores et seminaristae in sacris ordinibus constituti, qui ex regula seminarii ibi divina officia celebrare vel eis interesse debent, teneantur ad officium patroni, quemadmodum pro seminario Ruremundensi censuisse videtur S. C. die *27 Febr. 1847* » ; S. C. reposuit : « Ad 1um et 2um : Affirmative ». Proinde si oratorium publicum est consecratum, celebrari debet a clericis eidem addictis festum tum titularis tum dedicationis. Vide etiam *Vicariatus Ruremundensis in Hollandia*, *27 Febr. 1847*, *ad 3um et 5um* (n. 5079), et *Sagien.*, *30 Martii 1878* (n. 5721). Ceterum si id verum quoque est de semiprivato seu semi-publico oratorio consecrato (*n. 216*), a fortiori vel a pari verum erit de oratorio publico.

204. Ceterum in publico oratorio, si episcopus nullam ab initio limitationem apposuit, Missa celebrari potest etiam in diebus solemnioribus, nec episcopus, uti diximus, id impedire amplius valet. Id expresse edixit S. C. C. in *Vercellensi* citata *n. 192*. Ad rem etiam facit responsio S. C. C. in *Savonensi, 28 Julii et 8 Sept. 1724*. In constitutionibus enim synodalibus an. 1627 dioecesis Savonensis expresse cavebatur in oratoriis in quibus concessa fuerat licentia generaliter Missam celebrandi, non posse celebrari diebus solemnioribus Nativitatis, Epiphaniae, etc. ; in constitutionibus vero synodalibus an. 1667 excipiebatur insuper triduum Passionis Domini, et si quis in aliquo ex recensitis diebus ausus fuisset in oratorio celebrare, oratorium quidem ipso facto submittebatur ecclesiastico interdicto, sacerdos vero poena suspensionis latae sententiae puniebatur. Cum vero sacerdos P. die Paschatis in aede sacra S. Mariae de Areneto celebravisset, episcopus Savonensis eum declaravit suspensum, et aedem sacram S. Mariae de Areneto interdictam. Re delata ad S. C. C., quaestio agitata fuit, utrum illa aedes sacra esset *oratorium privatum*, quod prohibitio constitutionum synodalium certe affecisset, an *oratorium publicum*, quod non affecisset, cum in eo Missa, ut dictum est, etiam diebus solemnioribus jure communi celebrari valeat. Episcopus contendebat esse oratorium privatum, quia pertinebat ad senatorem imperialem et antiqua janua per quam patebat aditus in viam publicam, modo clausa erat, et in latere ipsius oratorii aperta erat porta non in viam publicam, sed in atrium palatii senatoris, muris circumdatum, ita ut ingressus a via publica ad oratorium non daretur, nisi mediante ostio praedicti atrii ; demum oratorium erat versus medium muro quodam divisum. E contrario sacerdos P. et senator imperialis sustinebant esse publicam ecclesiam (id est oratorium publicum), tum quia antiquitus illa aedes sacra fuerat ecclesia monialium ; tum quia fuerat consecrata, uti patebat ex crucibus adhuc in eadem existentibus ; tum quia aderat campanile cum campana ; tum quia de assensu parochi in eadem consuevit conservari oleum sanctum, administrari sacramenta

poenitentiae et eucharistiae, solemnizari publicas festivitates cum magno fidelium concursu et Missam celebrari nocte Nativitatis et diebus solemnioribus etiam post editas synodales constitutiones ; tum tandem quia ipse Clemens XI in quodam rescripto *diei 21 Febr. 1705* illam aedem sacram appellabat *ecclesiam*. Addebant locum situm ante aedem sacram non esse atrium palatii senatoris imperialis, sed potius plateam ecclesiae, et fideles accedentes ad ecclesiam posse in eamdem ingredi, quin palatium senatoris ingrederentur. Propositis dubiis : « 1° An aedes sacra S. Mariae de Areneto sit ecclesia publica vel oratorium privatum in casu ; 2° An constet de nullitate et injustitia interdicti et respective suspensionis a divinis in casu » ; S. C. reposuit *die 28 Julii 1724* : « Dilata et fiat planta judicialis et addatur dubium juxta mentem » ; et tandem *die 9 Sept. ejusd. an.* rescripsit : « Praevio recessu a decisis, ecclesiam esse publicam, facta tamen per senatorem imperialem in publico instrumento declaratione, se nullum jus habere in area sita ante ecclesiam, nec non quod claves tam ecclesiae, quam areae praedictae retineantur a capellano, et ad D Secretarium cum SSmo pro declaratione quod area non gaudeat immunitate ; et quoad secundum, affirmative et amplius ». Multo minus, consentiente episcopo, id impedire potest parochus, in cujus territorio est oratorium ; de qua re vide responsionem S. R. C. in *Novarien.*, *3 Mart. 1866* (n. 5361).

De execratione publici oratorii seu benedicti seu consecrati repete ea quae de ecclesiae execratione disputata sunt *n. 180 seq.*

§ 3. — *De oratorio privato.*

I

Utrum episcopus possit necne permittere in oratorio privato Missae celebrationem.

205. Oratoria privata certe nemo unquam prohibuit et nemo prohibet erigere sive in domo privata alicujus individui vel familiae particularis (oratoria stricte *privata* seu *do-*

mystica) sive in domo alicujus communitatis (oratoria *semi-privata* seu *semi-publica*), etiam sine ulla episcopi seu Ordinarii licentia et absque ullius dotis constitutione. Certe in his oratoriis privatis Missa celebrari nequit per se et absque ullius permissione. Operae pretium est inquirere num possit episcopus Missae celebrationem in eisdem permittere, seu num episcopus concedere valeat privilegium oratorii privati.

206. Antiquitus poterat, sed deinde pro bono spirituali fidelium, et ad radicitus evellendos abusus qui irrepserant, id vetitum, saltem in aliquibus locis, fuit quoad privata privatarum domorum oratoria. Revera concilium Laodicenum (saec. IV), in *can. 58* statuit : « Quod non oporte in domibus fieri oblationem ab episcopis vel presbyteris » ; quibus verbis, quidquid in contrarium dicit Gattico, *op. cit.*, *cap. IV*, *n. 8*, concilium vetat episcopis et celebrare in domibus et permissionem celebrandi concedere. Similia habet Justinianus *Novell. 58* ; imperiali lege canones confirmante prohibet in domibus quasdam quasi orationum domos habere et *in his sacra celebrare mysteria*, easdemque permittens *orationis gratia et nulla celebrandi penitus horum quae sunt sacri mysterii*. Item in *can. 33*, *dist. 1*, *De consecr.*, in Decreto, haec habentur : « Unicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere et ibi orare ; Missas autem ibi celebrare non licet » (1). Non videtur dubium in his canonibus agi solum de oratoriis privatis in domibus privatis ; et ideo putamus, non obstantibus his canonibus, integram episcopis remansisse potestatem circa oratoria privata in domibus non privatis, e. g., in monasteriis.

207. Tractu temporis hanc disciplinam Ecclesia moderata est, atque rursus admisit episcopos posse etiam in privatis privatae domus oratoriis Missae celebrationem permittere. Revera concilium Trullanum (an. 692) tulit *can. 31* : « Clericos qui in oratoriis quae sunt intra domos, sacra faciunt, vel baptizant, hoc illius loci episcopi

(1) Tribuitur hic canon concilio Aurelianensi IV, *can. 3* ; sed revera est *can. 6* pseudo-capit. Ingelheim, ex apocryphis Benedicti Levitae capitularibus compilatum. Cf. Friedberg, *in hunc locum*.

sententia facere debere decernimus ; quare si quis clericus hoc non sic servaverit, deponatur ». Hunc canonem habes in *can. 34, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto. Pariter concilium Agathense (an. 506) in *can. 21*, statuit : « Si quis etiam extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus ut ibi Missas teneat, propter fatigationem familiae, justa ordinatione permittimus. Paschate vero, Natali Domini, Epiphania Domini, Ascensione Domini, Pentecoste, et Natali S. Joannis Baptistae et si qui maximi dies in festivitatibus habentur, nonnisi in civitatibus aut in parochiis teneant. Clerici vero si qui in festivitatibus quas supra diximus (nisi jubente aut permittente episcopo) Missas facere aut tenere voluerint, communione priventur ». Hunc canonem Gratianus refert, *l. c., can. 35*. Agitur in hoc canone de oratoriis privatis privatae familiae, ut patet : unde Glossa, *l.c.*, *v. Oratorium*, animadvertit : « Hoc exaudi de oratorio privato, secus in oratoriis aliis quae populus facit ; nam ibi in festivitatibus celebrare licitum est ». Et synodus permittit in his oratoriis Missae celebrationem, in reliquis quidem solemnitatibus pure et simpliciter, propter fatigationem familiae ; in solemnioribus vero supra recensitis ex licentia episcopi tantum. At in *lib. V Capitularium Caroli Magni, cap. 230*, legitur : « Qui in domo oratorium habuerit, orare ibi potest, tamen non audeat in eo sacras facere Missas sine permissu episcopi loci ipsius ». Unde absoluta synodi Agathensis permissio pro reliquis anni solemnitatibus videtur deinceps fuisse suppressa, ita ut licentia episcopi foret necessaria et sufficiens pro celebranda quacumque die Missa in hisce privatis privatae domus oratoriis. Demum hoc episcoporum jus Missae celebrationem permittendi in hisce privatis privatae domus oratoriis, clare affirmatur in *cap. 30, De privilegiis*, ubi Honorius III docet fratres Praedicatores et Minores, ex privilegio apostolico altaris viatici, posse ubicumque celebrare sine licentia episcopi loci ; et rationem addit, quia alias inutilis ipsis fuisset praefata licentia, « sine qua id, praelatis annuentibus, liceret eisdem ».

208. Tandem Conc. Trid., *sess. XXII*, in decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missae*, statuit: « Neve patiantur (episcopi) privatis in domibus atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus et regularibus quibuscumque peragi, ac nisi prius qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse... non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque ». Hoc Tridentino jure hodie regimur in hac materia; proinde praestat ut illud, praeeunte S. C. C., breviter explicemus.

209. Dicimus igitur Trid. Conc. his verbis non solum revocare episcoporum potestatem permittendi Missae celebrationem omnino extra ecclesiam et oratoria divino tantum cultui dicata, sed etiam eorum potestatem permittendi Missae celebrationem in oratoriis privatis domorum privatarum, salva eorumdem potestate permittendi Missae celebrationem in oratoriis domorum non privatarum; ita ut decreto Tridentino antiqua restituatur disciplina, de qua *n. 206*.

210. Ut hoc demonstremus, in primis supponimus illud *Neve patiantur* (episcopi) importare prohibitionem episcopis factam ne patiantur seu permittant, ideoque revocare eorum potestatem permittendi, si quam habebant. Id satis clarum est ex ipsa verborum significatione; et ita haec verba fuerunt communiter intellecta, et post tot ac tantas Sedis Apostolicae declarationes, quarum plures infra habes, non licet amplius de hac re dubitare. Jamvero Conc. Trid., relatis verbis, vetat ne episcopi patiantur Missam celebrari 1° *privatis in domibus;* 2° *omnino extra ecclesiam et oratoria ad divinum tantum cultum dedicata*. Nonnulli utramque prohibitionem ita conjunxerunt ut sensus esset episcopos non posse permittere Missae celebrationem privatis in domibus extra ecclesiam et oratoria; unde deducebant posse illam permittere in privato oratorio privatae domus. Hanc interpretationem falsam esse demons-

trat Fagnanus in *cap. 30, De privilegiis, n. 17*, his verbis : « Ratio est quia cum in secunda prohibitione Concilium statuat ne episcopi permittant ne celebretur extra ecclesiam et extra oratoria ad divinum cultum dicata, supervacanea fuisset prohibitio de non celebrando in privatis domibus, si liceret in eis celebrare in oratorio dedicato ad cultum divinum ; satis enim fuisset simpliciter prohibere ne celebraretur in locis extra ecclesiam et extra oratoria, ut supra, dedicata, nam per hoc satis clare fuisset prohibita celebratio in privatis domibus, in quibus non extarent hujusmodi oratoria ». Sensus igitur Concilii est episcopos Missae celebrationem in privatis domibus permittere non posse neque in oratorio ad divinum tantum cultum dedicato ; in aliis vero locis, praeter privatas domus, eam permittere posse, non autem omnino extra ecclesiam et oratoria divino tantum cultui dicata. Hinc S. C. C. in epistola, jussu Pauli V missa ad omnes episcopos *die 25 Oct. 1615*, ait : « Tametsi sacra Cardinalium Congregatio Concilii Tridentini interpretum, optimis innixa rationibus, saepissime responderit celebrandi licentias in privatis oratoriis nonnisi a Sede Apostolica esse concedendas... illustrissimi Patres, SSmi Domini Nostri jussu, significandum duxerunt facultatem hujusmodi licentias dandi ipsius Concilii decreto unicuique ademptam esse solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam ». Hinc etiam S. R. C. in *Taurinen., 20 Sept. 1749* (n. 4205), proposito dubio : « 7° An episcopi non habentes facultatem specialem concedendi in oratoriis privatis et capellis pro saecularibus et aliis legendi Missam, possint licentiam dictam petentibus concedere » ; respondit : « Ad 7um : Negative ». Hinc tandem, aliis omissis, Benedictus XIV in const. *Magno, 2 Jun. 1751*, § *11* : « Ex eo (decreto Conc. Trid.) factum esse ut non amplius episcopis facultas sit concedendi usum oratoriorum privatorum in domibus laicorum causa in iisdem Missam celebrandi, cum licentia quae ab ipsis daretur celebrandi Missam in oratoriis privatis neutiquam stare possit cum praecepto a Concilio eisdem ipsis imposito ne id permittere debeant, ac proinde praedictum jus ad S. Sedem devolutum fuisse, quoniam circum-

stantiae temporum et oratoriorum privatorum in laicorum domibus dilatatio minime permittebant, ut eadem prorsus abolerentur. Atque hujusmodi semper fuit conciliaris textus intelligentia quam tradidit S. C. C., privativa ejusdem interpres, etc. ».

211. Nos in praesenti non insistimus in prohibitione Tridentini ne episcopi permittant Missam celebrari *omnino extra ecclesiam et oratoria divino tantum cultui dicata*; de qua alias redibit sermo (*n. 260 sequ.*) Interim certum esse debet ex dictis episcopos a Tridentino privatos esse facultate permittendi Missae celebrationem privatis in domibus etiam in oratorio ad divinum tantum cultum dedicato. Cum vero Concilium loquatur tantum *de privatis domibus*, ejusque verba, utpote restrictiva antiquae indefinitae potestatis episcoporum (*n. 206, 207*), sint strictae interpretationis, sequitur episcopos conservare potestatem quam habebant, permittendi Missae celebrationem in *domibus non privatis*, dummodo Missa ibi non celebretur *omnino extra ecclesiam et oratoria divino tantum cultui dicata*. Hinc, ut diximus, decreto Tridentino aufertur episcopis potestas permittendi Missae celebrationem in oratoriis privatis domorum privatarum; sed salva eis relinquitur potestas permittendi Missae celebrationem in oratoriis privatis domorum non privatarum (1).

212. Si autem quaeratur quaenam sit *domus privata* de qua Conc. Trid., *l. c.*, respondemus haec verba quae sunt strictae interpretationis, ut diximus, significare habitationem alicujus individui vel familiae particularis, ad distinctionem *domus communis* seu publicae, quae est habitatio alicujus communitatis. Confirmatur quia de his praecise habitationibus alicujus individui vel familiae particularis loquebantur antiqui canones prohibentes (*n. 206*) et posteriores permittentes (*n. 207*), et non est dubium Conc. Trid. voluisse relatis verbis illos restituere, hos supprimere.

(1) Ballerini-Palmieri, *Opus Theologicum Morale, vol. IV, n. 308*, putat prohibitionem a Concilio factam episcopis ne permittant Missae celebrationem in domibus privatis etiam in oratorio, claram non esse. Sed quid clarius ?

Sedis Apostolicae documenta *privatam domum*, de quâ Conc. Trid. *l. c.*, appellare etiam solent *laicorum domum*, *privatam laicorum domum*, *parietes domesticos*, etc.

213. Juxta traditam notionem, non sunt *domus privata* de qua in decreto Conc. Trid., neque loca religiosa, auctoritate Ordinarii erecta, neque loca publica, etiam sine auctoritate Ordinarii erecta, prouti patet ex responsione S. C. C. in *Monasteriensi, 5 Aprilis 1851*, relata *n. 225*. Proinde non est privata domus de qua in decreto Conc. Trid. : 1° *Seminarium* sive urbanum sive rurale, auctoritate episcopi erectum, uti reposuit etiam S. C. C. die *11 Julii 1620* ; 2° *Hospitale, orphanotrophium* aliaque similia pia loca, etsi laica dumtaxat auctoritate erecta. Revera in *Viglevanensi, Oratorii, 27 Mart. 1846*, propositis dubiis : « 1° An oratoria in hospitalibus ceterisque piis locis absque episcopi auctoritate erectis constituta in prohibitione Conc. Trid. comprehendantur? 2° An sub eadem prohibitione comprehendantur orphanotrophia ? » ; S. C. C. reposuit ad utrumque negative (1) ; 3° *Carcer publicus*. Hinc in *Calaritana, 14 Nov. 1618*, ad dubium : « An sub prohibitione (decreti Pauli V) comprehendatur capella carcerum publicorum, et petenda sit eadem licentia a Sede Apostolica vel sufficiat licentia Ordinarii, si hujusmodi capella sit in loco decenti ornata » ; eadem S. C. C., apud Lucidi, *l. c.*, reposuit : « Non comprehendi capellam carcerum publicorum ». 4° *Domus spiritualibus exercitiis peragendis addicta*, auctoritate episcopi erecta, uti eadem S. C. rescripsit in cit. *Monasteriensi* ; 5° *Monasterium virorum*, legitime erectum, sive cum votis solemnibus, uti omnibus certum est, sive cum votis simplicibus. Revera est domus religiosa, communitatis scilicet religiosae, et de facto episcopi permittere solent Missae celebrationem in privatis harum domorum oratoriis : tandem S. C. C., apud Gattico, *op. cit.*, *cap. XVI, n. 15*, id declaravit pro domo presbyterorum saecu-

(1) Apud Lucidi, *De vis. sacr. lim.*, *tom. I*, *art. VII*, *n. 109* ; contra Gatticum qui, *op. cit.*, *cap. XVI*, *n. 14*, putat hospitalia non erecta auctoritate ecclesiastica comprehendi sub prohibitione.

larium Oratorii Neapolitani, qui habent vota simplicia, et pro domo congregationis Piorum Operariorum qui pariter habent vota simplicia; quas declarationes aliis similibus domibus Congregationum Religiosarum cum votis simplicibus esse applicandas, dubitari nullo modo potest. Imo ob easdem rationes applicandae sunt etiam domui presbyterorum saecularium sine votis in communi viventium et religiosam familiam ab episcopo probatam efformantium, uti sunt, e. g., Missionarii dioecesani adeo in Galliis frequentes (1). Etiam regularium grancias non esse *domus privatas*, si hoc nomine intelligantur parvi conventus ab alio monasterio dependentes, certum est; 6° *Monasterium monialium*, legitime erectum, sive cum votis solemnibus, sive cum votis simplicibus, etiam sine clausura, sicuti supra diximus de monasterio virorum (2); 7° *Collegia* pro educatione puerorum vel puellarum, etiam sine auctoritate Ordinarii erecta, e. g., ab auctoritate civili, sive quia haec collegia sunt potius loca publica, communitati inservientia, sive ex praxi ubique recepta, qua episcopi jure proprio permittere solent Missae celebrationem in privatis horum collegiorum oratoriis; quod si haec collegia diriguntur a religiosis viris aut mulieribus, sunt ad instar monasteriorum et ideo a fortiori quae diximus, vera erunt (3); 8° *Aedes reservata alicui confraterni-*

(1) Pro publicis carceribus obstare videtur responsio in *Rossanen.*, *30 Julii* 1837 (n.5094), ubi episcopus petit necessarias facultates pro erigendis capellis in publicis carceribus, et S. R. C. easdem concedit, dummodo archiepiscopus orator provideat vel per se, vel per suum vicarium generalem, vel aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam decentiae loci, in quo provisorie erigendum est altare portatile. Pro monasteriis virorum, obstare videtur responsio in *Sutrina Oratorii*, *11 Jun. 1718*, qua *Presbyteris Doctrinae Christianae* celebratio Missae a S. C. C. permittitur in eorum oratorio etc.; et ita etiam plures aliae similes SS. CC. responsiones. Sed animadverti potest has responsiones probare SS. CC. potestatem permittendi celebrationem Missae in his oratoriis, sed non excludere episcoporum potestatem.

(2) Contra Gatticum qui, *op. cit.*, *cap. XIX*, *n. 14 sequ.*, putat esse *privatam* domum religiosarum cum votis simplicibus sine clausura, citans plura indulta a Sede Apostolica concessa. Sed rursus putamus haec indulta non excludere episcoporum potestatem.

(3) Gattico, *op. cit.*, *cap. XVI*, *n. 11*, qui tamen extra hunc casum putat haec collegia esse privatas domus.

tati vel alicui piae associationi probatae ab episcopo, uti est, e. g., *un patronage*, et revera praxis ubique recepta has aedes non habet uti privatas ; insuper pro aede confraternitatis id declaravit etiam S. C. C., apud Fagnanum, in *cap. 30, De privilegiis, n. 22 sequ.* ; 9° *Universitas studiorum*, quam pariter non habemus privatam domum, de qua Tridentinum, sed locum publicum, contra Gatticum, *l. c., n. 10.*

214. Proinde, admissa interpretatione verborum Tridentinorum supra exposita, in his et similibus locis episcopus permittere adhuc potest jure proprio Missae celebrationem, sed solum in oratorio. Imo in his locis pro necessitate aut opportunitate possunt, cum episcopi permissione, haberi ad Missarum celebrationem non unum tantum, sed plura istiusmodi oratoria semi-privata seu semi-publica. Ratio juridica est, quia, sublata episcoporum potestate permittendi Missae celebrationem in privato privatae domus oratorio, Conc. Trid. episcoporum potestatem pro oratoriis domorum non privatarum intactam reliquit ; de qua re Gattico, *op. cit.*, *cap. XVII*, *n. 5* ; proinde, sicut episcopus ante Tridentinum poterat plura hujusmodi oratoria in domo non privata permittere, ita et post Tridentinum. At in monasterio monialium cum clausura papali episcopum non posse permittere Missae celebrationem intra clausuram, obstante ejusdem clausurae lege, evidens est ; relativum indultum apostolicum difficile conceditur, sed ejus exempla non desunt, praesertim in favorem plurium monialium infirmarum in eodem loco degentium (*infirmerie*) (1).

215. Ut vero episcopus hanc licentiam rite concedat plura requiruntur. Scilicet :

1° Oratorium debet ab Ordinario *designari* et *visitari*, uti expresse Tridentinum praescribit. Notandum Conc. Trid. exigere Ordinarii *designationem* et *visitationem*, dum e contrario pro oratoriis privatis domorum privatarum exigitur tantummodo Ordinarii *visitatio* et *approbatio* (*n. 235*), quia oratoria semi-publica seu semi-privata sine Ordinarii

(1) Gattico, *op. cit.*, *cap. XIX, n. 7 sequ.*

licentia ne erigi quidem debent, erecta autem adhuc debent ab Ordinario visitari et approbari ; dum oratoria stricte privata seu domestica in domibus privatis possunt pro domini lubitu erigi, et, obtento a Sede Apostolica privilegio pro Missae celebratione, ab Ordinario visitantur, num omnia rite se habeant et subinde approbantur. Posse episcopum ratam habere designationem ab alio factam, e. g., a superiore seminarii, non est dubium ; insuper potest oratorium visitare per se vel per alium, e. g., per eumdem seminarii superiorem, qui referat, num omnia a jure requisita adsint.

216. 2° Oratorium debet esse *ad divinum tantum cultum dedicatum*, ut Tridentinum ait. Haec Concilii verba significant oratorium debere esse divino dumtaxat cultui reservatum. Et erigi ac reservari cultui divino solet sub alicujus nomine, quo designatur, ita ut etiam istiusmodi oratoria suum habeant titulum.

Si autem quaeratur num hoc oratorium valeat aut debeat dedicari, idest benedici aut etiam consecrari, responsio negativa traditur in *Civitaten. Provinciae Compostellanae super resolutione dubiorum, 11 Martii 1820* (n. 4265), ubi proposito dubio : « 10° Potestne episcopus vel per seipsum vel per alium sacerdotem benedicere oratorium monialium S. Augustini, quae, destituto eorum conventu, vitam degunt in quadam domo, ut possint sacramenta confessionis et sacrae eucharistiae recipere, cum absque clausura vivant » ; S. R. C. reposuit : « Ad 10um : Negative, cum oratoria privata numquam benedicantur, ritu praescripto in Rituali Romano pro publicis oratoriis ». Eadem S. C. id confirmavit in *Imolen., 27 Julii 1888* ; nam ad dubium : « Oratoria quae inter ambitum cujuscumque monasterii aedificantur in commodum religiosorum, cum oratoria strictim privata haberi nequeant, quaeritur quonam ritu sint benedicenda ; scilicet an ritu quo benedicenda est nova ecclesia vel oratorium publicum, an simplici benedictione quae *benedictio loci* nuncupatur » ; S. C. reposuit : « Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam ». Ratio est quia benedictio Ritualis est *pro nova ecclesia aut oratorio publico*, et a fortiori consecratio Pontificalis.

Proinde de regula generali oratoria privata in genere, etiam semi-privata seu semi-publica, benedicuntur tantum benedictione quam Rituale habet pro nova domo ; sed neque haec benedictio est necessaria. Hinc est quod hujusmodi privata oratoria non habentur uti loca sacra, neque eis conveniunt quae jus de locis sacris tradit. At si agatur de oratorio semi-privato seu semi-publico, e. g. seminarii, quod est capella communis seminarii, satis ampla, definitive in cultum divinum destinata, sicuti ipsum seminarium definitive est destinatum in usum seminarii, non desunt exempla horum oratoriorum benedictorum aut etiam consecratorum, episcopis verba *ecclesiae* aut *oratorii publici* Ritualis ac Pontificalis intelligentibus lato sensu. Et quoniam S. R. C. haec exempla numquam reprehendit, neque nos eadem reprehendere debemus.

Hoc autem in casu, quoad festum titularis et dedicationis, applicanda sunt quae supra *n. 199 sequ.* diximus de publico oratorio ; nempe si oratorium est tantum benedictum, fieri nequit festum non solum dedicationis, sed nec etiam titularis ; si est consecratum, fieri debet utrumque festum ritu duplici primae classis cum octava. Haec firmantur sequentibus S. R. C. responsionibus.

In *Marianopolitana, 29 Nov. 1878* (n. 5754), episcopus exponebat oratorium principale majoris seminarii dioecesani, formam ecclesiae praeseferens, fuisse consecratum ; deinceps, approbante Ordinario, consuevisse non solum singulis per annum dominicis festisque diebus officia liturgica solemniter in eo cantari, sed etiam festum titularis et dedicationis ritu duplici primae classis cum octava celebrari ab omnibus sacerdotibus, diaconis et subdiaconis eidem seminario adscriptis ; sed cum idem oratorium extraneis non pateat ideoque sit privatum, nonnullis videri festum titularis et dedicationis agi non posse. Hinc quaerebat : « Utrum ab initio recte fuerit introducta celebratio festi titularis et dedicationis supradicti oratorii ». S. C. reposuit : « Dummodo reapse oratorium fuerit consecratum, et non simpliciter benedictum, celebrandum esse officium tam Sancti titularis, quam dedicationis ».

Rursus in alia *Marianopolitana, 18 Julii 1885* (n. 5943), propositis dubiis :

« 5° An decretum in *Marianopolitana*, *29 Nov. 1878*, ex quo constat quoddam oratorium consecratum ibidem descriptum jus habuisse ut celebrentur cum octava tum ipsius festum titulare tum ejus dedicatio, extendi debeat ad oratoria ejusdem generis simpliciter benedicta, in eo sensu quod eorum titulus cum octava sit celebrandus ?

« 6° An titulus quilibet oratorii in perpetuum cultui divino ac praesertim Missae celebrandae addicti, in actu consecrationis vel benedictionis auctoritate episcopi adsignatus, eo ipso jus, saltem in actu primo, habeat, ut ejus festum (nec non et dedicatio, si sit consecratum) sub ritu duplicis primae classis cum octava celebretur, ita tamen ut exercitium istius juris non incipiat, nisi certae conditiones impleantur, quibus ab initio non existentibus vel postea deficientibus, suspenditur ?

« 7° Utrum ad supradicti juris exercitium tria haec requirantur et sufficiant : 1° Quod oratorium omnibus fidelibus pateat, vel saltem ad usum non privatae familiae, sed, v. g., personarum in seminario, hospitio, etc., degentium, adhibeatur ; 2° Quod ibidem peragi soleant, juxta dispositionem Ordinarii, quaedam functiones ecclesiasticae aut saltem divini sacrificii oblatio ; 3° Quod adscribatur sive clericus beneficiatus, sive communitas ad recitandum in choro canonicum officium stricte obligata, sive Congregatio inter membra sua numerans clericos sacris ordinibus initiatos, sive sacerdos ab episcopo deputatus ut sit proprius oratorii rector ? »

« 8° Utrum in praedictis oratoriis quae propter tertiae conditionis supranumeratae defectum celebratione festi titularis (et dedicationis) cum octava privantur, licitum sit ex decretis in *Compostellana, 8 April. 1808, ad 8um*, in una *Societatis Jesu, 18 Sept. 1877, ad 1um*, ex ipsa die qua officium etiam accidentaliter translatum recitandum foret, cantare Missam de titulo (et de anniversario dedicationis), additis, in quantum eas patitur ritus solemnitas, commemorationibus officii currentis cum evangelio dominicae vel feriae majoris in fine ?

« 9° An ubi cantatur ista Missa, ceterae, si quae ibi celebrentur, similiter de titulari (vel de dedicatione) legendae sint? »

S. C. reposuit :

« Ad 5um : Pro oratoriis simpliciter benedictis, negative, et serventur decreta.

« Ad 6um : Si sit consecratum oratorium, jus ei competit uti pro publica ecclesia consecrata : si sit benedictum, provisum in 5°.

« Ad 7um : Si oratorium sit consecratum, sufficit sola consecratio.

« Ad 8um : Si oratorium sit consecratum, serventur eadem quae in ecclesia ; si benedictum, provisum in 5°.

« Ad 9um : Si est consecratum, affirmative ».

217. 3° Oratorium debet esse decenter muro extructum, ornatum, ab omnibus domesticis usibus liberum. Haec in rescripto privilegii oratorii privati pro domo privata a Sede Apostolica concesso expresse praescribuntur (*n. 235*) ; sed cum profluant ex reverentia eucharistico sacrificio debita, merito praescribuntur etiam ab Ordinario in approbatione oratorii semi-publici seu semi-privati. Praestat eadem breviter declarare.

Nominatim cavere debet episcopus ne supra oratorium immediate sit cubiculum dormitorium (*chambre à coucher*), cum id foret indecens. Confirmatur ex responsione S. R. C. in *Cajanen., 11 Maii 1641* (n. 4325), ubi proposito dubio : « An liceat clericis seminarii habitare diu noctuque et etiam dormire in domibus aedificatis super capellis dextera navis ecclesiae cathedralis in quibus quotidie celebratur » ; S. C. rescripsit : « Non licere, sed omnino prohibendum ». In casu necessitatis permitti potest in tali oratorio Missae celebratio, si altari superposita sit umbella, vel duplex immineat concameratio. Id deducimus ex responsione S. R. C. in *Apuana, 12 Sept. 1840* (n. 4895), ubi, cum episcopus Capuanus et duces militiae in civitate Apuana indultum efflagitassent, ut in sacello militaris domus sacrosanctum Missae sacrificium, ut antea, celebrari valeret, quamvis super ipsum lectuli militum ex necessitate reperi-

rentur, constructa super ipso sacello duplici concamerazione, S. C. reposuit : « Committatur episcopo, ut, veris existentibus narratis, adhibitisque praescriptis cautelis, pro suo arbitrio et prudentia indulgeat ». Confirmatur ex responsione ejusdem S. C. in *Papien., 13 Nov. 1880* (n. 5849), ubi proposito dubio : « 3° An permitti queat ut in domibus Instituti Filiarum charitatis, vulgo nuncupatarum *Canossianae,* sanctissimum Eucharistiae sacramentum servetur in sacellis quae dormitorio puellarum educandarum subsunt ? Et quatenus negative, petitur ad hoc opportunum indultum, siquidem haud possit, sine gravi incommodo ac damno, loca pro dormitoriis ipsis distincta a praesenti usu libera reddere » ; S. C. reposuit : « Ad 3um : Pro gratia et ad mentem. Mens est ut altari imponatur ampla umbella, vulgo *baldacchino* ». Ex his responsionibus sequi videtur episcopum jure proprio id permittere non posse et recurrendum ad S. R. C. ; in praxi saepe episcopus, etiam absque speciali indulto, id permittit. Hoc indultum facilius obtinebitur, si lectus ad dormiendum et a fortiori cubiculum non immineat altari, sed reliquae capellae.

Monacelli, *tom. II, suppl. n. 181*, haec habet : « *In pertinentiis* cubiculi oratorii, nec supra capellam in qua est celebrandum, non retineatur lectus ad dormiendum aut *alia res profana*, ut monet S. Carolus..... et S. C. Immunitatis in *Tridentina, 30 Sept. 1636*, apud Riccium in *Synops. v. Capella, n. 7* ». Verba S. Caroli in concilio provinciali Mediolanensi IV, *tit. De profano usu a sacris tollendo*, haec sunt : « Ne ecclesiae, aut capellae, aut etiam oratorii in quo Missae sacrificium aliquando peragitur, tecta palearum acervis, neve aliqua lignorum struc onerentur ; ne item *a parte superiori* vel caenaculum, vel cubiculum vel omnino locum habeant ubi aut dormiatur, aut habitetur, aut quidquam prophani fiat ». Sed, excepto lecto immediate supra capellam, in praxi communiter recepta permittitur lectus aut res profana in cubiculis adjacentibus capellae ; res profana immediate supra capellam ; lectus, sed non immediate, supra capellam ; res profana aut lectus subtus capellam. Hinc S. C. C. die *11 Junii 1718*,

reposuit non obstare quominus subtus oratorium sit horreum, cella vinaria, etc. Et in *Senonen.*, *27 Julii 1878* (n. 5742), proposito dubio : « 1° Super oratorium... in quo Missae quotidie celebrantur atque asservatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum, adest locus ad ambulandum destinatus, camera tamen lapidea et crassa ab oratorio ipso separatus, cui loco superextructum est cubiculum pro habitatione novitiorum : quaeritur an talis locorum dispositio licite servari possit » ; S. C. reposuit : « Affirmative ». Haec praxis permittendi cubiculum dormitorium, contiguum capellae, refineri tuto potest, si inter cubiculum et capellam non est janua, aut, si adest, adeo clausa est, ut numquam aperiatur. At fatendum est aliquam esse indecentiam si inter capellam et cubiculum est janua quae clauditur et aperitur, ita ut sit transitus e cubiculo in capellam ac viceversa ; proinde jure merito episcopus hoc in casu Missae celebrationem in capella non permittet, nisi forte cubiculum sit potius ad laborandum, quam ad dormiendum, et lectus ibi obtectus sit.

Oratorium debet habere oratorii formam ; hinc cum episcopus Parmensis *an. 1577* interrogasset S. C. C., an concedi posset in domibus privatis sacrificium « in loco ibi destinato, non tamen oratorii formam habenti, si adsit altare » ; S. C. reposuit : « Oportet oratorii formam habere ». Haec autem forma non est determinata, sicuti et amplitudo, dummodo omnes qui Missae ibi celebratae assistere debent, commode continere valeat, et non cogantur ad ostium aut fenestram stare aut in proximo cubiculo profano, ut monet S. Carolus Borromaeus in concilio provinciali Mediolanensi I, *p. I, tit. Quae pertinent ad celebrationem Missae*. At oratorium potest etiam duobus quodammodo constare cubiculis, in quorum altero est altare, in altero autem sunt assistentes Missae, ampla janua aperta quae postea clauditur. Praeterea oratorii saltem tres parietes debent esse ex muro ; unde Cardinalis Guadagni in epist. diei *19 Febr. 1738*, quam refert Gattico, *op. cit.*, *cap. XXIII*, *n. 1*, jussu Clementis XII, agens de privilegio oratorii privati in domo privata a Sede Apostolica concesso, reprobat, tamquam contraria

verbis indulti et reverentiae tanto sacrificio debitae, armaria-capellas, posita in cubiculo domesticis usibus destinato; sunt enim licita, si cubiculum ipsum est oratorium. Plures locorum Ordinarii exigunt etiam quartum parietem ex muro cum lignea janua, per quam patet ingressus in capellam; hoc enim pacto omnes prophanationes et irreverentiae evitantur, quae facile committerentur, si ingressus omnino patens et omnibus liber relinqueretur. Quod si, omnibus inspectis circumstantiis, Ordinarius judicet hoc periculum abesse, loco quarti parietis ex muro cum porta lignea, permittere poterit velum extensum. Insuper oratorium debet esse decenter ornatum; et nominatim Ordinarius merito exigit baldachinum, praesertim si in altari conservatur SSmum Sacramentum, idque eo vel magis si cubiculum supra oratorium est schola aut inservit ad ambulandum, etc. quia tunc facilius lapilli e fornice aut laqueari in altare cadere possunt, nisi forte magno arcu altare protegatur. Tandem omnes res merae profanae, quae scilicet ad cultum nullatenus referuntur, e. g., armaria communibus vestibus aliisque rebus domesticis continendis destinata, ab eodem sunt prorsus removendae.

218. 4° *Qui intersunt, decenter composito corporis habitu*, declarare debent *se mente etiam ac devoto cordis affectu, non corpore solum adesse*; quae Concilii verba important, ni fallimur, quod episcopus certior fieri debeat, per se vel per alium, nullam irreverentiam rationabiliter timeri posse.

219. 5° Optandum ut altare totum ex muro vel ex lapide sit extructum, ut ab altari viatico melius distinguatur; sed etiam ex ligno cum apposito lapide confici potest, nec episcopus potest altaria lignea proscribere, ut patet ex responsione S. R. C. in *Cajetana, 10 Nov. 1612* (n. 463). Si altare ligneum est cum apposito lapide, expedit ut altare parieti sit colligatum, aut saltem illi adhaereat. Hinc in *Nullius loci Cirignolae, 3 Dec. 1661* (n. 2140), cum Princeps Carolus Pignatelli petiisset facultatem erigendi in suo palatio altare ligneum, ne pavimentum capellae pondere altaris lapidei gravaretur, S. R. C. reposuit: « Petita facultate non indigere,

dummodo altare ligneum cum sacro lapide, parieti colligatum, amovibile non sit, et altaris partatilis imaginem non praeseferat ». Licet haec responsio sit pro privato privatae domus oratorio, tamen etiam oratorio privato domus non privatae esse applicandam, non dubitamus (1). Fatendum tamen est id in praxi haud semper servari ; et res non videtur magni momenti.

220. His omnibus positis, episcopus, etiam absens e dioecesi, licentiam dare potest ut in oratoriis domus non privatae Missa celebrari valeat. In hujus licentiae concessione potest utique limitationes apponere, e. g., ne Missa celebretur certis diebus et horis, ut una tantum Missa celebretur, etc.; sed si nullas limitationes suae permissioni addiderit, possunt in illis oratoriis plures quoque Missae celebrari, etiam ab extraneis, etiam in festis solemnioribus, et omnes assistentes satisfaciunt praecepto.

221. Quod attinet ad regularium oratoria, Gregorius XIII *die 3 Maii 1575*, Societati Jesu concessit : « Ut in oratoriis et capellis quae ipsius Societatis Provinciales per se in domibus, collegiis et aliis domibus ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint et ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, Missae et alia divina officia, alterius licentia minime requisita, celebrari possint ». Hoc privilegium, vigore communicationis, ad alios quoque Ordines religiosos extensum est. Proinde ut in oratoriis domus regularis, collegii a regularibus directi, vel alterius loci ubi aliqui regulares resident, Missa celebrari licite valeat, non est necessaria episcopi loci licentia ; sed, postquam Provincialis in Societate Jesu, vel Superior aequivalens in alio Ordine religioso, oratorium approbaverit et ad divinum dumtaxat cultum deputaverit, Missae celebrari possunt ex relata Gregorii XIII concessione. Quidquid nonnulli in contrarium senserint, putamus in his oratoriis et extraneos regulares aut saeculares admitti posse ad Missae celebrationem ; et plures Missas eodem die posse celebrari et omnes assistentes satisfacere praecepto.

(1) Gattico, *op. cit., cap. XXIII, n. 9* et *10* ; D'Annibale, *III*, § *6, not. 38* ; S. Alphonsus, *VI, n. 424*.

222. Gattico, *op. cit.*, *cap. XVIII*, *n. 5*, docet hujusmodi oratoria semi-privata seu semi-publica, utpote ad divinum tantum cultum deputata, non posse amplius in profanos usus converti, nisi aliter qui eadem approbaverat, judicaverit; e. g., superiorem Seminarii non posse sine licentia episcopi oratoriolum in quo Sacerdotes Missam celebrant, supprimere et in cubiculum dormitorium convertere. Huic sententiae subscribimus, quia decet ut episcopus aut superior regularis qui oratorium designaverat, visitaverat et divino cultui reservaverat, moneatur de alia ejusdem oratorii destinatione eique consentiat (1). Ceterum haec oratoria non subsunt formali visitationi episcopi, dum dioecesim perlustrat, et ideo non tenentur ad procurationes, nisi in casibus jure expressis (2); nec in eis erigi possunt beneficia.

223. E contrario, juxta traditam notionem, est *privata domus* de qua in decreto Conc. Trid.: 1° *Domus* seu habitatio alicujus individui vel familiae particularis etiam magnatis, baronis ac principis seu regis, uti pluries S. C. C. reposuit pro domo principis, apud Gattico, *op. cit.*, *cap. XVI*, *n. 3*, et apud Fagnanum, in *cap. 27*, *De censibus*, *etc.*, *n. 19*; 2° *Aedes publica Civitatis* (*Mairie*) *aut provinciae* (*Palais de la Préfecture*), cum in ea non aliqua communitas degat, sed persona particularis, et praeterea id a fortiori sequitur ex dictis de domo principis. Revera palatium publicum Civitatis comprehendi sub Tridentina sanctione, S. C. C. pluries declaravit, prouti refert Gattico, *l. c.*, *n. 5*; 3° *Aedes publica Senatus* vel *Camerae Deputatorum* ob eásdem rationes; 4° *Granciae Regularium* proprie dictae, nempe domus rurales seu praedia monasteriorum, in quibus tantum aliquis conversus vel sacerdos regularis, oeconomicae rei vigilans, commoratur et ad quae forte alii religiosi, causa recreationis aut valetudinis, certa anni tempestate, accedere solent; uti colligitur ex his quae habet Gattico, *cap. XVIII*, *n. 16 sequ.*, et nominatim ex responsione S. C. C. diei *1 Martii 1687*. Nam expositum

(1) Fagnanus, in *cap. 9, De immunitate ecclesiae, n. 23.*
(2) Fagnanus, in *cap. 4, De religiosis domibus, n. 54.*

fuit: « In quadam domo rurali, sita in loco in quo plures degunt habitatores et adest etiam ecclesia parochialis, commoratur unus sacerdos regularis, qui praeest administrationi et culturae bonorum conventus in dicto loco existentium. Cum autem dictus regularis, licet reluctante Ordinario loci, praetendat in dicto loco Missam celebrare, fretus opinione nonnullorum auctorum, praesertim regularium, firmantium a sacro Conc. Trid. numquam derogatum fuisse privilegiis concessis regularibus habendi oratoria in granciis conventuum recreationi vel bonorum administrationi destinatis, dubitari contingit: An dictus sacerdos regularis, absque peculiari Sedis Apostolicae indulto, possit in dicta domo celebrare». S. C. reposuit: « Negative »; 5° *Arx* (*forteresse*), ut declaravit eadem S. C. C. *die 20 Maii*, et *die 12 Dec. 1613*. At si in arce nimia est militum copia, non videtur posse amplius ceu *domus privata* arx considerari, et ideo hoc in casu episcopus poterit in arcis oratorio Missae celebrationem indulgere (1). Utrum id applicari possit et debeat etiam stativis militum praesidiis (*casernes*), doctores videant; 6° *Domus episcopi titularis*, imo et domus episcopi coadjutoris, nisi in episcopio resideat. De domo episcopi dioecesani et de domo Cardinalis, infra (*n. 228 sequ.*) specialis sermo est.

224. In his igitur locis episcopus nequit post Conc. Trid. jure proprio permittere Missae celebrationem, etiam in oratorio cultui divino unice reservato, et multo minus extra oratorium. At in granciis regularium posse ex licentia Provincialis in Societate Jesu, vel aequivalentis Superioris in alio ordine, erigi oratorium, cum communiori sententia affirmamus, ad normam tamen relatae (*n. 221*) concessionis Gregorii XIII; ac proinde non in illis granciis in quibus unus tantum conversus aut sacerdos regularis commoratur, ex responsione S. C. C. *diei 1 Mart. 1687* (n° *prace.*). Istis autem privatis privatae domus oratoriis assimilantur oratoriola, aedificata in coemeterio aut in agro, ab aliis aedificiis separata, et ad aliquam personam vel familiam

(1) Gattico, *op. cit.*, *cap. XVI*, *n. 8*.

particularem pertinentia ; in quibus proinde episcopus nequit jure proprio licentiam celebrandi Missam elargiri, prouti S. C. C. declaravit in *Platien., Dubii oratorii, 20 Jan. 1894.*

225. Solum dubitari potest num episcopus Missae celebrationem in privato privatae domus oratorio permittere valeat ex rationabili causa per modum actus. Communissima sententia affirmat (1); sed praestat consulere declarationes S. C. C. quae huic opinioni non plene favent. Adsunt in primis duae antiquae resolutiones. Una est in *Syracusana, 27 Maii 1617*, ubi proposito dubio : « An Ordinarii possint concedere licentias celebrandi in oratoriis privatis, quando aliqua causa necessaria subest, ut cum persona titularis insignis, rerumque publicarum publicus minister, nobiles item cum aegrotant, aut senio confecti ad ecclesiam accedere multifariam prohibentur » ; S. C. reposuit : « Non posse episcopum ex quavis causa cuique concedere ut sacrum fiat in privatis oratoriis ». Altera sine titulo refertur a Fagnano, in *cap. 30, De privilegiis, n. 13*, his verbis : « Cum Cardinalis Paleottus olim petiisset ut posset licentiam concedere celebrandi cum infirmus deberet pro viatico communicari, S. C. respondit non posse. Quin imo cum Cardinalis Legatus Portugalliae petiisset ut posset concedere licentiam celebrandi in domo privata decenter accommodata, cum infirmus aliquis debet per viaticum communicari, et hoc quia in illis regionibus sunt multa loca adeo dispersa et remota a parochiis, ut non sine maximo incommodo possit Eucharistiae sacramentum circumferri, S. C. reposuit non esse concedendum ». Insuper accedit ejusdem S. C. responsum in *Monasteriensi, 23 Jan. 1847, per sum-*

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 339* ; Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXXXI, sect. III ;* Bonacina, *De euchar., disp. IV, qu. ult., n. 11 ;* Tamburini, *De meth. cel. Mis., tom. I, cap. VI, n. 7* ; Barbosa, *De off. et pot. episc., alleg. XXIII, n. 9 ;* Layman, *De euch. sacram., lib. V, tract. V, cap. V, n. 3.* Porro ii auctores per dispensationem *ad modum actus* intelligunt dispensationem concessam ab episcopo in casu particulari gravi, e. g., infirmitatis alicujus personae nobilis et praesertim sacerdotis, et quidem non pro una vel altera vice tantum, sed pro toto tempore quo casus perdurat.

maria precum : « Non licere ulli episcopo hujusmodi licentias quocumque sub obtentu concedere, ne pro actu quidem transeunte ; hanc facultatem esse soli Romano Pontifici reservatam eidemque episcopo litteras S. C. a Paulo V approbatas expediri ; et quoad facultates huc usque alias quam a Romano Pontifice concessas, consulendum SSmo pro earumdem sanatione ». In alia *Monasteriensi, 5 Apr. 1851*, pariter *per summaria precum*, petente episcopo facultatem concedendi oratorium privatum in nosocomiis, orphanotrophiis publicis, domibus in quibus spiritualia habentur exercitia, et domibus privatis in casibus necessariis et opportunis, e. g., durante infirmitate sacerdotis, S. C. reposuit : « Quoad loca pia et religiosas domus, vel pro spiritualibus exercitiis erecta cum approbatione Ordinarii, vel publica sine ea approbatione, episcopus non indiget facultatibus pro concedenda licentia sacrum in iis peragendi ; in reliquis curet episcopus ut serventur decreta Apostolicae Sedis ». Tandem eadem res ad examen magis accuratum fuit revocata in *Calatayeronensi, Oratorii privati, 2 Junii 1855* et *20 Dec. 1856*, ubi propositis dubiis : « 1° An episcopus possit, justa interveniente causa, facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis in casu ; 2° An cessante causa episcopalis indulti, perseveret nihilominus facultas in vim bullae Cruciatae in casu » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Negative, nisi tamen magnae et urgentes adsint causae et per modum actus tantum. Ad 2um : Negative » (1). Huic igitur doctrinae adhaerere debemus ; quae hoc jus in episcopis non admittit, nisi ex magna et urgenti causa, et quidem pro una aliave vice, non autem pro toto tempore quo causa magna et urgens perduraverit, uti putant auctores supra relati. Quaenam autem sit causa magna et urgens, S. C. non determinat. Putamus, contra plures et non obstante responsione S. C. C. ad Cardinalem Legatum in Portugallia data die *22 Sept. 1575*, supra citata ex Fagnano, talem esse profecto, si ad infirmum moriturum viaticum nec ab ecclesia, nec ab alio oratorio seu publico seu privato deferri potest ; nam

(1) In *Calven. et Theanen., die 6 Sept. 1890*, eadem quaestio rursus S. C. C. oblata fuit, sed causa non fuit proposita.

causa major et urgentior excogitari vix potest. Quod si infirmitas est diuturna et pariter impossibilitas deferendi aliunde communionem perduret, putamus, salva meliori sententia, episcopum facultatem habere pro una aliave vice, etiam citra mortis periculum, ad infirmi solatium.

226. Ut igitur episcopus, post Conc. Trid., permittere valeat Missae celebrationem in oratorio privato privatae domus, indiget apostolico indulto. Hoc indultum datur a Secretaria Brevium et extraordinarie a S. R. C. (1). Dari solet pro determinato numero casuum, e. g., pro quindecim casibus ; sed aliquando conceditur etiam pro determinato tempore, e. g., ad triennium, sine limitatione casuum. Episcopum debere limites et clausulas indulti sedulo servare, evidens est. Hinc si in indulto ei datur potestas permittendi Missae celebrationem in oratorio privato privatae domus, non poterit permittere Missae celebrationem in privata domo extra oratorium. Sed si haec potestas datur pro *laicorum domibus*, *pro laicis*, aliisque similibus verbis, dicendum est haec significare domus privatas in genere, et ideo episcopum posse utique licentiam concedere et clericis. Addi solet clausula : *Dummodo recursus ad Sedem Apostolicam difficilis sit* : quod prudentiae Ordinarii remittitur. Hoc indultum habent a S. C. de Prop. Fide Vicarii Apostolici ; nam inter *Facultates extraordinarias quae Vicariis Apostolicis Sinarum et regnorum adjacentium conceduntur ad quindennium*, legitur sub *n. 18* : « Indulgendi personis sibi benevisis, ut, intra fines vicariatus praefati, in domo propriae habitationis erigere possint oratorium privatum, servatis sacris canonibus et salvis juribus parochialibus ». Ceterum episcopus in hoc privilegio, vi indulti, concedendo eas regulas servet quas Sedes Apostolica servare solet et nos infra exponemus, cum delegatus a delegantis moribus et consuetudine vel tantisper recedere nec possit, nec debeat, ut docet Benedictus XIV citatus in nostro *Tractatu canonico de Matrimonio*, *n. 317*. At posse delegatum alios quoque dies excipere,

(1) « Antiquitus haec materia spectabat ad S. C. C. ; postea reservata est Secretariae Brevium ». Fagnanus in *cap. 30, De privilegiis, n. 18.*

praeter recensitos in *Caeremoniali Episcoporum*, minime dubitamus.

227. At dum Conc. Trid. prohibet ne Episcopi permittant Missae celebrationem *privatis in domibus*, non excludit *oratoria publica privatae domus*. Hinc S. C. C. non semel declaravit sub Tridentina sanctione non comprehendi capellas in aedibus etiam privatis erectas in titulum alicujus beneficii, eo quia hujusmodi capellae debent esse necessario publicae, secus non permittitur in eisdem beneficii erectio, ut explicat Gattico, *op. cit.*, *cap. III, n. 7*. Ita, ut unum exemplum afferamus, S. C. *die 19 Febr. 1619*, reposuit episcopo Neritonensi : « Capellas intra domesticos parietes, episcopi auctoritate erectas et dotatas, si modo in titulum perpetui beneficii conferri consueverunt, minime comprehendi in decreto a S. C. jam pridem edito de privatis oratoriis (*n. 210*) ; ac proinde posse Amplitudinem Tuam, ubi dictas capellas visitaverit ac divino cultui aptas ac decentes esse compererit, suo arbitrio indulgere, ut in eis sacrosanctum Missae sacrificium celebrari possit ». Ceterum jam diximus (*n. 196*) S. C. censuisse nova hujusmodi oratoria publica privatae domus e re non esse erigere.

228. Tandem quaeritur num capella palatii episcopalis comprehendatur sub prohibitione Conc. Trid. Responsio negativa certa est apud omnes, idque non semel S. C. C. declaravit. Rationem dat Benedictus XIV in cit. const. *Magno*, § *2* : « Quum haec (palatia episcopalia) sub privatarum domorum nomine numquam censeri possunt ». Hanc rationem fusius evolvit Gattico, *op. cit.*, *cap. XVII*, *n. 4* : « Episcoporum domicilia ac episcopia... inter privatas domos accensere nec veterum mores nec praesens consuetudo patitur. Et quantum ad veterem disciplinam attinet, publica potius ac pia pauperum et peregrinorum hospitia erant ac clericorum simul cum episcopo viventium communis habitatio. Imo frequentius episcopia matricibus ecclesiis conjungebantur, atque ita velut partes appendicesque ecclesiarum haberi poterant. Perseverat hactenus in multis saltem regionibus vetus disciplina, ut episcopales aedes conjunctae sint majoribus ecclesiis, et quamvis simul

communem cum propriis clericis vivendi rationem rarissime soleant episcopi ducere, istorum tamen habitationis locus adhuc portio potius ecclesiae, quam privata domus existimatur. Hinc est quod episcopia gaudent privilegio immunitatis..... Ita vero compertum est episcopales aedes in numero privatarum non computari, ut frequenter episcopi in oratoriis intra illarum ambitum exstructis sacramenta confirmationis et sacrae ordinationis conferant, maxime quando ad haec conferenda publicas ecclesias subire legitimo impedimento prohibentur. Imo ubi oratoria..... ab episcopi cubiculis remota fuerint, et commode ab omnibus possent adiri, nulli negatur ad illa ingressus, ut quicumque sacrificiis ibidem peragendis interesse valeat. Neque id apud veteres insolitum erat, cum publici oratorii vices gessisse non ambigamus capellam S. Cassii Narniensis, in qua propter infirmitatem cum populo suo synaxim celebravit ». At etsi admittas aedem episcopalem esse *domum privatam*, tamen semper verum erit Conc. Trid. sua prohibitione non comprehendere privatas episcopales domus ; quia verba : *Neve patiantur* (episcopi) *privatis in domibus*, etc., manifeste referuntur ad aliorum privatas domus, non ad domus ipsius episcopi dioecesani. Ex hac validiori ratione sequitur nec comprehendi sub prohibitione Tridentini alias domus quas episcopus, et, loco episcopi, administrator apostolicus episcopus, forte in dioecesi habet et pro sua habitatione retinet, praeter episcopium ; sed comprehendi domus quas episcopus habet et pro sua habitatione retinet extra dioecesim (1), aut domus quas episcopus habet locatas aliis sive intra sive extra dioecesim. De episcoporum privilegio altaris portatilis infra sermo erit.

229. Cum igitur aedes episcopales intra dioecesim prohibitione Tridentini non afficiantur, sequitur episcopos, etiam post decretum Tridentinum, posse, sicut antea (2), in eis prouti in aliis domibus non comprehensis, non unum tan-

(1) Gattico, *l. c.*, *n. 17 sequ.*, citans duas responsiones S. C. C. quae id satis probant.

(2) De episcopiorum oratoriis in antiquitate vide Benedictum XIV, in cit. const. *Magno*, § *1* ; et Gattico, *op. cit.*, *cap. VI.*

tum, sed etiam plura oratoria erigere, in quibus possunt plures quoque Missae celebrari, etiam a sacerdotibus extraneis, etiam in festis solemnioribus, etiam episcopo absente, aut sede vacante, et omnes, etiam extraneos, assistentes Missae, praeceptum adimplere ; verbo, quae supra de oratorio semi-publico seu semi-privato disputata sunt, et hisce aedium episcopalium oratoriis applicare debes. Hinc S. R. C. in *Decreto generali, 2 Julii 1661* (n. 2103), declaravit : « In capella palatii episcopalis etiam episcopo absente, vel sede vacante, posse Missam celebrari, potissimum vero per Vicarium, necnon diebus festis inibi sacrum audientes implere praeceptum ecclesiae; sicque in casibus particularibus in posterum responderi ». Et in *Bosanen., 8 Apr. 1854* (n. 5200), cum in palatio episcopali (fortasse sede vacante) reperirentur scholae secundariae civitatis, et capella episcopii eisdem scholis inserviret, propositis dubiis : « 1° An sede episcopali vacante in episcopali sacello quilibet sacerdos sacrosanctum Missae sacrificium celebrare possit ; 2° An id locum habeat etiam in casu praesenti, in quo sacellum episcopale Bosanen. assignatum est pro excipiendis ad scholas accedentibus ; 3° Et quatenus negative, orator indultum efflagitat ut ibi in dominicis saltem festisque de praecepto sacrosanctum Missae sacrificium celebretur, cui adstantes tam magistri quam discipuli satisfacere valeant praecepto adstandi sacro » ; S. C. reposuit : « Ad 1um et 2um : Affirmative. Ad 3um : Provisum in praecedentibus ». Proinde privilegium oratorii privati in episcopio est locale ; at si episcopalis domus alienatur, aut solum locatur alicui personae aut familiae particulari, eo ipso oratorium cessat, cum hoc privilegium sit etiam personale, seu domui episcopali inhaereat ratione personae episcopi. In oratorio domus episcopalis non solum potest Missa celebrari, sed etiam aliae sacrae functiones obiri queunt, quae officii ac dignitatis episcopalis propriae sunt.

230. S. R. E. Cardinales privilegium habendi in suis domibus privatum oratorium pro Missarum celebratione, etsi sint solum diaconi, ab antiquissimis temporibus

obtinuerunt. Hoc privilegium non sustulit Conc. Trid. relato decreto ; verba enim decreti Tridentini non respiciunt oratoria Cardinalium, prouti per se facile patet ; idque confirmat factum Cardinalium oratoria retinentium etiam post Tridentinum absque speciali indulto, et censuit S. C. C. die *18 Febr. 1623* : « Capellas et oratoria ad illorum (Cardinalium) usum ubique locorum exstructa minime comprehendi in prohibitione constitutionis jussu s. m. Pauli V jam pridem editae de non celebrando in privatis aedibus ». Hinc Cardinales oratorium valent erigere in omnibus propriae habitationis domibus, tam in Urbe quam ruri, et omnia quae supra diximus de oratoriis episcopalibus, de hisce cardinalitiis oratoriis repetenda sunt. Oratorium cardinalitium cessat morte Cardinalis, aut si Cardinalis domum deserat, nisi domus perpetuo sit addicta habitationi Cardinalis, e. g., Romae domus Cardinalis Datarii, Cardinalis Vice-Cancellarii, etc. (1).

231. Huc usque de interpretatione decreti Tridentini, seu de episcopi potestate relate ad privata oratoria. Ex const. *Magno, 2 Junii 1751 (n. 190)* Benedicti XIV satis apparet consuetudinem contra hanc Tridentini prohibitionem inolescere non posse. Et revera in utraque *Monasteriensi* et in *Calatayeronensi* quas citavimus, *n. 225*, episcopus innitebatur consuetudini in dioecesi vigenti ; cujus tamen S. C. nullam rationem habuit.

II

De privilegio oratorii privati a Sede Apostolica concesso.

232. Quamquam episcopus privilegium oratorii privati privata in domo concedere nequit, tamen illud concedere potest Romanus Pontifex. S. Sedes non solum nonnullis episcopis indultum elargitur permittendi Missae celebrationem in oratorio privato privatae domus *(n. 226)*, sed etiam aliquando directe per Secretariam Brevium hoc privilegium concedit : quod modo declarandum est.

233. In primis S. Sedes privilegium oratorii privati

(1) Gattico, *loc. cit., n.* 21 *sequ.*

in privata domo concessit aliquibus insignibus collegiis in Urbe. Ita hoc privilegium obtinuerunt *Auditores Rotae ; Votantes Signaturae ; Abbreviatores majoris praesidentiae* ; *Protonotarii apostolici* sive participantes sive ad instar participantium (*n. 679, 8°*) ; *Advocati consistoriales* ; *Clerici Camerae Apostolicae*. Insuper Clemens XII simili privilegio ditavit canonicos ecclesiae patriarchalis Ulyssiponensis. Tandem hoc privilegio semper cumulantur omnes Sedis Apostolicae Repraesentantes apud exteras nationes. Limites privilegii in his casibus ex relativo Brevi desumendi sunt ; et privilegium adhaeret titulo et personae, ita ut cesset, cessante titulo ; remanente autem titulo, sequatur personam et cum eadem extinguatur, ex *regula 7 juris, in 6°*: *Privilegium personale personam sequitur et extinguitur cum persona*.

234. Aliis fidelibus hoc privilegium Sedes Apostolica non elargitur, nisi praevia informatione episcopi de meritis oratoris, de decentia domus et oratorii, num populus in regione Missarum defectu laboret, etc. ; et etiam post favorabilem episcopi informationem Breve datur in forma mixta. Si aliquando in casu urgenti Breve expeditur ante episcopi informationem, dari solet in forma commissaria. Porro Breve aliquando est extraordinarium, continens scilicet clausulas extraordinarias, quas nos expendere nec debemus nec possumus. Breve autem ordinarium non semper easdem habuit clausulas, uti videre est apud Gattico, *op. cit.*, *cap. XX*, et etiam post Gattico clausulae saepius immutatae sunt, ut abusus expungerentur et sensus privilegii clarior evaderet.

235. Breve ordinarium ac consuetum oratorii privati privatae domus pro fidelibus in genere, nostris temporibus, est tenoris sequentis :

Leo PP. XIII.

Venerabilis Frater (1), *salutem et Apostolicam benedictionem.*

Exponendum curavit Nobis dilectus Filius N. N. (2)

(1) Antiquitus Breve dirigebatur ad privilegiatum ; hodie dirigitur ad episcopum loci in quo est oratorium.

(2) Personae quae hoc in loco nominantur sunt privilegiati *principales*,

tuae istius..... dioecesis sibi pro sua spirituali consolatione in votis esse, ut in privatis domorum suae habitationis oratoriis sacrosanctum Missae sacrificium celebrare (1) *vel celebrari facere, impetrata a Nobis venia, queat. Nos oratorem speciali benevolentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia, absolventes et absolutum fore censentes, Tibi, venerabilis Frater, per praesentes committimus, quatenus, constito tibi de narratis* (2), *eidem exponenti, ut ipse in privatis domorum suae habitationis in civitate ac dioecesi..... existentium oratoriis* (3), *ad hoc decenter muro extructis et ornatis seu extruendis et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis* (4), *per te visitandis prius et approbandis, deque tui licentia arbitrio tuo duratura* (5), *unam tantum Missam pro unoquoque*

seu *precarii*, ut alii eos appellant. Benedictus XIV in decreto *diei 7 Jan. 1741* et in const. *Magno, 2 Jun. 1751*, docet privilegiatos principales esse illos quorum nomina sunt a tergo, vel in fronte seu inscriptione Brevis, quia tunc Breve ad privilegiatum principalem dirigebatur : sed hodie dicendum est privilegiatos principales esse illos qui in hoc Brevis loco nominantur. Privilegiati autem *secundarii* sunt illi omnes qui assistentes Missae celebratae in praesentia privilegiati principalis, satisfaciunt praecepto ; de quibus infra.

(1) Hoc verbum praetermittitur, si orator, seu privilegiatus principalis, non est sacerdos. Idem repete de aliis analogis Brevis verbis.

(2) Hac clausula Breve non est in forma commissaria, sed in forma mixta. Hinc si episcopus repererit omnes rescripti clausulas verificari, non potest licentiam denegare : si denegaverit, orator recursum habet ad Sedem Apostolicam, sed interim Missa celebrari in oratorio nequit. Ceterum, juxta praesentem disciplinam, privilegium oratorii privati non concedi, nisi instantia habeat commendatitiam Ordinarii, jam diximus (*n. 234*).

(3) Exinde sequitur : 1° privilegium non valere pro domibus extra dioecesim ; 2° sed valere etiam pro *pluribus* domibus intra dioecesim habitatis a principali privilegiato ; 3° et si privilegiatus habitationem mutaverit, privilegium valere pro nova domo. Unde privilegium est simul *locale*, quia limitatur ad dioecesim, et *personale*, quia sequitur personam intra dioecesim. De his, juxta antiquas vel extraordinarias formulas, disputari poterat, sed juxta praesentem minime dubitamus.

(4) Vide *n. 215 sequ.* : omnia ea quae ibi exposuimus, hac clausula exiguntur.

(5) Hac clausula exigitur ut episcopus prius oratorium visitet, et tunc

die (1), *dummodo eisdem in domibus celebrandi licentia quae adhuc duret alteri concessa non fuerit* (2), *nullumque exinde fidelibus, quoad satisfactionem praecepti audiendi Missam festis diebus, detrimentum obveniat* (3), *per se seu per quemcumque sacerdotem rite probatum saecularem seu de superiorum suorum licentia regularem* (4), *sine tamen quorumcumque jurium parochialium praejudicio* (5), *ac Paschatis Resurrectionis..... festivita-*

tantum licentiam pro Missae celebratione concedat, cum repererit omnia rite se habere. Non putamus illud *per te* adeo rigorose esse accipiendum ut episcopus oratorium visitare nequeat per aliam idoneam personam, uti diximus cit. *n. 215*. Haec licentia semel data valet in indefinitum, nec episcopus potest eam arbitrarie revocare. At episcopus potest deinde (aut etiam debet si probabilis est dubitandi ratio) accedere ad privilegiati domum, ut videat num oratorium in debito statu reperiatur; et si aut privilegiatus episcopum admittere noluerit, aut episcopus aliquid necessarium deesse repererit, potest et debet licentiam revocare (Ferraris, *Bibliotheca etc. v. Oratorium, n. 21 sequ.*; Pignatelli, *tom. I, consult. 98*; Fagnanus, *cap. ult. De censibus, n. 25*), licet suus praedecessor eam perpetuam declaraverit, ut reposuit S. C. C. in *Maceratensi, an. 1664*. Revocata ab episcopo licentia, etiam irrationabiliter, datur recursus, sed interim Missa celebrari in oratorio nequit. Ceterum haec oratoria privata non subsunt formali et a jure requisitae visitationi episcopi et ideo non debent procurationes, uti deducitur a fortiori ex dictis *n. 222* de oratoriis semi-publicis seu semi-privatis.

(1) Haec clausula evidenter impedit plurium eodem die Missarum celebrationem in oratorio; sed si Breve hanc clausulam non habet, plures Missae celebrari poterunt.

(2) Proinde privilegium interim viribus caret et episcopus licentiam dare nequit, si alter in eadem domo privilegium habet, adhuc durans: hoc priori privilegio cessante, incipit valere posterius. Illud autem *eisdem in domibus* stricte intelligendum est pro eodem habitationis loco. Hinc si in domo sunt diversae contignationes separatae (*plusieurs étages*) in quibus habitant separatim diversae familiae, privilegium prius obtentum ab una familia pro sua contignatione non impedit privilegium posterius obtentum ab alia familia pro sua contignatione. Imo idem repetas, si eadem contignatio divisa est in plures partes in quibus habitant separatim plures familiae, licet forte habeant ingressum communem, atrium commune et aulam principalem communem, quia formaliter sunt adhuc *diversae domus* (Ferraris, *l. c., n. 35 sequ.*; Pignatelli, *l. c.*).

(3) Haec clausula in antiquis formulis non habebatur. Si hoc detrimentum verificetur, episcopus licentiam dare non debet, aut datam debet revocare.

(4) Proinde sacerdos saecularis debet esse approbatus ab Ordinario loci in quo est oratorium, regularis a suis superioribus, sicuti pro celebratione Missae in aliis locis; non enim requiritur specialis approbatio. Licentia parochi non est necessaria.

(5) Hinc in oratorio nulla functio parochialis exerceri potest sine per-

tibus duntaxat exceptis (1), *in sua, consanguineorum et affinium secum insimul in eadem domo habitantium et,*

missione parochi aut Ordinarii. Hac de re vide Benedictum XIV. in cit. const. *Magno*, § *19, sequ.*; utrum vero, sine speciali Ordinarii licentia, possit,necne,sancta communio in oratorio privato distribui, dicemus in *cap. ult.*

(1) In privato oratorio Missa celebrari nequit diebus solemnioribus, qui hoc rescripti loco enumerantur. Igitur ut determinentur dies excepti, standum est rescripto. Praescindendo a peculiari indulto, quinam sint solemniones dies excepti, indicat S. R. C. in *Romana*, *10 Apr. 1896*. Nam ad dubium : « Quinam vere sint solemniores dies, in quibus pro omnibus peculiare indultum non habentibus Missae sunt vetitae in privatis oratoriis » ; S. C. reposuit : « Illi per se sunt solemniores in casu, qui describuntur in *Caeremoniali episcoporum, lib. II, cap. XXXIV, n. 2*, et servantur de praecepto ». Jamvero in *Caeremoniali episcoporum, l. c.*, sequentes festivitates describuntur : Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, S. Joseph, Annuntiationis, Conceptionis, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum, titularis ecclesiae, diei anniversariae dedicationis cathedralis ecclesiae, feriae V in coena Domini. Igitur ex relata S. C. responsione his diebus, citra speciale indultum, nequit Missa in oratorio privato celebrari, dummodo tamen ii dies in loco sint de praecepto ; feria autem V in coena Domini, licet non sit de praecepto, Missam excludit ob aliam rationem, nempe quia hac die Missae privatae vetantur (*n. 71 sequ.*). In *Calaguritana*, *7 Nov. 1607* (n. 364), eadem S. R. C. censuerat solemniores festivitates in casu esse et intelligi « praeter festum Paschatis Resurrectionis D. N. J. C., feriam V in cœna Domini, festum Ascensionis D. N. J. C., festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, festum Annuntiationis, et festum Assumptionis B. M. V., festum omnium Sanctorum, festum Nativitatis ac Epiphaniae Domini ». Sed hodie standum est decreto in *Romana* supra relato ; festum autem Corporis Christi, licet in *Caeremoniali episcoporum*, *l. c.*, non recenseatur, tamen in omnibus rescriptis oratorii privati a Sede Apostolica concessis excipi solet jure meritoque. In Galliis autem aliisque locis de quibus *n. 178, 179,* loco diei anniversariae dedicationis ecclesiae cathedralis, exceptum erit festum dedicationis omnium ecclesiarum. Quid vero si, ex apostolico indulto, festivitas transfertur ad dominicam sequentem (quod in Gallia et in Belgio passim accidit) aut ad dominicam antecedentem ? Celebratio Missae in oratorio privato prohibeturne in die *a quo*, vel in die *ad quem* ? Seposita responsione S. R. C. in *Namurcen.*, *23 Mart. 1835*, *ad 14um*, *8°* (n. 4747), ex relato decreto in *Romana* apparet Missae celebrationem non prohiberi in die *a quo*, qui non est de praecepto. Praeterea id expresse declaravit eadem S. R. C. in *Quebecen.*, *6 Maii 1896*, et hanc declarationem aliis quoque locis, praeter dioecesim Quebecensem, e. g., in Gallia et in Belgio, applicandam esse, non est dubium. Putamus autem Missae celebrationem prohiberi in die *ad quem*, licet decretum S. R. C. id praescribens non habeamus. Porro si privilegium datur infirmo, haec exceptio non ponitur, sed dicitur Missam celebrari posse etiam diebus exceptis, si orator ob infirmitatem egredi non potest, ita ut tam ipse, quam una tantum persona ejus servitiis necessaria, Missae as-

quoad oratoria ruri sita, etiam in hospitum nobilium suorum praesentia (1) *celebrare vel celebrari facere licite possit et valeat, licentiam auctoritate Nostra apostolica concedas et indulgeas. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut consanguinei et affines praefati Missam, ut praefertur, coram oratore dumtaxat audire, numquam vero celebrari facere valeant, utque familiares, servitiis suis tempore dictae Missae actu non necessarii, ibidem Missae hujusmodi adstantes*

sistentes, praecepto satisfaciant. Ceterum si concessa est licentia celebrandi in oratorio in festo Nativitatis, poterunt ibidem tres Missae celebrari, ut reposuit S. C. C., die *20 Jan. 1725* (Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. IV*; D'Annibale, *III*, § *6, not. 32*).

(1) Haec clausula rite est intelligenda. Nam Missa celebrari potest si praesens est persona *principaliter privilegiata*; secus celebrari nequit, etsi sit praesens aliquis ex ejus consanguineis aliisque in clausula memoratis, quippe quibus nil aliud per hujusmodi Brevia conceditur, quam quod unusquisque eorum, assistens Missae quae celebratur in oratorio privato in praesentia alicujus ex personis principaliter privilegiatis, satisfaciat obligationi audiendi Missam diebus festis de praecepto. Ita expresse Benedictus XIV in decreto diei 7 *Jan. 1741*, quo confirmat declarationem S. C. C. in eodem sensu; et praeterea id aperte patet ex prima parte clausulae: *Volumus autem*... quae postea legitur in Brevi, quamque ad hoc praecise significandum Brevi appositam voluit Benedictus XIV (cit. *const. Magno*, § *15*). Unus est casus quo, absente privilegiato principali, licet Missam in oratorio celebrare, nempe viatici deferendi causa, si aliunde deferri nequit. Hinc in *Lucerina*, *27 Aug. 1836* (n. *4781*), proposito dubio: « 8° Parochus novit sacrum viaticum difficillime porrigi posse infirmo morti proximo, nisi celebret in oratorio domestico, indulto apostolico erecto, domui infirmi proximo: quaeritur utrum possit a privato oratorio SSmum Sacramentum deferre? et quatenus affirmative, utrum in tali casu celebrare possit, etiam indultario precario absente »; S. R. C. reposuit: « Affirmative, etiam absente indultario ». Porro *hospites* de quibus in clausula, sunt illi qui domi commorantur tamquam extranei recepti a domino, et ejus sunt commensales, sed ex occasione temporanea, et ad certum tempus. Num vero comprehendantur etiam hospites unius diei et ejusdem civitatis et loci, qui a principali privilegiato invitantur ad prandium vel ad spectaculum, non conveniunt doctores, praesertim si ideo invitantur ut gaudere valeant indulto: sed sententiam negativam praeferimus, ne ii hospites sint in meliori conditione, quam consanguinei et affines. Ii autem hospites debent esse *nobiles*, sive ex genere, sive ex privilegio, sive ratione matris tantum, sive ratione dignitatis: sufficit ut hospes appellari possit aliquo modo nobilis (Ferraris, *l. c., n. 56*; Pignatelli, *l. c., n. 100*; Tamburini, *De sacrif. Missae, lib. I, cap. IV*, § *4, n. 32*; Monacelli, *supplem. ad tom. II, n. 492*).

ab obligatione audiendi Missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur (1).

Datum Romae, etc.

236. Privilegium oratorii privati in domo privata, fidelibus concessum, est personale : unde sequitur personam privilegiati principalis habitationem mutantis intra tamen dioecesim, juxta ea quae supra diximus, et extinguitur cum eadem persona, ex cit. *regula 7 juris, in 6°*. Quod si plures sunt personae principaliter privilegiatae, mortua una, privilegium permanere pro alia, evidens est. Insuper hoc privilegium revocari potest non solum a Romano Pontifice, sed etiam ab episcopo ex rationabili causa, prouti supra explicavimus.

Articulus III.

Quandonam Missa in ecclesia vel oratorio celebrari nequeat (2).

237. Ex dictis apparet sacrificium eucharisticum licite offerri posse in ecclesia dedicata aut in oratorio, servatis

(1) Proinde familiares servitiis privilegiati principalis tempore dictae Missae actu necessarii assistere possunt Missae et satisfaciunt praecepto ; non necessarii assistere possunt Missae, sed non satisfaciunt praecepto. Sed quinam erunt familiares *tempore Missae actu necessarii* ? Haec necessitas non debet esse physica quoad Missam, quia certe privilegiatus tempore Missae nullo indiget, nisi sit graviter infirmus, sed sufficit moralis respectu domus et personae privilegiatae ; ita ut familiares sint necessarii in subjecta materia, si attenta conditione familiae, decentia exigit ut, tempore Missae, domi remaneant, aut prope personam privilegiatam, ejusve filios. Unde, e. g., certe non sunt necessarii servitiis privilegiati, tempore Missae, famuli ruri degentes, aurigae et hujusmodi : e contrario sunt necessarii coquus, ephebus (*valet de chambre, domestique*) ancilla respectu dominae (*femme de chambre*), ancilla quae pueris invigilat, etc. (*Ferraris, l. c., n. 60 ;* Card. Petra, *tom. II, const. 8 Honorii III, n. 62 ;* Pignatelli, *l. c., n. 107 segu.*). Sacerdotem celebrantem, etsi extraneum, satisfacere praecepto, vix non certa sententia est ; item ministrum, sed solum in casu quo inter privilegiatos seu principales seu secundarios desit qui inserviat (Ferraris, *l. c., n. 63 segu.;* D'Annibale, *III*, § *6, not. 37*). Si in Brevi oratorii privati desunt clausulae relativae ad assistentes, nemo Missae assistens satisfacit praecepto, praeter ministrum.

(2) Vide canonistas in titulo, *De sententia excommunicationis, sus-*

servandis : at quandoque etiam in tali ecclesia aut oratorio Missam celebrari prohibetur. Praeter casum execrationis (*n. 179 sequ.*) qua ecclesia vel oratorium, suam dedicationem amittens, locus profanus efficitur, et ideo improprius Missarum celebrationi, Missa in ecclesia, vel oratorio, permanente ejusdem dedicatione, celebrari nequit *interdicto, cessatione a divinis, pollutione*. De singulis breviter (1).

238. 1° In nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione, n. 143*, diximus interdictum in genere esse prohibitionem divinorum officiorum et sepulturae ecclesiasticae ; et aliud esse *locale*, si afficit immediate loca, aliud *personale*, si afficit immediate personas, aliud *mixtum*. Nos in praesenti loquimur de interdicto locali, quod sicut personale, subdividitur in *generale*, si afficit territorium in quo plura loca sacra sunt, e. g., regnum, civitatem, parochiam, et *speciale*, si afficit unum tantum locum sacrum, e. g., unam ecclesiam.

239. Jamvero cum Missa primum locum obtineat inter officia divina, sequitur interdictum locale prohibere Missae celebrationem cum sequentibus tamen limitationibus. Interdicto locali speciali prohibetur absolute Missae celebratio in ecclesia interdicta ; tantum Gregorius IX in *cap. 55, De sententia excommunicationis, etc.*, permittit « ecclesiarum ministris, semel in hebdomada, tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, Missarum solemnia celebrare, causa conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in poenitentia non negatur ». Antiquitus haec absoluta prohibitio de interdicto quoque locali generali vera erat, concesso privilegio episcopis in *cap. 25, De privilegiis*, et regularibus in *cap. 24 ejusd. tit.* At Bonifacius VIII, considerans hac prohibitione excrescere indevotionem populi, pullulare haereses et infinita pericula animarum exsurgere, ac ecclesiis, sine culpa earum, debita obsequia subtrahi,

pensionis, et interdicti. XXXIX, lib. V Decret. ; et in titulo, *De consecratione ecclesiae vel altaris*, XL, lib. III Decret.

(1) De sacerdotibus latinis in ecclesia ritus orientalis et sacerdotibus orientalibus in ecclesia ritus latini celebrantibus, vide *n. 352*.

statuit in *cap. 24 ejusd. tit. in 6°* : « Singulis diebus in ecclesiis et monasteriis Missae celebrentur et alia dicantur divina officia, sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis... In festivitatibus vero Natalis Domini, Paschae ac Pentecostes et Assumptionis Virginis gloriosae campanae pulsentur, et januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis... ». Haec Bonifacii VIII concessio quae locum habet tantum in interdicto locali generali (1) valet pro ecclesiis et oratoriis publicis; item pro oratoriis semi-privatis seu semi-publicis in monasteriis; item probabilius pro aliis oratoriis semi-privatis seu semi-publicis, e.g., seminariorum, hospitalium, etc., cum eadem, imo potior, ratio sit (2); item probabiliter pro oratoriis stricte privatis seu domesticis (3). Proinde ex hac Bonifacii VIII concessione, interdicto locali generali in festivitatibus recensitis quibus Martinus V et Eugenius IV addiderunt festum et octavam Corporis Christi, et Leo X festum et octavam Immaculatae Conceptionis B. M. V. (4), nec Missa nec Missae solemnitates vetantur ; in aliis vero diebus non Missa, sed potius Missae solemnitates prohibentur, quae ibi recensentur. Hac in re ulterius non insistimus, quia hujusmodi interdicta localia generalia obsoleverunt.

240. Celebrare Missam in loco interdicto specialiter contra interdicti ipsius prohibitionem, est peccatum grave ; imo et celebrare in loco interdicto sive specialiter sive generaliter cum una tantum solemnitate ex his quae prohibentur, e.g., apertis januis, absque aliis vetitis solemnitatibus (5). Insuper sacerdotem celebrantem in loco interdicto

(1) Suarez, *De censuris, disp. XXIV, sect. II, n. 1* ; Schmalz., *lib. III Decret., tit. XXXIX, n. 368*, qui concludit : « Unde quando fuerit interdictum locale speciale, id solum licebit, quod licitum fuit jure antiquo *c. permittimus, 47 hujus tituli* ».

(2) Suarez, *l. c., sect. I, n. 9*, cum doctissimis viris.

(3) Schmalz., *l. c., n. 367*, citans pro hac sententia Navarrum, Hugolinum, Enriquez.

(4) Suarez, *l. c., sect. I, n. 42, 43.*

(5) Suarez, *l. c., sect. IV, n. 12.*

contrahere irregularitatem ex delicto, vide in citato nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione*, *n. 355 sequ.* Praeterea in const. *Apostolicae Sedis*, inter *interdicta latae sententiae reservata*, sub. *n. 2*, legitur : « Scienter celebrantes, vel celebrari facientes divina in locis ab ordinario vel delegato judice vel a jure interdictis... interdictum ab ingressu ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint ». Haec desumpta sunt ex *cap. 8, De privilegiis, in 6°*. Tandem clericus violans interdictum privatur voce activa et passiva, ex *cap. 18, De sent. excomm., in 6°*. Auctores passim tradunt plecti excommunicatione religiosos qui interdictum generale loci non observaverunt (1) ; sed haec excommunicatio, si revera aderat, cessavit post const. *Apostolicae Sedis*.

241. 2° Interdicto locali accedit cessatio a divinis quae est prohibitio divina obeundi et ministrandi sacramenta in aliquo loco sacro. Differentiam inter locale interdictum et suspensionem a divinis ita exponit Suarez, *De censuris, disp. XXXIX, sect. I, n. 13* : « Interdictum locale videtur esse veluti quaedam affectio ipsius loci, quem inhabilem reddit ad divina officia sic in eo celebranda, et ideo cautum est ut irregularis fiat qui in eo contra jus celebrat ; cessatio autem non est affectio loci, sed simplex quaedam prohibitio ipsis ministris ecclesiae facta respectu ipsius loci ». Haec cessatio a divinis est signum moeroris ecclesiae propter injuriam eidem illatam. Est autem, sicuti interdictum, alia *generalis*, alia *specialis ;* utraque vel *totalis* vel *partialis*.

242. Proinde, nisi ferens cessationem a divinis, suo decreto alia officia divina prohibens, Missae celebrationem permiserit (quod tamen absonum foret), grave est Missae sacrificium offerre in loco. At exceptio *cap. 55, De sent. excomm.*, etiam hic applicatur, imo probabilius applicatur etiam concessio *cap. 24, ejusd. tit., in 6° (n. 239)* (2). Demum qui in loco celebrat contra decretum cessationis a divinis,

(1) Schmalz., *l. c., n.* 396 ; Reiffenstuel, *n.* 288 ; Suarez, *De censuris, disp. XXIV, sect. IV, n.* 18.

(2) D'Annibale, *I*, § *378*.

licet graviter delinquat, tamen nec irregularitatem contrahit, ut jam patet ex dictis, nec ullam latae sententiae poenam.

243. 3° Fusius de pollutione ecclesiae agendum est (1). Si nonnullae actiones in ecclesia ponuntur, ecclesia conservat quidem suam consecrationem aut benedictionem, si est consecrata aut benedicta, sed sacri canones illam declarant *pollutam*, et prohibent, donec reconciliatione quodammodo expurgetur, divina officia et prae primis sacrificium Missae in ea celebrari, quia id in morali hominum existimatione indecens reputaretur. Hinc in *cap. 10, De consecratione ecclesiae vel altaris*, Gregorius IX jubet ecclesiam pollutam statim reconciliari ne *divinae laudis organa suspendantur*. Proinde sacerdos Missam celebrans in ecclesia polluta, peccaret per se graviter, licet nec irregularitatem ex *cap. 28, De sententia excommunicationis, in 6°*, nec aliam latae sententiae poenam contraheret; imo « si, sacerdote celebrante, violetur ecclesia ante canonem, dimittatur Missa; si post canonem, non dimittatur »; ait Rubrica Missalis, *De defectibus etc.*, § *X*, *n. 2*. At ex gravi causa, e. g., si ex una parte populus non habet aliam ecclesiam in qua Missam audiat, et ex alia ecclesia polluta non facile potest statim reconciliari, episcopus permittere potest Missae celebrationem in ecclesia polluta ante reconciliationem. Imo si casus necessitatis urget ita ut episcopus adiri non possit, e. g., si Missa celebranda sit ad ministrandum infirmo viaticum et alia non adsit ecclesia aut oratorium, sacerdos celebrare in eadem licite potest, etiam inconsulto Ordinario (2); item, ut putamus, si secus populus, praesertim in ecclesia ipso mane diei dominici polluta jam adunatus, Missa carere deberet. Ratio est, quia in his casibus non praesumitur Ecclesiam, piam matrem, urgere velle suam prohibitionem.

244. Antequam exponamus quaenam actiones juxta sa-

(1) Quae dicimus de pollutione ecclesiae et de reconciliatione ecclesiae pollutae, applicantur etiam coemeterio : de quo tamen nobis agendum non est.

(2) S. Alphonsus, *VI*, *n. 361* ; D'Annibale, *III*, § *15*.

cros canones polluant ecclesiam, sequentes observationes generales sunt praemittendae :

In primis ut hae actiones ecclesiam polluant, requiritur ut sint notoriae notorietate facti, vel juris per judicis sententiam. Hinc quamdiu actio polluens occulta est et a personis ei praesentibus non publicatur, ecclesia reconciliatione non indiget. Diximus *quamdiu occulta est*, quia si actio polluens, prius occulta, deinde publicetur, ex momento publicationis ecclesia haberi debet ut polluta et reconciliatione indigens. Ratio est, quia donec actio polluens occulta est, fideles non reputant indecens in ea ecclesia officia divina peragi ; quae fuit ratio propter quam canones hanc tulerunt prohibitionem (1). Si autem quaeratur quandonam actio habenda sit ut publica, vel potius ut occulta, respondemus applicari hac in re posse quae de impedimento matrimoniali publico aut occulto diximus in nostro *Tractatu canonico de matrimonio, n. 252 sequ.*

245. Praeterea cum simus in materia odiosa, jura quae ecclesiae pollutionem inducunt, sunt strictae interpretationis. Hinc sequitur :

246. 1° In dubio sive juris, e. g., num sepultura infidelis ecclesiam violet, sive facti, e. g., num humani seminis emissio revera evenerit, pollutionem ecclesiae de rigore juris non esse admittendam. Nihilominus S. R. C. in casibus dubiis jubere solet ecclesiae reconciliationem ad cautelam : quam praxim et nos sequamur. Ita in *Tolentin., 27 Febr. 1847* (n. 5077), proposito dubio : « Num ecclesia consecrata quae militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit, censenda sit profanata ac propterea indigeat reconciliatione a Pontificali Romano praescripta » ; S. R. C. reposuit : « Ad cautelam esse reconciliandam ». Haec cohaerent responsioni datae in *Carpen., 3 Mart. 1821* (n. 4577). Nam Vicarius Capitularis exposuerat : « Cum per hanc civitatem transitum fecerint Austriacae copiae,

(1) Schmalz., *lib. III Decret., tit. XL, n. 82* ; Pirhing, *n. 12* ; S. Alphonsus, *VI, n. 364* ; D'Annibale, *l. c.* ; Barbosa, *De off. et pot. episc., alleg. XXXVIII, n. 27* ; Suarez, *in 3 p. D. Thomae, disp. LXXXI, sect. 4,* cum communi.

stationem suam posuerunt in pluribus ejusdem ecclesiis, inter quas tres consecratione delibutae recensentur. Ibidem milites dormiverunt, succenderunt ignem et alicubi fregerunt altaria; insuper equos induxerunt et omnimodis usi sunt, veluti a copiis militaribus usitatur. Vicarius itaque orator ad pedes Sanctitatis Vestrae sese provolvit, ut opportunas instructiones facultatesque sibi impertiri dignetur, quo illiusmodi ecclesiae reconciliari et pro fidelium commoditate quam citius divino cultui iterum aperiri possint ». Responsum fuit: « Ex audientia SSmi *3 Martii 1821*: SSmus Vicario Capitulari oratori facultatem concedit sive per se sive per alios sacerdotes ab eo specialiter deputandos reconciliandi ecclesias consecratas de quibus in precibus, servato ritu a Pontificali Romano praescripto, adhibitaque aqua per catholicum episcopum benedicta. Ecclesiae autem simpliciter benedictae ab eodem Vicario vel a sacerdotibus per eum designandis reconciliari poterunt juxta formam a Rituali Romano traditam... Ceterum orator in ecclesiarum reconciliatione exequenda prudenter se gerat eamdemque private et absque populi concursu fieri curet ». Haec tandem cohaerent etiam responsioni datae in *Argentinen.*, *3 Apr. 1697* (n. 3445), ubi cum milites in quibusdam ecclesiis monasterii, sepulchris perfractis, reliquias ab altaribus extraxissent, quin constaret num ecclesiae pollutae fuerint, proposito dubio: « 1° An ipse (Abbas) cum aqua benedicta ab aliquo catholico antistite supradictas ecclesias benedicere et reconciliare per se ipsum, quatenus indigeant, possit. Quatenus negative, supplicat pro facultate »; S. R. C. reposuit: « Quoad primum: Secretario cum SSmo pro facultate ». In *Corduben.*, *11 Julii 1807* (n. 4506), eadem S. C. noluit quaestionem generalem de dubia Ecclesiae pollutione dirimere; nam proposito dubio: « 1° Quid agendum in dubio ecclesiae cathedralis pollutae et in dubio illius reconciliationis rite vel non rite factae »; reposuit: « Ad 4um: Ad mentem Emi Ponentis. Mens est quod, facto verbo cum SSmo, scribatur episcopo non esse amplius de hac re inquirendum ».

247. 2° Ecclesiam in subjecta materia esse stricte in-

telligendam. Hinc ex recensitis in jure canonico actionibus certe polluitur ecclesia consecrata aut benedicta ; item oratorium publicum consecratum aut benedictum. E contrario certe non polluitur oratorium privatum quodcumque, quia hoc non venit nomine ecclesiae in communi usu loquendi. Sed num polluatur ecclesia aut publicum oratorium nec consecratum nec benedictum, sed tantum ab Ordinario divinis obeundis interim deputatum ? Communior sententia affirmat, quia haec est ecclesia in usu loquendi communi ; insuper quia ex *cap. ult., De consecratione ecclesiae vel altaris,* apparet pollui etiam ecclesiam non consecratam ; tandem quia in *cap. 9, De immunitate ecclesiarum, coemeterii et rerum ad eas pertinentium,* Gregorius IX tradit privilegium immunitatis competere ecclesiae in qua divina mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, quia obsequiis divinis dedicata nullius est temerariis ausibus profananda (1). Imo Suarez, *l. c.*, addit hanc ecclesiam pollui, etsi nondum in ea officia divina coeperint celebrari. Sed non desunt qui contrariam retinent opinionem, quos vide apud De Lugo, *l. c., n. 59,* quia stricte loquendo nomine *ecclesiae* intelligitur tantum templum consecratum vel benedictum, ut docet ipse Suarez in *3 p. D. Thomae, disp. LXXXI, sect. IV,* § *Quinto* in fine. Neque aliquid probat in contrarium sive *cap. ult., De consecratione ecclesiae vel altaris,* quia, praeter ecclesiam consecratam, certe polluitur ecclesia benedicta ; sive *cap. 9, De immunitate etc.,* quia privilegium immunitatis est latae interpretationis, et ideo nil mirum quod extendatur etiam ad hanc ecclesiam vel oratorium publicum, quod, late loquendo, venit profecto nomine *ecclesiae.* Unde concludimus dubium esse, num jura quae de pollutione agunt, etiam hanc ecclesiam vel oratorium publicum nec consecratum nec benedictum comprehendant. Ceterum nomine ecclesiae non venit sacristia, nec porticus, nec turris campanaria, nec externa parietum pars, nec ca-

(1) D'Annibale, *l. c.* ; De Lugo, *l. c., n. 60* ; Suarez, *De religione, tom. 1, cap. IX, n. 2 et 3.*

merae adjacentes seu cubicula officialium, nec tectum, imo nec coenaculum (*grenier*) inter primum et alterum tectum, ita ut actio posita in his locis ecclesiam nullatenus polluat. At integra ecclesia polluitur, si actio ponitur in aliqua capella sive subterranea sive superiori, quia capellae sunt partes ecclesiae et cum ea velut unum constituunt (1).

248. 3° Pollutionem non esse extendendam de casu ad casum, ita ut ex actionibus quae similes aut etiam graviores sunt recensitis, ecclesia polluatur quidem materialiter, sed non juridice. Hinc, e. g. ecclesia polluitur sepultura excommunicati nominatim, ut infra exponemus, non vero sepultura nominatim suspensi aut interdicti (2). Hinc etiam si, violentia facta, fures ecclesiam ingressi, aperto tabernaculo, ciborium cum particulis abstulerint et particulas ipsas profanaverint, ecclesia non est exinde polluta. Item, ecclesia proprie loquendo non polluitur per spurcitias hominum vel animalium illic stabulantium, « licet deceat et praxis habeat, ut per episcopum vel saltem sacerdotem cum aliqua caeremonia reconcilietur et abluatur : quod in simili casu intellige de altari ». Ita Busembaum apud S. Alphonsum, *VI, n. 367*, cum Layman, *lib. III, tract. V, cap. V.*

249. 4° Nec pollutionem extendi de loco ad locum, nisi contrarium aperte probetur. Hinc pollutio coemeterii contigui ecclesiae non afficit ecclesiam ; et si duo coemeteria contigua intermedio pariete separantur, etsi in eo pariete janua aditum ad alterum praestet, pollutio unius non afficit alterum. Haec expresse traduntur in *cap. un., De consecratione ecclesiae vel altaris, in 6°*. Etsi praecise in separatione, e. g., in fossa quae separat, actio polluens ponitur, putamus neutrum coemeterium esse pollutum. E contrario pollutio ecclesiae afficit quoque coemeterium ei contiguum, ita expresse statuente Bonifacio VIII in cit. *cap. un.* Pariter pollutio ecclesiae afficit omnes ecclesiae capellas sive subterraneas sive superiores (*n. 247*) ; item afficit evidenter

(1) De Lugo, *l. c.*, *n. 58* ; Fagund., *De praec. Ecc.*, *lib. III*, *cap. IV*, *n. 46* ; D'Annibale, *l. c.*

(2) Schmalz., *l. c.*, *n. 77* ; Pirhing, *n. 13*.

altaria immobilia ecclesiae pollutae, non autem altaria mobilia, si alibi asportentur.

250. His positis, polluitur ecclesia :

1° *Homicidio*. Id clare desumitur ex *cap. 4, De consecratione ecclesiae vel altaris*, ubi Innocentius III, Compostellano archiepiscopo rescribens, tradit ecclesiam in qua « homicidia contingunt fieri interdum et aliquando vulnera inferuntur », esse reconciliandam. Id traditur etiam expresse in *can. 19, dist. 1, De consecr.*, in Decreto, ibi : « Si homicidio vel adulterio ecclesia violata fuerit, diligentissime expurgetur et denuo consecretur ». Hunc canonem Gratianus adscribit Hygino Papae ; sed potius inscribendum Vigilio et referre disciplinam saeculi VIII, docet Berardi, *Canones Gratiani, etc., p. II, cap. VII*. Non refert utrum quis seipsum an alium uno aliove modo interfecerit, licet sine ulla sanguinis effusione, e. g., veneno, aut laqueo, et licet occisus fuerit pessimae vitae. Sed homicidium debet esse voluntarie commissum, ita ut sit graviter peccaminosum ; unde non polluit ecclesiam homicidium casuale, vel ab amente, aut infante, aut plene ebrio, si ante ebrietatem periculum non praevidit, perpatratum (1). Item homicidium debet esse graviter injuriosum loco sacro : hinc non polluit ecclesiam occisio aggressoris cum moderamine inculpatae tutelae ; bene vero capitalis rei executio in ecclesia peracta, etsi ceteroquin justissima. Tandem homicidium debet esse causatum in ipsamet ecclesia, idest causa physica et proxima mortis debet esse posita in ecclesia. Hinc non polluitur ecclesia si quis, accepto extra ecclesiam vulnere ad ecclesiam confugit et ibi moritur, etsi percussor fuerit in ecclesia et ex ea percusserit (2). E contrario ecclesia polluitur si, intra ecclesiam vulnere recepto, extra eam quis expiret, etsi percussor fuerit extra ecclesiam (3). Polluere ecclesiam etiam martyrium, indubium est, contra Abbatem, in

(1) Schmalz., *l. c., n. 78* ; Pirhing, *n. 10* ; S. Alphonsus, *VI, n. 364*.
(2) D'Annibale, *l. c., not. 21* ; Schmalz., *l. c.*
(3) D'Annibale, *l. c.* ; De Lugo, *l. c., n. 53* ; Layman, *lib. III, tract. V, cap. V, n. 8*; S. Alphonsus, *VI, n. 364, probabilius*, contra Suarez, Azorium, Dianam aliosque.

cap. 4, De consecratione ecclesiae vel altaris, n. 2, quia martyrium, active spectatum, est gravissime peccaminosum et ecclesiae injuriosum.

251. 2° *Humani sanguinis effusione.* Id expresse traditur in *cap. ult., De consecratione ecclesiae vel altaris*, ibi : « Si ecclesia non consecrata cujuscumque fuerit semine aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne divinae laudis organa suspendantur. Est tamen quam citius fieri potest, consecranda ». Pariter Bonifacius VIII in *cap. un. ejusd. tit., in 6°* : « Si ecclesia pollui sanguinis aut seminis effusione contingat, etc. ». Id significat etiam Innocentius III in *cap. 4, De consecratione ecclesiae vel altaris*, per verbum *vulnera*. Idem habetur quoque in *can. 20. dist. 1, De consecrat.*, in Decreto ; sed est incerti auctoris, falso adscriptus concilio Nicæno (1). Proinde ecclesia polluta non esset, si vulnus tantum inflictum fuit, sine sanguinis effusione, cum canones de effusione sanguinis loquantur. Et quidem ad pollutionem requiritur magna sanguinis abundantia et copiosus fluxus, quem significat *effusio*. Id autem judicio boni viri est relinquendum. Insuper haec effusio sanguinis debet esse voluntaria, injuriosa et graviter peccaminosa, ut supra diximus de homicidio, qualis non facile est inter pueros (2). Hinc « si ex actione leviter tantum peccaminosa fiat sanguinis effusio, prout fit si pueri invicem in ecclesia se percutiunt, vel si pater, magister, causa correctionis, modum leviter excedendo, percutit, ut sanguis copiose e naribus fluat, vel per aliam actionem graviter non peccaminosam, etiam a majoribus factam, causetur copiosa sanguinis effusio, ecclesia non violatur ». Ita Reiffenstuel, *l. c., n. 16*. Nonnulli censent effusionem sanguinis e naribus pugno vel alapa causatam nunquam violare ecclesiam, quia nares sunt organum, unde sanguis nimis facile emittitur. Citatus auctor subdit : « Verum contrarium resolvit et *judicatum* refert

(1) Berardi, *Canones Gratiani*, etc., *p. I, cap. VII.*

(2) Barbosa, *De officio et pot. episc., Alleg. XXVIII, n. 36* ; Suarez, in 3 *p. D. Thomae, disp. LXXXI, sect. IV*, § 2, in fine ; Reiffenstuel, *l. c., n. 15, 16* ; D'Annibale, *l. c.*

Mar. Anton., *Variar. Resolut., lib. I, resolut. 112, casu 6*, Barbosa, *l. c., n. 36*, et alii, in casu quo majores quatuordecim annis, graviter percutientes, sanguinis effusionem e naribus causant, quia hujusmodi percussio, v. g., per alapam, publice in ecclesia alteri inflictam, ordinarie censetur injuriosa et peccaminosa ». Tandem requiritur ut effusio sanguinis causetur in ipsa ecclesia; de qua re repetenda sunt quae supra pro casu homicidii diximus. At non est necesse ut sanguis ipsam ecclesiam contingat; unde pollutio verificaretur, etsi sanguis in vestimentis absorptus, vel in vase collectus esset (1).

252. 3° *Humani seminis emissione*, ex *cap. ult., De consecratione ecclesiae vel altaris*, ibi *semine*; et ex *cap. un., ejusd. tit., in* 6°, ibi : *seminis effusione*; et ex *cap. 5, De adulteriis et stupro* ; adde etiam citatum (*n. 249*) *can. 19, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, ibi : *adulterio*. Proinde quocumque modo haec emissio humani seminis fiat, pollutione, fornicatione, bestialitate, etc., ecclesia polluitur ; imo putamus pollui etiam per peccaminosam pollutionem foeminarum, quia licet foeminae verum semen non habeant et verba canonum in hac materia sint stricte intelligenda, tamen ille foeminarum viscosus humor, tanquam verum semen, quando nostri canones lati sunt, habebatur, et non est dubium hos canones etiam illum comprehendere, cum eadem sit ratio (2). Requiritur autem ut sit voluntaria : unde non polluitur ecclesia, si dormienti aut etiam vigilanti, praeter voluntatem, accidat ; eo vel magis quod in hoc casu notoria et publica non est. Insuper debet esse graviter peccaminosa, qualis est semper humani seminis voluntaria emissio extra copulam conjugalem. Quaeri solet utrum conjugalis copula, in ecclesia habita, pollutionem producat. Responsio negativa certa est apud omnes, si copulam ibi conjuges habeant ad evitandum incontinentiae periculum,

(1) Schmalz., *l. c., n. 80* ; Barbosa, *De off. et pot. episcopi, Alleg. XXVIII, n. 24* ; Gonzalez, in *comm. cap. 4, De consecr. ecclesiae vel altaris*.

(2) Lemhkuhl, *tom. II, n. 222*. Ceterum haec peccata occulta esse solent.

e. g., si tempore belli diu in loco sacro inclusi sese continere non valeant. Extra hunc necessitatis casum, pro certo habemus copulam conjugalem ecclesiam polluere, quia est quidem licita in se, praecisione facta a loco sacro, sed est maxime injuriosa loco sacro ; et ideo, sicuti justissima capitalis rei executio ecclesiam polluit, si ibi peragatur (*n. 249*), ita conjugalis copula. Revera in cit. *cap. ult.*, *De consecratione ecclesiae vel altaris*, statuitur ecclesiam pollui *cujuscumque semine* (1). Pariter pro certo habemus ecclesiam pollui, si impii homines, ibi Titium attrectantes, pollutionem causant, quia haec, ad instar homicidii aut sanguinis effusionis, est voluntaria et graviter peccaminosa non Titio, sed impiis illis hominibus (2).

253. *h° Sepultura infidelis seu non baptizati.* Id communissima sententia retinet (3), citans *can. 27, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto : « Ecclesia in qua paganus sepultus est, non liceat consecrare, nec Missas in ea celebrare, sed jactari foras et mundari oportet ». Hunc canonem Gratianus adscribit concilio Aurelianensi, dum tribuendus est potius Theodoro Cantuariensi (4). Item *can. 28 ejusd. dist.* : « Ecclesiam in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet ; sed si apta videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus et rasis parietibus vel lignis ejus loci, reaedificetur : sed si haec consecrata antea fuerit, Missas in ea celebrare licet, si tamen fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt ». Gratianus hunc canonem tribuit concilio Agrippinensi, dum potius est desumptus ex *Capitularibus Regum Francorum*, *lib. V, cap. III* (5). At facile patet hos canones nec rem evincere, nec, si rem evincerent, auctoritatem pro tota Ecclesia habere : proinde pol-

(1) Reiffenstuel, *l. c., n. 20* ; Pirhing, *n. 12* ; Navarrus, *Man., cap., XXVII, n. 257* ; Sanchez, *De matr., lib. IX. disp. XV, n. 7* ; Barbosa, *l. c., n. 47*.

(2) Contrarius videtur Reiffenstuel, *l. c., n. 125*.

(3) Reiffenstuel, *lib. III Decret., tit. XXXVIII, n. 91* ; D'Annibale ; *l. c., not. 19*.

(4) Berardi, *Canones Gratiani*, etc., *P. I, cap. XXIX*. Cf. Friedberg, in *h. l.*

(5) Berardi, *l. c., cap. LVII*.

lui ecclesiam ex sepultura infidelis nullo juris textu revera probatur, cum praeter relatos canones nullus alius citari soleat ; et quoniam poenalia et odiosa sine juris textu induci non debent (1), dicendum videtur sepulturam infidelis in ecclesia esse quidem illicitam, sed ecclesiam non polluere, ita ut satis esset infidelis cadaver removere. Ceterum communior sententia est nomine infidelium non venire catechumenos ; imo nec veniunt infantes ex christianis parentibus sine baptismate mortui sive in utero matris, quod nemo negat, sive extra uterum, quae minus communis, sed magis probabilis sententia est, cum citati canones loquantur de *paganis et infidelibus*.

254. 5° *Sepultura excommunicati vitandi*, qualis post Martini V const. *Ad evitanda*, est tantum nominatim excommunicatus et publicus clerici percussor. Id deducitur ex *cap. 6, De consecratione ecclesiae vel altaris*. Ibi enim Innocentius III tradit : « Coemeteria in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquae solemniter benedictae, sicuti in dedicationibus ecclesiarum fieri consuevit ». Unde haec coemeteria polluuntur sepultura excommunicati, et ideo a fortiori dicendum pollui ecclesiam. Quoniam vero tempore Innocentii III omnes excommunicati erant vitandi, inducta postea distinctione inter toleratos et vitandos, merito quaeritur num ecclesia polluatur etiam sepultura excommunicati tolerati, e. g., qui ad sectam haereticam aut schismaticam notorie pertinebat. Communior sententia negat (3) ; sed verius Thesaurus, *De poenis, p. II, cap. IV*, affirmat, ex *cap. 2, De haereticis, in 6°*, et citat etiam declarationem S. C. Inquisitionis diei *6 Nov. 1641*. Confirmatur ex responsione S. R. C. in *Carthaginen. in Indiis, 23 April. 1875* (n. 5597). Nam expositum fuit in ecclesiis illius dioecesis sepulta anteactis temporibus fuisse cadavera non solum catholicorum,

(1) Reiffenstuel, *l. c., n. 21*.

(2) D'Annibale, *l. c.;* Engel, *lib. III Decret., tit. XL, n. 13* ; Schmalz., *n. 74, non improbabiliter*, citans Ugolin., Jordan., Wiest.

(3) Schmalz., *l. c., n. 75 ;* D'Annibale, *l. c.* ; Barbosa, *l. c., n. 52* ; S. Alphonsus, *IV, n. 366* ; De Lugo, *l. c., n. 57*.

sed et hebraeorum ac protestantium. Hic abusus deinceps remotus fuit, sed cum permulti catholici optarent suorum cadavera in ecclesiis sepeliri, episcopus petebat num haec licentia esset concedenda. S. C. reposuit : « Quod usus superius expositus improbandus non sit, quatenus servantur singulae canonicae dispositiones et quatenus sacrae aedis stabilitati non noceat : quoad vero ossa et cadavera acatholicorum jam condita in ecclesiis, removeantur, si adhuc dignosci possint, adhibita omni prudentia, et ecclesiae ipsae reconcilientur, si id jam non praestitit episcopus, *eo quia ex tumulatione cadaverum acatholicorum* pollutae fuerint ». Ratio juridica videtur esse quia ex inducta distinctione inter excommunicatos vitandos et toleratos nullus favor toleratis obvenire debuit. Ceterum eadem S. C. in *Aretina*, *4 Sept. 1875* (n. 5632), proposito dubio : « An ecclesia jam consecrata et postea mutata in sepulchretum indigeat nova consecratione vel tantum benedictione ut cultui divino restituatur, cum modo parochus et populus velint illam iterum reducere ad usum ecclesiae, cum coemeterium vulgo *a sterro* circa ipsam effformatum sit » ; reposuit : « Ad 1um : In casu ecclesiam ad majorem solummodo decentiam ac reverentiam esse benedicendam ». Ex qua responsione patet ecclesiam in casu non fuisse nec exceratam nec pollutam.

255. Tandem de reconciliatione ecclesiae pollutae, ut ibidem divina officia rursus celebrari valeant. Certe ecclesia polluta non reconciliatur sola Missae celebratione (1). Hinc in *Oppiden., 19 Aug. 1631* (n. 1001), S. R. C. ad dubium : « An per celebrationem Missae in ecclesia polluta, dicatur reconciliata » ; reposuit : « Ad 2um : Negative ; et ideo deberi reconciliari juxta formam praescriptam in Pontificali ». Ritus pro reconcilianda ecclesia consecrata tradit Pontificale ; pro reconcilianda ecclesia benedicta tradit Rituale Romanum.

256. Reconciliatio ecclesiae consecratae reservatur diocesano episcopo, qui potest eam committere alteri epis-

(1) Schmalz, *l. c.*, *n. 85*, cum communi.

copo, non autem simplici sacerdoti. Id expresse tradit Gregorius IX in *cap. 9, De consecratione ecclesiae vel altaris*, reprobans, uti corruptelam, contrariam consuetudinem provinciae Bracharensis : « Aqua per episcopum benedicta ecclesiam reconciliari posse per alium episcopum non negamus, per sacerdotes simplices hoc fieri de cetero prohibentes, non obstante consuetudine provinciae Bracharensis, quae dicenda est potius corruptela ; quia licet episcopus committere valeat quae jurisdictionis existunt, quae ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare. Quod autem mandantibus episcopis super reconciliatione factum est hactenus per eosdem, misericorditer toleramus ». Vide etiam responsionem S. R. C. in *Camera-cen.* infra citanda. Sede vacante, etiam capitulum ac postea vicarius capitularis potest hanc licentiam episcopo alieno concedere. Ceterum episcopus alienus, sine legitima licentia, ecclesiam illicite quidem, sed valide reconciliat, uti reposuit eadem S. C. in cit. *Oppiden.* ; nam ad dubium : « An ecclesia reconciliata ab episcopo non habente jurisdictionem in loco dicatur bene reconciliata vel non » ; S. C. reposuit : « Ad 3um : Affirmative ». Igitur solus Romanus Pontifex potest sacerdoti simplici potestatem reconciliandi ecclesiam consecratam committere, ut expresse etiam notat Rituale Romanum in rubrica post *ritus reconciliandi ecclesiam violatam, si nondum erat ab episcopo consecrata*. Hoc indultum raro quidem, sed quandoque conceditur, si episcopus deficit et urget pro commoditate fidelium ecclesias consecratas pollutas reconciliari ; et exempla habes supra *n. 246*. Vide etiam *Salmanticen., 12 Dec. 1761* (n. 4307). Hoc privilegium habent etiam superiores regularium pro ecclesiis consecratis sui Ordinis. Pariter Romanus Pontifex potest reconciliationes nulliter factas sanare, ut patet, aliis omissis, ex relato *cap. 9, De consecratione ecclesiae vel altaris*, seu legi ecclesiasticae derogans, permittere, ut, non obstante pollutione, divina officia rursus in ecclesia polluta celebrentur, aut reconciliatio nulla tamquam valida habeatur. Hoc sensu intelligi potest responsio S. R. C. in *Caesaraugustana, 31 Aug. 1872* (n. 5508) ; nam expositum

fuit : « Ecclesia, a SSmo Salvatore nuncupata, rite fuit consecrata. Verumtamen, cum ad ejus reconciliationem perficiendam (quoniam an. 1795 polluta fuit ex culpabili humani sanguinis effusione) fuerit delegatus sacerdos sine apostolica venia, dubitari coeptum est utrum rite fuerit reconciliata, et an nova indigeret reconciliatione. Accedebat ad haec, quod in eadem ecclesia, etsi successive et in diversis temporibus, tamen maxima facta fuerint additamenta, in quibus antiquae ecclesiae parietes omnino demoliti et sublati fuerint. Quaeritur ergo : 1° An haec ecclesia sit iterum consecranda ; 2° Et si negative, quaeritur an saltem reconcilianda sit ab episcopo vel a sacerdote auctoritate apostolica munito ». S. C. reposuit : « Ad 2um : Ecclesiam SSmi Salvatoris non amisisse suam consecrationem, nec reconciliatione indigere ». Ecclesiam in casu non amisisse suam consecrationem, clare patet ex dictis *n. 181* ; sed fuerat polluta et nulliter reconciliata, et S. R. C. declarans ecclesiam nova reconciliatione non indigere, videtur vitium peractae reconciliationis sanare, nisi dicere velimus, post tantam temporis intercapedinem, cessante delicti memoria, ecclesiasticam pollutionis legem non amplius urgere. In reconciliatione ecclesiae consecratae episcopus utitur forma Pontificalis et aqua benedicta juxta ejusdem Pontificalis ritum cum mixtione vini et cineris ex *cap. 4, De consecratione ecclesiae vel altaris* ; haec aqua dicitur *episcopalis, consecrata, benedicta ab episcopo*, etc., ut distinguatur ab aqua lustrali communi. Etiam sacerdos delegatus uti debet eadem forma, ut reposuit S. R. C. in *Placentina, 19 Maii 1607, ad 10um* (n.351), et aqua ab episcopo benedicta, nisi aliud in indulto dicatur. Regulares, si episcopus distat duabus dictis (1), idest quadraginta milliariis, possunt aquam per seipsos benedicere ; insuper in *Imolen.*, *15 Dec. 1646* (n. 1573), cum Provincialis Ordinis Servorum aqua a se benedicta reconciliavisset ecclesiam sui Ordinis in qua postea, ut prius, officia recitata fuerant et Missae celebratae, S. R. C. censuit « ecclesiam esse reconciliatam, sed in

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 363*, cum Roncaglia *cap. 5, q. 6* aliisque.

futurum abstinendos esse Fratres in similibus ». Idem, ni fallimur, etiam de presbytero sacculari dicendum est.

257. Plures censent, cum glossa, in *cap. ult.*, *De consecratione ecclesiae vel altaris*, *v. lavetur*, simplicem sacerdotem posse, etiam sine delegatione episcopi, ecclesiam simpliciter benedictam reconciliare (1); et revera id clare tradere videtur Gregorius IX in cit. *cap. ult.* Sed obstat Rituale Romanum in rubrica praecedente *ritus reconciliandi ecclesiam violatam*, *si nondum erat ab episcopo consecrata*, ibi : *Ecclesiae violatae reconciliatio per* SACERDOTEM AB EPISCOPO DELEGATUM *fiat hoc modo, etc.* ». Accedit responsio S. R. C. in *Cameracen.*, *9 Febr. 1608* (n. 371) : « Ecclesiae consecratae et coemeterii reconciliationem, proprio episcopo impedito vel absente, committendam esse alteri episcopo ; simplicem vero benedictionem (nempe *reconciliationem*) ecclesiae vel coemeterii non consecrati posse committi alicui presbytero in dignitate ecclesiastica constituto ». Haec autem ultima verba non excludunt reconciliationem ecclesiae benedictae posse committi sacerdoti in dignitate ecclesiastica non constituto. Nam decet quidem ut episcopus in hac committenda potestate praeferat sacerdotem in dignitate ecclesiastica constitutum, sed tandem cuicumque sacerdoti eam potest demandare. Proinde in praxi tutius erit sacerdotem delegationem ab episcopo petere et obtinere in casu. Sede autem vacante, etiam vicarius capitularis potest ecclesiam benedictam reconciliare et hanc licentiam aliis sacerdotibus concedere ; uti colligimus ex responsione S. R. C. in *Carpen.* relata *n. 246*. Vicarius generalis id non potest sine mandato speciali. In reconciliatione ecclesiae tantum benedictae episcopus aut sacerdos utitur forma Ritualis cum aqua lustrali communi.

258. Ecclesia violata per sepulturam infidelis (si tamen exinde ecclesia violatur, *n. 253*), aut per sepulturam excommunicati, antequam reconcilietur, corpus, si discerni potest,

(1) Schmalz., *l. c.*, *n. 84* ; Pirhing, *n. 19*, *21* ; Monacelli, *Formularium, etc.*, *p. I, form. X, tit. VI, n. 25* ; Barbosa, *De off. et pot. episc.*, *Alleg. XXVIII, n. 57* ; Benedictus XIV, *De syn.*, *lib. XII, cap. XV, n. 2*; De Lugo, *l. c.*, *n. 61*.

prius exhumari debet et alio transferri, ex cit. *can. 27, 28, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, et ex *cap. 12, De sepulturis* ; dummodo hoc hodie sine perturbatione et periculo fieri possit (1).

259. Expensas pro reconcilianda ecclesia necessarias de rigore juris esse sustinendas ab eo qui ecclesiam polluit, si dignoscitur, et solvendo est par, vide apud Schmalz., *l. c.*, *n. 86*, et palam est.

Articulus IV

Quandonam extra ecclesiam et oratorium Missam celebrare liceat.

260. Extra ecclesiam et oratorium Missam de regula generali celebrari non posse, ex dictis aperte apparet. Aliis omissis, Conc. Trid., relatum *n. 208*, vetat ne episcopi permittant Missae celebrationem *omnino extra ecclesiam et oratoria divino tantum cultui dicata*. Gattico, *De usu altaris portatilis, cap. X, n. 6*, explicat curnam Concilium addiderit illud *omnino* : « Ideo autem opportunum duxit Concilium addere *omnino extra ecclesiam* ut ostenderet a se non improbari celebrationem quae fieret in sacristia, in choro et in reliquis capellis conjunctis vel immediate cum principali ecclesiae aedificio vel saltem choro et sacristia et ecclesiae coemeterio, quae loca ad ecclesiam velut ejusdem partes pertinent. Et en quare *omnino* praeposuerit Concilium de ecclesia loquens, non de oratorio, quia nempe oratorium, utpote angustiori forma extructum, praeter interiorem parietum ambitum, nihil sibi connexum, secundum communem oratoriorum structuram habet ». Haec autem generalis regula duas patitur exceptiones ; nempe Missam licet celebrare omnino extra ecclesiam et oratoria divino tantum cultui dicata sive ex privilegio a jure vel ab Apostolica Sede concesso, sive citra privilegium ex necessitate.

(1) D'Annibale, *l. c.*, *not. 28*.

§ 1. — *De Missae celebratione extra ecclesiam et oratoria ex privilegio.*

261. Hoc privilegium appellari vulgo solet *altaris viatici* vel *altaris portatilis*. Non consistit in eo, ut super altari viatico seu portatili celebrare valeamus, cum altare viaticum seu portatile absque ullo privilegio, aptum sit celebrationi Missarum, de qua re infra ; sed in eo consistit ut super altari viatico seu portatili nos sacrificium eucharisticum offerre valeamus in quocumque congruo et decenti loco etiam omnino extra ecclesiam et oratoria divino tantum cultui dicata. Proinde confundi non debet privilegium *altaris viatici* seu *altaris portatilis* cum privilegio *oratorii privati*.

262. Jure Decretalium regulares omnes habebant privilegium arae viaticae, quo poterant, absque ulla episcoporum licentia, super altari viatico ubicumque locorum celebrare. Id tradit Honorius III in *cap. 30, De privilegiis*. Hoc « privilegio fiebat ut Missam possent celebrare etiam in domibus laicorum sive super altari viatico sive super altari fixo, etiamsi laicus privilegium altaris privati minime haberet, propter eam rationem quod privilegium celebrantis suum vigorem haberet, licet celebrationis locus minime privilegiatus foret ». Ita Benedictus XIV, in cit. *const. Magno, 2 Jun. 1751*, § *29*. Hoc privilegium, non obstantibus nonnullorum regularium cavillationibus, sublatum fuit a Conc. Trid., *l. c.*, dum prohibet Missam privatis in domibus ac extra ecclesias et oratoria celebrari sive a saecularibus sive a regularibus, non obstantibus privilegiis et exemptionibus quibuscumque. Id tradit Benedictus XIV, *l. c.*, et postea Clemens XI *die 15 Dec. 1763* (1). Igitur ut regulares hoc privilegio fruantur, necesse est ut illud obtinuerint post Conc. Trid. ; secus juri communi subsunt sive intra, sive extra monasteria. Revera nonnulli ordines regulares hoc privilegium post Conc. Trid. habuerunt ;

(1) Fagnanus, in *cap. 28, De rescriptis, n. 42 sequ.* ; S. Alphonsus, *VI, n. 360.*

nempe Canonici Regulares Lateranenses a Pio IV *die 8 Martii 1565* ; Patres Societatis Jesu a Gregorio XIII *die 1 Oct. 1529*, sed tantum pro tempore missionum ab eis praedicatarum et de licentia Generalis vel Provincialis (1) ; Patres Praedicatores Provinciae Poloniae ab eodem Gregorio XIII *die 20 Junii 1580* ; Carmelitae Discalceati Provinciae Italiae a Clemente VIII ; Fratres Discalceati SSmae Trinitatis Redemptionis captivorum ab Urbano VIII pro Africa dumtaxat.

263. Praeterea jure Decretalium hoc privilegium habebant episcopi. Jam diximus (*n. 228*) episcopos potuisse in propriis domibus oratorium extruere pro Missae aliarumque sacrarum functionum celebratione ; sed hoc jus ad episcopales aedes restringebatur. Insuper episcopi poterant cum visitationem dioecesis obirent, aut iter intra dioecesim haberent, in altari viatico celebrare. Bonifacius VIII in *cap. 12, De privilegiis, in 6°*, privilegium altaris viatici eisdem concessit etiam pro locis extra dioecesim, inconsulto loci Ordinario : « Quoniam episcopi eorumque superiores se habent diversis ex causis a suis ecclesiis et dioecesibus absentare frequenter, nec semper possunt commode ad ecclesias accedere pro Missa celebranda vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet, absque rationabili causa, ullum diem, praesenti constitutione indulgemus eisdem, ut altare possint habere viaticum et in eo celebrare aut facere celebrari ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire divina ».

264. S. C. C. non semel declaravit hoc privilegium a Bonifacio VIII episcopis concessum non fuisse sublatum a Conc. Trid. Ita propositis dubiis : « 1° An per decretum Concilii

(1) Verba haec sunt : « Ut inter missiones quae a superioribus fiunt, presbyteri vestri... Missae sacrificium licite valeant celebrare super hujusmodi altare ubique gentium, etiam in castris militum, modo loca, etsi communia et profana, tuta et honesta sint, et Generalis, aut per eum Provinciales Praepositi eo tum utendum fore judicaverint. Itidemque possint hi presbyteri ipsi sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministrare fidelibus ad illud sumendum debite praeparatis ». Hoc privilegium communicari aliis regularibus in privilegiis Societatis communicantibus, tradit Lezana *tom. I Quaest. Regular., cap. XXI, n. 14* (Gattico, *op. cit., cap. XIII, n. 18*).

De observandis et evitandis, versu : *Neve patiantur* derogatum censeatur privilegio episcoporum de quo in *cap. fin. De privilegiis,in 6°* ; 2° An episcopi uti possint eodem privilegio *cap. fin.* extra casum absentiae a suis ecclesiis et dioecesibus, veluti ex causa valetudinis aut alicujus magni incommodi, vel ingruentis periculi »; S. C. C. *die 19 Jun. 1586* : « Ad 1um : Censuit non censeri derogatum. Ad 2um : Uti posse ex causa legitima ». Eadem S. C. similes dedit declarationes etiam post epistolam jussu Pauli V ad episcopos missam *an. 1615 (n. 210)* ; quarum unam habes *n. sequ.*

265. Porro Bonifacii VIII concessio spectat : 1° Episcopos dioecesim habentes, ut patet; 2° Episcopos mere titulares, quia et ipsi sunt absentes e dioecesi, nec ipsos decet sine Missa celebrata aut audita transire ullum diem sine rationabili causa ; insuper id pluries declaravit S. C. C. apud Gattico, *De usu altaris portatilis, cap. XII, n. 21* ; 3° S. R. E. Cardinales qui sub illis verbis Bonifacii VIII comprehenduntur : *Episcopi eorumque superiores* : hinc S. C. C. *die 18 Febr. 1623*, « censuit Cardinales, non secus atque episcopos, sine ulla episcopi dioecesani licentia, uti posse privilegio altaris portatilis ad praescriptum constitutionis fel. rec. Bonifacii VIII quae incipit : *Quoniam episcopi*, nec ejusmodi privilegium sublatum fuisse ejusmodi Concilii decreto *cap. un. sess. XXII, De observandis* etc. ». Alii omnes qui nec Cardinales sunt nec episcopi, privilegio Bonifacii VIII non gaudent. Episcopis autem illud obtinere a die promotionis in Consistorio, etiam ante eorum consecrationem, recepta sententia est (1), quia jam episcopi aliquo sensu sunt.

266. Jamvero ex his nonnulli hoc privilegio abusi sunt ; nam ad laicorum se domos conferebant, atque in iis vel ipsi Missam celebrabant, vel ut ibidem plures celebrarentur Missae, faciebant, idque nulla necessitate cogente, sed ad eum tantum finem ut vel proprium privilegium ostentarent, vel laicorum petitioni satisfacerent. Ut ii abusus corrigerentur,

(1) Gattico, *De usu altaris portatilis, cap. XII, n. 20* ; Fagnanus, in *cap. 25, De privilegiis, n. 23* ; Card. Petra, *tom. II, comm. in const. 8 Honorii III, n. 29* ; Passerinus, in *cap. ult. De privilegiis, in 6°*.

publicatum fuit a Clemente XI, *die 15 Dec. 1703*, sequens decretum : « SSmus Dominus Noster... expresse declarat episcopis et his majoribus praelatis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriae habitationis in domibus laicis, etiam in propria dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Dioecesani consensus adhiberetur, erigere altare ibique sacrosanctum Missae sacrificium celebrare sive celebrari facere ». Cum vero verba prohibitiva hujus decreti viderentur episcoporum aliorumque praelatorum privilegium altaris viatici penitus submovere, Innocentius XIII in litteris *die 13 Maii 1723* editis *super ecclesiastica disciplina in regnis Hispaniarum*, deinde a Benedicto XIII confirmatis ita ut in omnibus locis pro norma et regula haberi deberent, declaravit : « Quod cum in praedicto decreto statuatur non licere episcopis extra domum propriae habitationis in domibus laicis erigere altaria ibique sacrosanctum Missae sacrificium celebrare sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis in quibus ipsi episcopi forte occasione visitationis vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando episcopi in casibus a jure permissis vel de speciali Sedis Apostolicae licentia absentes a domo propriae ordinariae habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis ; his enim casibus licita iis erit erectio altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus ac in domo propriae ordinariae habitationis ».

267. Igitur hodie privilegium altaris viatici episcopis et Cardinalibus infra hos limites competit. Proinde ipsi nequeunt, sine apostolico indulto, privata in domo oratorium erigere, et ad illud accedere pro Missa celebranda vel audienda, etsi non in aliorum, sed in sui dumtaxat commodum. Sed in domibus privatis in quibus visitationis aut itineris causa hospitio excipiuntur, vel (cum id eis licet) moram faciunt, ipsi possunt, vi privilegii a Bonifacio VIII obtenti, super ara viatica seu portatili altari Missam celebrare ; et, saltem hodie, etiam propria celebrata, possunt permittere

ut alia celebretur, dummodo eidem ipsimet assistant. A fortiori haec poterunt in domo propriae habitationis, si proprio oratorio, e. g., in casu infirmitatis, uti nequeunt. Hoc privilegium valet etiam pro diebus solemnioribus quae in indulto oratorii privati excipi solent (*n. 235*); et omnes assistentes Missae satisfaciunt praecepto. Haec patent ex responsionibus S. R. C. quas *n. sequ.* citamus quaeque omnibus hac in re doctorum controversiis finem imponunt.

268. Ex dictis apparet quid dicendum in casu quo episcopus accedit ad privatam domum quae privatum habet oratorium ex apostolico indulto. Nempe si privilegium altaris portabilis locum non habet juxta ea quae mox diximus, viget tantum privilegium oratorii privati, ac proinde episcopus potest in oratorio celebrare juxta Breve neque plus neque minus quam quivis alius sacerdos, et ideo diebus exceptis celebrare nullatenus potest. Si e contrario privilegium altaris portatilis locum habet, episcopus oratorio uti potest, saltem hodie, loco et vice arae portatilis, et proinde utrumque privilegium viget, atque ita diebus quidem exceptis in Brevi pro oratorio privato poterit in hoc Missa celebrari ab episcopo aliove sacerdote tantum, sed diebus non exceptis poterunt tres Missae celebrari.

269. Haec tradit S. R. C. in *Dubia de episcopis titularibus, 22 Aug. 1818* (n. 4547) ; ubi haec habentur :

« Cum non una eademque sit auctorum omnino sententia de privilegiis quibus episcopi, titulares praesertim, gaudent relate ad Missae celebrationem dum in propria vel aliena dioecesi peragrantur, ad quascumque eliminandas dubitationes sequentia dubia in ordinario conventu S. R. C. diei *22 Aug. labentis anni* Emis ac Rmis Patribus enucleanda proposita sunt. Nimirum :

« 1° Se un vescovo titolare possa, senza uno speciale rescritto, erriggere l'altare ovunque egli voglia, ancorchè nella casa di sua abitazione esista già una capella per uso de' suoi parenti ?

« 2° Se possa, oltre la sua Messa, far celebrare altre Messe ?

« 3° Se detta Messa o Messe vagliano in adempimento

del precetto anche a suoi parenti seco abitanti ed alle persone non solo addette al suo servizio, ancorchè non necessarie nell'atto della Messa, ma anche di servizio di detti suoi parenti seco abitanti?

« 4° Se possa celebrare e far celebrare ne' giorni soliti eccetuarsi nell' Apostolico indulto?

« 5° Se nel caso che i suoi parenti, quali già godono dell' oratorio privato, avessero fatto celebrare la Messa, possa il vescovo far celebrare un altra Messa oltre la sua » (1)?

S. C. respondendum censuit:

« Ad 1um: Affirmative. Verum consulendum SSmo pro extensione privilegii, videlicet quod episcopi, in casibus a jure permissis, hospitantes domi vel parentum vel extraneorum, qui gaudent indulto oratorii domestici, possint et valeant in eodem celebrare vel celebrare facere loco et vice arae portatilis, quam tantum extra propriam dioecesim indulget Bonifacius VIII, *cap. Quoniam episcopi. De privilegiis, in 6°*, servata in reliquis forma decreti s. m. Clementis XI, juxta tamen posteriores declarationes s. m. Innocentii XIII et concilii Romani sub Benedicto XIII, *cap. XV, n. 3.*

« Ad 2um: Negative. Verum consulendum SSmo pro extensione privilegiorum quoad unicam Missam quam, propria celebrata, episcopi solent audire.

« Ad 3um: Affirmative quoad familiares duntaxat eidem episcopo actu necessarios. Negative quoad reliquos.

« Ad 4um: Affirmative.

« Ad 5um: Jam provisum in 1° et 2° ».

Responsio autem ad 3um dubium correcta est per *Decre-*

(1) *Latine*: 1° Utrum episcopus titularis possit, absque speciali rescripto, erigere altare ubicumque velit, etsi in domo suae habitationis existat jam capella ad usum suorum consanguineorum?

2° Utrum possit, praeter suam Missam, alias celebrare facere?

3° Utrum haec Missa aut hae Missae valeant pro adimplendo praecepto etiam suis consanguineis secum commorantibus et personis non solum addictis suo servitio, etsi non necessariis tempore Missae, sed etiam addictis servitio suorum consanguineorum secum commorantium?

4° Utrum possit celebrare et celebrare facere in diebus de more exceptis in apostolico indulto?

5° Utrum casu quo sui consanguinei jam fruentes oratorio privato celebrare fecerint Missam, episcopus, praeter suam, aliam Missam celebrandam procurare possit?

tum diei *19 Maii 1896*, a Leone XIII probatum, quo eadem S. R. C. censuit : « Postulandum a SSmo ut deinceps episcopi omnes sive dioecesani sive titulares eodem privilegio condecorentur quo fruuntur Patres Cardinales ; scilicet ut non solum ipsi in propriae habitationis oratorio, aut super ara portatili, ubicumque degunt, Missam facere aliamque in sui commodum permittere valeant, sed etiam fideles omnes alterutram ex eisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, praeceptum ecclesiae adimpleant ; contrariis non obstantibus quibuscumque ».

270. Proinde dubia proposita in *Tarvisina*, *12 Mart. 1836* (n. 4776), facilis erant solutionis. Nam episcopus quaesivit : « An episcopus gaudens, prout est de more, privilegio altaris portatilis, licite possit, si forte aliquando sit morbo impeditus, jubere ut aliquis ex sacerdotibus sibi benevisis super idem altare portatile decenter collocatum juxta cubiculum suum, sacra peragat ad devotionis solatium ? Et quatenus negative, idem episcopus enixe deprecatur pro hujusmodi indulto valituro pro quocumque casu eventuro ad ejusdem episcopi oratoris vitam ». S. R. C. reposuit : « Affirmative ad 1^am^ partem. Ad 2^am^ : Non indigere ».

271. Ulterius privilegium altaris viatici habent *Auditores Rotae*. Illud ipsis concessit ante Conc. Trid. Clemens VII, *Nonis Aug. 1527*, et postea confirmavit Paulus III, *die 17 Aug. 1537*. Proinde hoc privilegium a Conc. Trid. fuisse revocatum, non est dubium. Sed deinde Clemens X, *14 Kal. Jan. 1671*, omnia antiqua privilegia Auditorum innovavit, et ita hoc quoque privilegium revixit. Vide etiam Clementis XIII const. *Ex justitia*, *27 Aug. 1762*, § *6*. Idem privilegium *Apostolicis Referendariis* elargitus est ante Conc. Trid. Paulus III, *die 30 Julii 1540* ; et num fuerit postea a Romanis Pontificibus confirmatum, ignoramus. Tandem illud habent protonotarii apostolici participantes, ex Pii IX const. *Quamvis*, *9 Febr. 1853*, non vero protonotarii *ad instar* (*n. 679*, *8°*).

272. Omnes Vicarii Apostolici a S. C. de Prop. Fide habent indultum quo missionariis concedere possunt privilegium celebrandi super altare portatile, etiam sub terra et

sub dio, in loco tamen decenti. Nonnumquam Sedes Apostolica etiam fidelibus sive sacerdotibus sive non sacerdotibus hoc privilegium petentibus concedit hodie per Secretariam Brevium, antiquitus per S. C. C. Hoc in casu una tantum Missa permittitur, nisi contrarium in Brevi exprimatur; sed quocumque die Missa celebrari licet, servatis servandis, etiam feria V majoris hebdomadae, si hac die festum de praecepto occurrat. At Missa celebrari non potest, nisi praesente privilegiata persona, quae sola satisfacit praecepto, nisi aliud ex Brevi constet. Romanus Pontifex in Brevi praecipit ut altare portatile *debito cum honore et reverentia teneatur*: quod illius consecratio postulat. Insuper addit Missam celebrari non posse, nisi in *loco honesto et tuto*; *honesto* nempe locus debet esse congruus Missarum celebrationi, mundus et convenienter ornatus; *tuto*, ita scilicet ut Missa possit secure, absque ullius profanationis periculo, celebrari. Hinc ex simplici concessione altaris viatici Missa celebrari non potest *sub dio*, *sub terra*, *in navi*, quia haec loca, utcumque munda et ornata, honesta ac tuta non sunt. Revera quando S. Sedes id indulget, expresse dicit in rescripto, aut saltem non praecipit ut Missa celebretur in locis honestis ac tutis; e. g., in concessione Bonifacii VIII in favorem episcoporum nulla habetur restrictio, salvo semper jure divino; et in rescripto quo missionariis datur indultum altaris viatici, permittitur Missae celebratio sub terra et sub dio, et praescribitur tantum ut Missam celebrent in locis *decentibus*. Ceterum necesse non est ut locus celebrationis Missarum prius ab Ordinario visitetur, nec necessario requiritur ut locus sit *ab omnibus domesticis usibus libero* (*n. 217*), nisi aliud Breve ferat.

§ 2. — *De Missae celebratione extra ecclesiam et oratoria ex necessitate.*

273. Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio*, *lib. III*, *cap. VI*, *n. 7*, haec habet: « Lex quae prohibet ne quis Missam alibi celebret, quam in templis aut oratoriis publicis privatisque, praecipuam quamdam restrictionem habet, si Missa quae omnino celebranda sit, non possit in

hujusmodi locis celebrari ; nam eo in casu licet sacrificium ubique facere, dummodo locus in quo fit, nihil indecoris habeat, juxta *can. Concedimus, dist. 1, De consecr.* : *In itinere vero positis, si ecclesia defuerit, sub dio seu in tentoriis, si tabula altaris consecrata ceteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus ; aliter omnino interdicimus.* Et juxta *can. Sicut, De consecr., dist. 1* : *Satius est Missam non cantare aut non audire quam in illis locis ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate, quoniam necessitas non habet legem.* S. Thomas, *3 p., qu. 83, a. 3*, in responsione *ad 2um*, duobus illis textibus canonicis utitur, ut ostendat etiam extra templa posse, si necessitas urget, Missam celebrari. Suarez in *3 p., disp. 81, sect. 3*, notat haud ita fidendum illis textibus, qui neque ex constitutionibus Summorum Pontificum, neque ex decretis conciliorum generalium desumpti sunt ; quo significare voluit iis non propterea auctoritatem legis accedere quod a Gratiano in Decretum suum conjecti sint, sed tantum iis esse auctoritatis, quantum habeant apud auctores suos. Eos autem ait communi consuetudine esse receptos et aequum esse Missam, si legitima causa interveniat, extra templa etiam et capellas celebrari posse ». Equidem Trid. Conc. prohibuit episcopis ne permitterent Missae celebrationem omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, et a fortiori hanc celebrationem prohibuit sine episcopi licentia. At mens Tridentini non fuit sub hac prohibitione comprehendere etiam urgentis necessitatis casus (1).

274. Haec necessitas in genere verificatur quando ecclesia vel oratorium non adest, aut adiri non potest, vel non sine magno incommodo, a fidelium multitudine quae proinde Missa cui assistere debet, careret, nisi haec extra ecclesiam aut oratorium celebraretur. Diximus *a fidelium multitudine*, quia Missa extra oratorium et ecclesiam celebrare non licet in gratiam aut solius sacerdotis, aut alicujus

(1) Gattico, *De usu altaris portatilis, cap. IX, n. 6 sequ.*

familiae particularis, aut paucorum fidelium. Ad rem Gattico, *l. c.* : « Si ageretur de paucorum tantummodo necessitate spirituali, satius esset profecto hos patienter tolerare defectum sacrificii, quam propter paucos relaxare rigorem sanctissimae Tridentinae legis diligentissime observatae... Verum dum multis simul est consulendum, extremam hanc severitatem a Trid. Conc. fuisse adhibitam, nulla ratione suadetur ». Quaenam vero sit fidelium multitudo, cujus spiritualis necessitas Missae celebrationem extra ecclesiam et oratorium permittit, prudenti Ordinarii arbitrio remittitur.

275. Nam, verificato etiam necessitatis casu, requiri Ordinarii licentiam pro licita Missae celebratione extra ecclesiam et oratorium, probat Gattico, *l. c.*, *n. 8 sequ.* (1). Quod si necessitas adeo urgens est ut nullam patiatur moram, sufficeret praesumpta Ordinarii licentia ; e. g., si in aliquo pago aut civitate omnes ecclesiae, ob terrae motum, corruerent, nec statim adiri posset Ordinarius, non esset Missarum celebratio sub tentoriis tamdiu differenda, quamdiu nuntius cum Ordinarii licentia regrederetur. Gattico, *l. c.*, *n. 12*, addit, Missam extra ecclesiam et oratoria, in casu necessitatis absque Ordinarii licentia, posse etiam licite celebrari, si haec consuetudo in dioecesi vigeat. Potius videamus quinam sint in concreto necessitatis casus, in quibus episcopus hanc Missae celebrationem permittere potest extra ecclesiam et oratorium, apte compositis portatilibus aris ad omne irreverentiae periculum removendum.

276. Juxta unanimem Doctorum sententiam, episcopus hanc licentiam elargiri potest : 1° Si tanta hominum multitudo ad aliquam ecclesiam confluat, ut illi capiendae angustia sacri aedificii impar sit ; 2° Si tempore pestis fidelium multitudo, in communes curationis vel experimenti domus detenta, ad ecclesiam et publica oratoria accedere nequeat ; 3° Si omnes oppidi vel civitatis ecclesiae vel publica oratoria ab hostibus occupata sint, aut ab elementis, e. g., a terrae motu, eversa, ita ut impossibile aut periculosum sit in eisdem sacra peragere. Attamen si una ecclesia

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 356* ; De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XX, n. 48* ; Salmanticenses, *cap. VI, n. 49.*

aut publicum oratorium superfuit, sua amplitudine capax continendi totius oppidi incolas, etsi aliae ecclesiae et oratoria publica corruerint, episcopus licentiam de qua agimus,concedere non posset ; 4° In militum castris, ab ecclesiis et oratoriis publicis longe distantibus. Capellani militum saepe habent privilegia pro sacramentorum administratione et Missae celebratione in militum gratiam ; quorum privilegiorum exemplar exhibet Gattico, *l. c.*, *n. 17*. At praescindendo etiam a peculiaribus capellanorum privilegiis, a Sede Apostolica obtentis, Ordinarius loci permittere posset Missae celebrationem sub papilionibus, ut milites eidem assistere valeant ; 5° Tandem si fidelium multitudo in itinere reperiatur, nulla extante ecclesia aut oratorio publico, in eorum favorem Missae celebratio permitti poterit in securo et decenti loco, e. g., in littore maris, si de navigantibus agatur.

277. Quaeritur num in ultimo exposito casu liceat Missam celebrare in navi. Hanc quaestionem magna eruditione, pro more, agit Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 8 sequ.* In primis enim merito reprobat usum *Missae siccae*, id est quae sine consecratione et consummatione, sed cum aliis omnibus caeremoniis celebratur in navi, vel coram infirmo, vel coram peregrinis ad aliquod sanctuarium confluentibus, deficiente vera Missa : haec enim Missa sicca non est nisi sacrificandi et celebrandi ridicula simulatio. Deinde quoad propositam quaestionem, relatis diversis doctorum sententiis, ita concludit : « Sed per Sedis Apostolicae quae nunc invaluit, praxim sublata est omnis disputatio Scribunt enim viri SS. CC. Romae peritissimi... (1) apostolico opus esse privilegio, ut in mari Missa celebrari possit; neque satis esse privilegium altaris mobilis quo continetur clausula *in loco honesto ac tuto* quae mari non convenit : ideoque peculiare privilegium oportere a Pontifice impetrare, quod nonnisi sub illis conceditur conditionibus, ut tutum navigium sit, ac longe absit a littore, tranquillumque sit mare et celebranti adsit etiam alter vel sacerdos vel diaconus qui, si quis coo-

(1) Cardinalis Petra in *comm. ad const. Apostolic. tom. IV, pag. 273 sequ.*; Meratus, ad Gavantum, *tom. I, par. I, pag. 298 sequ.*

riretur motus quo periculum esset ne calix everteretur, possit manu calicem ab ejusmodi periculo eripere. Videatur indultum quod militari Ordini Hierosolymitano concessit Clemens XI in ejus Bullario ordine undecimo, *pag. 51*, cui post accuratam S. C. ea de re disceptationem eae appositae sunt conditiones ». Igitur neque in gratiam fidelium navigantium, neque multo minus in commodum ipsius sacerdotis Missa in mari celebrari potest sine speciali Sedis Apostolicae indulto ; cujus indulti exemplum habes in *Anconitana, 30 Sept. 1847* (n. 5120).

278. Porro in relatis necessitatis casibus Missae celebratio extra ecclesiam et oratorium publicum permitti non potest, nisi diebus festis, cum in diebus ferialibus necessitas assistendi Missae non adsit (1). Haec doctrina firmatur ex responsione S. R. C. in *Sedunen., 27 Aug. 1836*. Nam parochus facultatem perpetuam celebrandi ante fores sacelli in honorem B. M. V. aedificati et ab ecclesia parochiali leuca distantis pro diebus Visitationis B. M. V et aliis in quibus occurrit populi concursus, petiit a Sede Apostolica ob praedicti sacelli exiguitatem qua fiebat ut multi, sacerdotem celebrantem non videntes, minorem sacrificii fructum perciperent (!?!) ; et ideo extra sacellum in muro altare extructum fuerat, quod, finito Missae sacrificio, ita claudebatur, ut omnis irreverentiae periculum remotum esset. S. R. C. rescribendum censuit: « Negative juxta votum » (2). Sed huic regulae generali nonnullae sunt exceptiones. Ita si plures fideles sive in itinere sive in castris Missa diu caruerunt, quae die feriali celebrari potest, aequum est ut spirituale Missarum subsidium et solatium eisdem die feriali praebeatur, praesertim si deinde Missae per plures dies assistere non possent. Item quando magna pugna subeunda quam primum fuerit, aut magna de hoste subacto fuerit reportata victoria, auctores probare solent Missae celebrationem die non festo. Gattico, *l. c., n. 11*, putat in tentorio supremi ducis exercitus etiam quotidianae Missae

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 336* ; De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XX, n. 48.*

(2) Vide in collectione Gardelliniana commentarium hujus responsionis.

celebrationem permitti posse. Pariter juxta fidelium multitudinis necessitatem, Ordinarius potest permittere die festo etiam plurium Missarum celebrationem.

279. Coronidis loco quaerimus num aliquando sacerdotibus catholicis licitum sit in templis schismaticorum et haereticorum Missam celebrare.

In primis animadvertimus templum ab haereticis erectum et dicatum non esse reipsa consecratum, saltem si dedicator verum characterem episcopalem non habebat, aut ritum ab Ecclesia catholica probatum in templi dedicatione non adhibuit. Hinc Benedictus XIV in epist. *Jam inde, 12 Maii 1756*, § *3*, rite animadvertit inauguratas ab haereticis ecclesias iterata consecratione dicari, citans plura antiquitatis exempla pluresque canones ex Decreto desumptos. Proinde manifestum est sacerdotes catholicos non posse Missam hoc in templo celebrare, etiamsi templum non amplius ad haereticos aut schismaticos, sed ad ecclesiam catholicam pertineat, nisi prius ab episcopo catholico valide dedicetur. Quod si dedicator erat verus episcopus et ritum Ecclesiae catholicae in dedicatione servavit, dedicatio valet juxta doctrinam Benedicti XIV, *l. c.*, § *5*, cum Glossa, in *can. 20, 21, 22, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, ita ut templum rursus dedicari non debeat, si ad cultum transeat catholicum; item templum catholicum ab haereticis occupatum non ideo suam dedicationem amittit. De hoc haereticorum aut schismaticorum templo valide dedicato procedit posita quaestio, nempe, num aliquando sacerdotibus catholicis liceat in eodem Missae sacrificium offerre.

S. C. S. Officii, *1 Dec. 1757*, huic quaestioni respondet: « Haberi pro regula universe accepta et servata, non licere catholicis communicare in divinis cum haereticis et schismaticis. Verum in quibusdam casibus particularibus regula haec aliquas patitur exceptiones, nempe si in eadem ecclesia habeantur capellae et altaria separata, quorum aliqua tantum catholicis, alia schismaticis inserviant; si ejusdem ecclesiae partes sint separatae, et in una celebrent solum catholici, in altera tantum schismatici: tum promiscuus ecclesiae usus tolerari poterit. Quatenus vero haec deficiant, R. P.

D. Archiepiscopus mandare poterit suae dioecesis parochis ut altaribus portatilibus utantur, juxta facultates illis in formula impertitas quasque Sanctitas Sua rursus dare et renovare intendit ». Si agitur de catholicorum ecclesiis quas haeretici aut schismatici occupaverunt, est ratio specialis favore sacerdotum catholicorum; nam ipsae ecclesiae jure ad catholicam pertinent Ecclesiam et insuper earum dedicatio fuit non solum valida, sed etiam licita. Hinc eadem S. C. *die 13 Junii 1634*, rescripsit : « In ecclesiis catholicorum Rhetiae ab haereticis occupatis missionarii possunt sua exercitia continuare ». Licet haec vera sint, tamen quoniam in concreto exinde de facto gravia semper oriuntur incommoda, pericula, scandala, hinc haec promiscuitas evitanda est; et S. C. de Prop. Fide non semel reposuit missionarios, potius quam celebrare in ecclesiis haereticorum et schismaticorum, etiam in altaribus separatis, debere uti privilegio altaris portatilis (1). Vicarius Apostolicus Malacensis recenter exposuit S. C. S. Officii gubernium britannicum aedificavisse favore militum unicam capellam, ubi die dominico, diversis horis, sacrae functiones celebrantur pro catholicis et pro protestantibus. In qualibet capellae extrema parte est altare, uni cultui exclusive reservatum, et dum ibi sacrae illius cultus peraguntur functiones, aliud altare diversi cultus velo absconditur. Vicarius Apostolicus petebat num haec tolerari possent, attenta difficultate capellam catholicis militibus propriam a gubernio anglico obtinendi. S. C. reposuit *die 5 Junii 1889* : « Attentis expositis, usum de quo quaeritur, tolerari posse, dummodo scandalum absit, et nulla alia habeatur ecclesia in qua catholici milites religionis officiis satisfacere valeant; et ad mentem. Mens est ut Vicarius Apostolicus sollicite curet ut a gubernio britannico erectionem capellae obtineat, quae soli catholicorum usui sit destinata; et si quidem gubernium recuset, studeat capellam hujusmodi, quo citius fieri potest, aedificari, conrogatis undecumque eleemosynis » (2).

(1) Vide Collectaneam S. C. de Prop. Fide, *n. 1797, 1798, 1799, 1831.*
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide *n. 1853.*

SECTIO II

De loco proximo celebrationis missarum, idest de altari (1).

280. Quocumque in loco sacrificium eucharisticum offeratur, semper offerendum est super altare. Proinde altare est locus proximus, immediatus et omnino necessarius pro Missarum celebratione; de quo modo agendum est.

Articulus I

Quid et quotuplex sit altare.

281. In genere altare est locus super quem sacrificium Deo offertur; et ideo sacrificium et altare sunt inter se relativa, quia altare est pro sacrificio offerendo et sacrificium offertur super altare et tantum super illud. Locus sacrificii appellatus est *altare*, veluti *alta ara*, quia, ut plurimum, nonnihil a terra sublevatus est, ut actio sacrifica commodior sit et facilius adstantes oblationem in illo peractam intueri valeant. Porro altare, proprie loquendo, comprehendit basim cum tabula superiori (2); sed aliquando nomine altaris venit etiam sola tabula superior, super quam sacrificium offertur, quaeque, strictiori sensu, appellatur etiam *mensa altaris*.

282. Altare eucharisticum, juxta receptam Ecclesiae disciplinam, dicitur et est *immobile* seu *fixum*, quando mensa altaris, sese protendens ad totum altare, consecratur conjunctim cum basi, ita ut unum compositum consecratum cum basi constituat, nec separari ab eadem possit, permanente consecratione. Hoc in casu altare appellatur immobile seu fixum, quia revera mensa altaris, quae venit nomine altaris (*n. praec.*), est fixa basi per consecrationem et ab

(1) Vide canonistas in titulo *De consecratione ecclesiae vel altaris, XL lib. III Decret.*

(2) De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XX, n. 71.*

eadem removeri nequit, quin altare statim suam consecrationem amittat. Hinc fingi utique potest altare *immobile* et *fixum* quod movetur et ad alium transfertur locum, remanente consecratione, si nempe ita elaboratum est, ut, quin tabula altaris a basi amoveatur, totum altare, scilicet basis cum tabula, de loco in locum transferri queat. Neque ad immobilitatem altaris necesse ullatenus est, ut ipsum altare sit super pavimento terram immediate tangenti; potest enim altare immobiliter consecrari, etsi subtus sit altera ecclesiae contignatio, seu subterraneum, uti reposuit S.R.C. *die 14 Dec. 1888* (1). In altari immobili seu fixo Missa celebrari potest in quacumque parte superioris mensae seu tabulae altaris, quia totum altare, tabula cum basi, est consecratum (2). Ceterum decet ut Missa non nisi in medio altaris celebretur.

283. E contrario aliquando non consecratur totum altare, mensa cum basi, sed consecratur sola mensa altaris, vel, ut plurimum, parva petra quae deinde ponitur in medio partis superioris altaris, de uno in alium locum asportabilis. Hoc in casu altare vocatur *mobile, gestatorium, viaticum, portatile,* quia talis revera est mensa seu petra consecrata, quae venit nomine altaris, licet reliquum altaris, haud consecratum, fixum sit et immobile. In hoc altari mobili Missa celebrari potest tantum super petram consecratam et non in alia altaris parte. Hinc si petra consecrata sese protendit ad totum altare, Missa celebrari potest in qualibet parte, etsi magis deceat ut in medio celebretur; si est parva, uti esse solet, in medio posita, super illam tantum Missa celebrari valet.

284. Gattico, *De usu altaris portatilis, cap. I, n. 10 sequ.* et *cap. IV* per totum, probat altaria mobilia in primis Ecclesiae saeculis in usu fuisse et nemo ignorat hodiernam Ecclesiae disciplinam eadem admittere. Quanquam in ecclesia consecrata saltem altare majus debeat esse immobiliter

(1) Hoc decretum non est in appendicibus collectionis Gardellinianae, sed de ejus authenticitate dubitare non licet, cum desumptum sit ex archivio S. C. de Prop. Fide.

(2) Giraldi, *Expos. Jur. Pont., p. I, sect. 599.*

consecratum (*n. 160*), tamen alia altaria possunt esse mobilia. In ecclesia tantum benedicta potest altare immobiliter consecrari, juxta responsionem S. R. C. in *Molinen.*, *12 Sept. 1857* (n. 5251), ubi proposito dubio : « 16° Utrum in ecclesia tantummodo benedicta altare possit consecrari, quin prius ipsa ecclesia consecretur » ; S. C. reposuit : « Ad 16um : Affirmative » (1). At omnia altaria possunt quoque et solent esse mobilia. Prae oculis autem habenda est responsio S. R. C. in *Sancti Hippolyti*, *31 Aug. 1867*, (n. 5386), ubi proposito dubio : « 1° Episcopus, visitationem suae dioecesis instituens, reperit quod in plerisque ecclesiis parochialibus altare principale seu majus non sit altare fixum, sed tantum ligneum cum ara lapidea seu portatili : quaeritur an istud tolerari possit » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Dummodo adsit in ecclesia solummodo benedicta saltem unum altare ad modum fixi, quod potest esse ex muro confectum cum ara lapidea quae portatilis vocatur, reliqua altaria, majori non excluso, possunt quidem esse ex ligno cum ara portatili idque esse potest etiam in ecclesia parochiali. Si vero nullum altare ex muro saltem confectum reperitur, convenit ut unum saltem hoc modo erigatur, ipsumque etiam convenit sit altare principale ». Haec eadem repetantur de oratorio publico. Tandem in oratorio privato altare debet esse mobile, licet consecratio altaris immobilis esset valida. Hinc in *Thelesina seu Cerretana*, *24 Maii 1895*, ad dubium : « In quodam oratorio privato altare fuit solemni ritu consecratum. Poterat consecrari altare hoc et peracta consecratio estne valida ? » S. R. C. reposuit : « Ad 3um : Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam ». Solum si agitur de oratorio semi-privato seu semi-publico, e. g., seminarii, magno et definitivo, tolerari posse videtur, sicuti ejusdem oratorii dedicatio solemnis (*n. 216*), ita et consecratio altaris majoris.

285. Aliquando autem in usu loquendi liturgico altare immobile seu fixum et altare mobile, viaticum, portatile, sumuntur in sensu magis materiali. Ita, e.g., altare privile-

(1) In Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 832*, per errorem ad propositam quaestionem refertur negativa responsio.

giatum de quo mox, debet esse immobile seu fixum, ita ut altare portatile non sit privilegiatum, etsi neque in supplici libello, neque in rescripto de qualitate altaris mentio fiat, uti rescripsit S. C. Indulgent., *15 Dec. 1841* (1). At vero in casu nomine altaris *immobilis* seu *fixi* intelligitur *quod a loco dimoveri non possit* ; nomine altaris portatilis *quod de uno in alium locum transfertur*, ut reposuit eadem S. C., *20 Martii 1846* (2). Hinc S. R. C., *die 26 Martii 1867* : « Ne autem dubium circa qualitatem *altaris fixi* exoriatur, Sanctitas Sua edixit et declaravit sufficere ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur » (3).

286. Praeterea est quoque *altare privilegiatum*. Nam aliquando Sedes Apostolica concedit privilegium ut Missae celebratione anima a purgatorio liberari statim possit per indulgentiam, si divina Misericordia id acceptum tulerit. Hoc in casu habetur *altare privilegiatum* ; et si quidem hoc privilegium adnexum sit tali altari, est altare privilegiatum *locale* ; si personae ubivis celebranti concessum est, est altare privilegiatum *personale*. De hoc altari privilegiato nobis in praesentiarum agendum non est.

Tandem omnes sciunt quid sit altare *majus* seu primum vel principale, ut ab aliis minoribus in eadem ecclesia distinguatur.

287. In ecclesiis Graecis unicum semper fuit altare, uti constat ex S. Ignatio Martyre, *Epist. ad Philadelph., n. 4*, et ex Theodoreto, *Hist. Ecc., lib. I, cap. XXI*, et adhuc hodie unicum est : imo una super illud celebrata Missa, altera per eumdem diem celebrari minime potest ; de qua re alias. Quamquam vero Graeci unum habeant in ecclesia altare, tamen plura ipsique ecclesiae proxima ac muro disjuncta sacella sive oratoria habent, quae *parecclesiae* vocantur, quasi ecclesiarum appendices, in quibus liturgiam

(1) In Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 1119*.
(2) In cit. Collectanea, *n. 1123*.
(3) In cit. Collectanea, *n. 834* ; hoc decretum non legitur in collectione Gardelliniana.

profestis diebus privatim agunt (1); insuper hodie saepe in ecclesia, praeter altare Graecum pro Graecis, est Latinum altare pro Latinis. Disciplinam unius in ecclesia altaris receptam antiquitus fuisse etiam in quibusdam Africae Ecclesiis intelligimus ex Optato Milevitano, *lib. I, pag. 21*; sed in genere « discrepant inter se eruditi viri, extiteritne, juxta veterem disciplinam, in Basilicis Ecclesiae Occidentalis unum an plura altaria; primum quidem affirmat Schelestrat., *part. I Actor. Ecclesiae Orientalis, cap. II, De Missa privata in Ecclesia Latina;* sed contra Card. Bona, *Rer. Liturg., lib. I, cap. XIV, n. 3*, innixus auctoritate Valfridi, *cap. IV*, plura altaria fuisse in Romana Basilica S. Petri, demonstrat ». Ita Benedictus XIV, in const. *Allatae, 26 Julii 1756*, § *37*. Attamen ut in ecclesia jam consecrata altare erectum destruat vel novum extruat, presbyter, ecclesiae rector, indiget licentia episcopi ex *can. 4, dist. 68*, et ex *can. 25, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto. Saeviente autem persecutione, proposito dubio : « Utrum liceat altaria et mensas, tempore persecutionis, ab ecclesiis auferre »; S. C. S. Officii, *4 Julii 1776*, reposuit : « Affirmative, dummodo non adsit scandalum et contemptus religionis » (2).

288. Per se patet altare super quod Missa celebratur, debere esse ad hoc reservatum et ab omnibus prophanis usibus liberum et mundum. Id quidem ob reverentiam Deo debitam apud omnes gentes receptum est, ut scilicet altare uni victimarum immolationi reservaretur; multo magis igitur servari debet pro nostro altari eucharistico. Equidem Christus D. primum eucharistiae sacrificium super eamdem mensam in qua prius coenam legalem comederat, consecrare voluit; sed id fecit, vel quia decrat mensa separata et distincta, vel ut Apostolos et reliquos fideles manifestius instrueret sacram Eucharistiam id in anima suscipientis spiritualiter operari, quod terrenae epulae in corpore operantur; eo vel magis quod legalis coena erat sacra et ipsam Eucharistiam praefigurans. Sed hoc factum Christi transire

(1) Goar, *Euchologium Graecorum, p. 16.*
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 1576, 1579.*

non debebat in exemplum. Hinc ab ipso aevo apostolico Missa fuit celebrata super mensam a communibus usibus distinctam, nisi necessitas aliud exigeret, salva semper reverentia divinissimo sacrificio. Ita, e. g., legimus Lucianum martyrem, celebrandae Missae causa, dum in vinculis esset, proprio usum esse pectore, tamquam altari ; et diaconorum manus pro altari ad sacrificandum adhibuisse Theodoretum (1). « Sed haec sane sunt digna exempla quae miremur magis quam imitemur, semperque constans et perpetua fuit Ecclesiae disciplina, ut super altare Missa celebraretur ». Ita Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. I, cap. II, n. 1.* Ex dictis satis apparet in genere non sine aliqua indecentia altare adhiberi pro armariolo ad servandas res sacras et multo magis prophanas. In *Societatis Jesu, 11 Maii 1878* (n. 5728) ad dubium : « 13° An pars posterior alicujus altaris, praesertim si illud esset altare majus, possit adhiberi ad modum armarioli » ; S. R. C. reposuit : « Ad 13um : Docear de altaris forma ». Videamus potius quale, juxta sacros canones, esse debeat altare eucharisticum, ut super illud Missae sacrificium offerri licite valeat.

Articulus II

De altaris structura.

289. In primis altare eucharisticum debet esse lapideum. Valde probabile est Apostolos saepius celebravisse super altare ligneum, cum sane nemo prudens ambigere valeat difficillimum fuisse semper parari potuisse lapideas mensas, quocumque illi in orbis peregrinatione pervenirent ; et fortasse etiam ad Christi D. exemplum qui, legali coena peracta, ad mensam ligneam assidens, semetipsum obtulit in sacrificium. Pariter primis Ecclesiae saeculis tempore persecutionum, licet altaria lapidea non essent ignota, tamen sacerdotes passim lignea adhibebant, quia in privatis do-

(1) Gattico, *De usu altaris portatilis, cap. I, n. 3, sequ.*

mibus, in carceribus similibusque locis altaria lapidea haberi non facile poterant. Imo, etiam reddita Ecclesiae pace, nonnullae ecclesiae ligneа altaria servaverunt, et nonnumquam mentio etiam occurrit de altari metallico, aureo scilicet vel argenteo. Sed communius altaria fuerunt lapidea, sicuti sunt illa quae adhuc in catacumbis cernuntur, et paulatim ex consuetudine inductum est, ut Missa celebrari posset tantum super altare lapideum ; quae consuetudo deinde positivis legibus firmata fuit. Hinc canon *31*, *dist. 1*, *De consecr.*, in Decreto, desumptus ex *can. 26* concilii Epaonensis (an. 517) statuit : « Altaria si non fuerint lapidea, chrismatis unctione non consecrentur ». Nec deest mystica ratio quam his verbis proponit Simeon Thessalonicensis apud Gattico, *op. cit.*, *cap. II*, *n. 5* : « E lapide est altare quia Christum refert qui etiam petra nominatur, tamquam fundamentum nostrum et caput anguli et lapis angularis ; et quia petra quae olim Israelem potavit, hujus mensae imago fuit » (1).

290. Ab hac disciplina recedit Ecclesia Orientalis quae habet utique altaria lapidea, imo unicum altare in ecclesia consecrata est lapideum, sed sacrificium eucharisticum celebrat quoque super *antimensia*. Jam a multis saeculis in Oriente receptum est ut in ipsa templi consecratione consecrentur quidam panni, plures una simul, qui appellantur *antimensia*, et super eos, tamquam super altare lapideum, deinde Missa celebretur. P. Goar, *Euchologium Graecorum*, *pag. 353 sequ.*, de iis antimensiis agit, et *pag. 618 sequ.*, refert ritum consecrationis ipsorum apud Graecos usitatum. At super antimensia celebrat simplex tantum sacerdos, non vero episcopus. Etiam apud alias orientales confessiones antimensiorum usus receptus est (2).

291. Licet vero altare eucharisticum ex lapide constare debeat, idque in Ecclesia Occidentali sine ulla exceptione, tamen diversa est ratio altaris mobilis et altaris immobilis.

(1) Vide de his plura apud Merati, ad Gavantum, *pag. 118* ; Card. Bona, *lib. I*, *cap. XX* ; et *lib. II* ; Martene, *lib. I*, *cap. III*, *art. VI*.

(2) Gattico, *l. c.*, *cap. I*, *n. 14*.

292. Si agitur de altari portatili, satis est ut tabula quae consecratur, altari superimponenda, sit lapidea : reliquum mensae (praeter petram sacram) et basis possunt esse ex muro aut etiam ex ligno. Petra sacra inseritur mensae vel ita ut inde avelli possit et alio asportari, vel ita ut stabiliter de facto mensae uniatur ; quo tamen altare nullo modo *immobile* in sensu juris efficitur, ut ex dictis *n. 282* satis apparet. Opportune vero monet S. Carolus Borromaeus in concilio provinciali Mediolanensi IV, *part. I, tit. De capellis et altaribus* : « Petra sacra ita mensae altaris inseratur, ut nullum offensionis calicis periculum habeatur : tactu tamen digiti possit distingui ». Vide etiam Gavanti, *l. c., pag. 119*. Tandem petra sacra talis magnitudinis esse debet ut « hostiam et majorem partem calicis capiat » ut praescribit Rubrica Missalis, *De praeparatione altaris et ornamentorum ejus*. Hinc S. C. EE. et RR. apud Cardinalem Petra, *tom. IV, pag. 276, n. 33*, censuit ejus magnitudinem non posse esse minorem uno palmo. Nihilominus expedit ut aliquantulum amplior sit, ut continere valeat etiam majorem partem ciborii cum particulis consecratis, si pro fidelium communione ciborium cum particulis consecrandum est (1).

293. Si agitur de altari immobili, tota mensa superior, ad integrum altare sese protendens, debet esse ex lapide. Hinc poni nequit circa ipsam zona lignea ; si enim poni nequit, ob aliam rationem, zona marmorea, de qua mox, multo minus poni poterit zona lignea. Basis potest esse etiam ex muro lateritio, dummodo tamen latera seu columellae quibus mensa insidet, sint lapideae. Revera in *Cuneen., 7 Aug. 1875, ad 2um* (n. 5621), S.R.C. declaravit : « Ut altare consecrandum sit lapideum, oportet ut etiam in ejus stipite saltem latera seu columellae quibus mensa sustentatur, sint ex lapide ». Mensa autem altaris potest etiam esse simpliciter superposita basi, eidem consecratione tantum unita, quin necesse sit ut etiam physice eidem uniatur : sed facile patet melius esse ut etiam physice eidem adhaereat ad probabi-

(1) De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XX, n. 67.*

lem altaris execrationem evitandam ex ejusdem mensae motione. Hinc in *Guesnen., 8 Junii 1894*, ad dubium: « 1° In aliquot ecclesiis ipsius dioecesis altaria majora seu fixa consecrata fuere, quorum mensa, seu integra tabula lapidea, nulla ex parte conjungitur structurae lateritiae inferiori; quaeritur an hujusmodi altarium consecratio fuerit valida »; S. C. reposuit: « Ad 1um: Affirmative. Indulget autem Rmo Episcopo de speciali gratia, ut altari jam consecrato addantur stipites lapidei, atque unctiones praescriptae in angulis private iterentur, et mensa cum iisdem stipitibus conjungatur ».

294. Ceterum sive petra sacra altaris mobilis, sive superior mensa altaris immobilis, confici potest ex quocumque lapide, dummodo lapis: 1° Sit naturalis, non arte confectus; secus consecratio esset invalida. Hinc in *Lamacen., 31 Martii 1887* (n. 5982), ad dubia: « 2° An retineri possint sacri lapides e schisto illo lapide efformati; 3° An retineri possint sacri lapides, reliquiis Sanctorum instructi, ex gypso tamen constantes »; S. R. C. reposuit: « Ad 2um: Affirmative. Ad 3um: Negative ». Cum vero *ardesia* seu *lavagna* sit lapis naturalis, hinc ex eadem altaria portatilia confici posse, reposuit S. C. S. Officii, *11 Martii 1681*, in Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 826*; 2° Sit unicus, ita ut si mensa altaris immobilis aut petra sacra constaret pluribus lapidibus simul unitis, aut uno lapide rupto, consecratio foret irrita. Id satis patet ex antiquis ordinibus liturgicis et ex ipsomet Pontificali Romano, ubi, dum de altari agitur, semper nominatur *lapis* in numero singulari; id congruit etiam significationi symbolicae altaris lapidei, quam *n. 289* indicavimus; id tandem expresse et pluries tradidit S. R. C. Praeter *Fanen., 14 Junii 1843* (n. 4966), quam retulimus *n. 161*, in *Nivernen., 28 Sept. 1872* (n. 5524), episcopus exposuit in quadam ecclesia servari aram lapideam, in qua collocata erat ara portatilis. Quoniam vero tabulam illam, uti altare fixum, consecrari in votis esset moderatoribus ecclesiae ipsius, ara portatilis extracta fuit eique substituta alia lapidea tabula quae locum arae portatilis occuparet, ita tamen perfecta ut cum magna

tabula unum corpus efficeret. In anteriori parte tabulae effossum fuit parvum sepulchrum pro reponendis reliquiis (1) ; verum sepulchrum ipsum ita fuit extructum ut pars in majori, pars in minori tabula inveniretur. Altare ita dispositum una cum ecclesia consecratum fuit. S. R. C. censuit : « Altare de quo in precibus, fuisse invalide consecratum, ideoque ad ejus consecrationem iterum deveniendum esse, attamen effosso sepulchro integre in magna tabula,ac altera minori substituta tabula lapidea, quae pro sigillo sepulchri reliquiarum inserviat ». In *Eugubin. 29 Aug. 1885* (n. 5945), in qua agebatur de altari fixo, cui « tanquam corona, zona marmorea abducitur per ferri laminas conjuncta ipsi lapidi, ita ut mensa non constet ex unico lapide, uti praescriptum est pro altaribus fixis », reposuit : « Si tamquam altare fixum consecrandum sit, rite construi debet cum tota mensa ex unico et integro lapide, juxta canonicas praescriptiones ». In *Imolen., 23 April. 1893*, est similis casus, sed S. C., sanato quovis defectu, indulsit altare haberi posse uti fixum ac valide consecratum, non obstante marmorea corona. In *Gnesnen., 8 Junii 1894*, proposito dubio : « In quadam ecclesia consecrabatur altare fixum majus, cujus mensa erat ex lapide adeo fragili, ut in actu consecrationis quarta ejus pars sit abrupta et divisa : tum caeremoniae omnes reliquae perfectae sunt et unctiones in quatuor angulis potioris partis conjunctim cum stipite : quaeritur num valide altare consecratum fuerit » ; S. C. reposuit : « Negative ». Tandem licet in *Vicariatus Apostolici Capitis Bonae Spei Districtus Orientalis, 20 Martii 1869* (n. 5437), cum Vicarius Apostolicus consecravisset altare enormiter fractum, *sed postea firmiter coementatum*, et de alio simili altari consecrando dubitaret, S. R. C. reposuisset : « Consecrationem primi altaris validam esse, ideoque nec secundi altaris invalidam fore, si fieri vellet » (2), tamen in *Decreto, 19 Maii 1896*, formaliter posito dubio : « 3° An altare sive

(1) More in Galliis recepto ; de quo tamen vide *n. 296.*

(2) In collectana S. C. de Prop. Fide, *n. 835*, haec S. R. C. responsio refertur in sensu contrario, sed per errorem.

fixum sive portatile, enormiter fractum, sed firmiter coementatum, aut ex pluribus lapidibus efformatum, valide et licite consecrari possit » ; S. C. reposuit : « Ad 3um : Negative ; scilicet non potest altare de quo fit mentio, valide ac licite consecrari » ; 3° Sit integer, sine ullo scilicet foramine. Id cavet etiam S. Carolus Borromaeus, citatus a Gavanti, *tom. I, pag. 115*. Ratio mystica est, ut hic lapis significet plenitudinem et integritatem Christi (1).

295. Sive in altari immobili sive in petra excavandum est *sepulchrum,* seu parvus loculus pro reliquiarum repositione de qua infra, claudendus per parvum lapidem, qui appellatur *sigillum*. Sepulchrum appellari aliquando solet et *confessio*. De hoc sepulchro ac sigillo sequentia notanda sunt.

296. Ad altare mobile quod attinet, sepulchrum debet esse in medio partis superioris petrae sacrae, intra lapidem effossum, ita ut petra sacra ex altera quoque parte perforata non sit. In cit. *Sancti Hippolyti, 31 Aug. 1867* (n. 5386), ad dubium : « 2° Altaria portatilia plerumque talia sunt, ut ex duabus partibus constent, et quidem pars superior est lapis, pars inferior est lignum ; et inter lapidem et lignum in quodam concavo spatiolo positae sunt reliquiae Sanctorum, quae proinde ex una parte lapidem, ex alia parte lignum tangunt, adeo ut sepulchrum pro dimidia sua parte ex lapide, pro altera dimidia parte ex ligno formetur. Quaeritur an haec altaria portatilia in usu retineri possint » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Altaria portatilia, uti describuntur in dubio, admitti nequeunt, sed reliquiae recondendae sunt in sepulchro, intra lapidem effosso, et claudendae cum parvo operculo ex lapide etiam confecto ». In Galliis et in nonnullis etiam aliis locis mos erat excavandi sepulchrum in parte anteriori petrae sacrae ; S. R. C. non semel reposuit altaria portatilia hactenus hoc modo consecrata retineri posse, sed in posterum petras sacras taliter confectas non esse consecrandas. Sufficiat citare ejusdem respon-

(1) Schmalz., *lib. III. Decret., tit. XL, n. 35,* cum aliis, censet hanc legem de unico et integro lapide inductam esse ex consuetudine.

sionem in *Fulden.*, *31 Maii 1887* (n. 5979), ubi cum episcopus exposuisset in sua dioecesi plurima altaria portatilia habere sepulchrum non in medio effossum, sed in fronte, ac rete clausum, ac sequentia dubia proposuisset: « 1° An ejusmodi altaria sint toleranda, vel immutanda sint, ac denuo consecranda; 2° Et num in posterum sepulchrum altaris portatilis in medio tabulae lapideae effodiendum sit »; S. C. reposuit: « Ad 1um: Quoad altaria portatilia huc usque consecrata, Rmus Episcopus acquiescat. Ad 2um: Affirmative ».

297. In altari autem immobili sepulchrum reliquiarum debet esse vel in medio tabulae altaris a parte superiori, vel in stipite a parte anteriori, vel in stipite a parte posteriori, vel tandem in medio summitatis stipitis ita ut supra ponatur tabula seu mensa altaris. Haec tradit expresse Romanum Pontificale, quod pro hoc ultimo casu tradit nonnullas speciales caeremonias, *De consecratione altaris cujus sepulchrum reliquiarum est in medio summitatis stipitis.* Huc spectat responsio S. R. C. in *Lauden.*, *23 Junii 1893*; nam proposito dubio: « 4° Altaria ecclesiarum olim ad monasticos Ordines pertinentium quae habentur passim consecrata, etsi careant sepulchro reliquiarum (procul dubio sub tabulis marmoreis reconditarum, uti recognitum fuit in duabus ecclesiis quarum altaria rursus consecrata sunt), debentne rursus consecrari? »; S. C. reposuit: « Ad 4um: Datur potestas vigore facultatum S. R. C. a SSmo D. N. Leone PP. XIII tributarum consecrandi per breviorem formulam ea tantum altaria quae certo constet numquam consecrata fuisse ». In quonam vero consistat haec brevior formula, vide *n. 299*.

298. Proinde non sufficit ut altare erectum sit supra reliquias Sanctorum, prouti olim fieri solebat. « R. M. R. Praepositus S. Ambrosii et Vicarius Generalis Mediolanensis S. R. C. exposuit quod in nova subterranea crypta apud Basilicam Ambrosianam Mediolanensem effossa, ad reconden dum corpora patronorum Urbis primitivo eorum loco, servata fuerunt sepulchra SS. MM. Gervasii et Protasii, itemque S. Ambrosii episcopi, confessoris et doctoris. Supra

vero praedicta sepulchra mensae altarium duae constitutae sunt ad sacrum faciendum : attamen in vacuitatem ipsorum sepulchrorum rursus authenticae quaedam reliquiae conditae fuerunt eorumdem SS. MM. et S. Ambrosii rite recognitae. Cum autem dubium exortum fuerit an supra dictas mensas altarium, incumbentes adamussim locis dictarum reliquiarum, Missae celebrari possint absque additamento petrae, quam vocant, sacrae, posterioribus saeculis quasi in supplementum lypsanorum martyrum inductae, praedictus orator ejusdem dubii solutionem humillime imploravit ». S. R. C. in *Mediolanen., 24 Martii 1874* (n. 5583), reposuit : « In casu de quo agitur, in iisdem mensis altare portatile esse apponendum ».

299. Sigillum potest esse ex metallo, quantum ad validitatem consecrationis. Hinc in *Lauden., 23 Junii 1893*, ad dubium : « 4° In hac dioecesi extant plura altaria portatilia, vulgo *pietre sacre,* quorum operculum ex metallo confectum est : quaeritur utrum hujusmodi altaria consecrationem amiserint » ; S. R. C. reposuit : « Ad 4um : Negative ». At melius est ut sit ex lapide naturali. Proinde in *Sancti Joannis in America, 15 Dec. 1882* (n. 5863), ad dubium : « 1° Utrum ex quocumque lapide confici possit operculum sepulchri, an vero debeat esse marmoreum » ; S. C. rescripsit : « Ad 1um : Affirmative ad primam partem, dummodo sit vere lapis naturalis ; ad secundam, provisum in prima ». Ex his satis apparet non admitti operculum ex lapide arte confecto, aut sepulchrum coemento tantum clausum. In *Arichaten., 28 Julii 1883* (n. 5884), episcopus exposuit in sua dioecesi altaria portatilia reperiri, quorum sepulchra coemento tantum conclusa sunt. Propositis dubiis : « 1° An in posterum in altarium consecratione in sua dioecesi coementum tantum adhibere valeat loco lapidis seu operculi pro claudendis reliquiarum sepulchris ; 2° An ex singulis altarium sepulchris quae extant in dioecesi Arichatensi, coementum extrahere teneatur et pro ipso lapides de more substituere ; Et quatenus affirmative : 3° An sit necessarium integram consecrationem repetere, quia ob duritiam coementi, in substitutione facienda, ejusdem coementi cum

reliquiis et granis thuris facile contingeret commixtio » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Negative. Ad 2um : Affirmative. Ad 3um : Affirmative, sed in casu S. R. C., utendo facultatibus a SSmo D.N. Leone PP. XIII tributis, indulget usum brevioris ritus. Hic autem ritus erit sequens. Episcopus orator vel per se vel per simplices sacerdotes, hoc tantum in casu Apostolicae Sedis nomine delegandos, certas Sanctorum reliquias in eisdem aris reponat, iis solummodo caeremoniis servatis quae in Pontificali Romano praescribuntur, dum in sepulchro reconduntur reliquiae et superponitur lapis ; scilicet ut signetur sacro chrismate confessio sive sepulchrum et interim dicatur oratio : *Consecretur et sanctificetur* ; postea reconditis reliquiis cum tribus granis thuris et superposito operculo ac firmato, dicatur altera oratio : *Deus qui ex omnium cohabitatione Sanctorum*, et nihil aliud ».

300. Hoc autem sigillum firmandum est non cera, calce aut gypso, sed coemento, praeparato juxta praescriptum Pontificalis Romani. Hinc in cit. *Sancti Joannis in America*, *15 Dec. 1882* (n. 5863), ad dubium : « 2° Utrum in nova altarium portatilium consecratione, quorum sepulchrum gypso vel cera clausum fuerit, praeparari debeat coementum, quemadmodum pro regulari altarium consecratione in Pontificali Romano praescribitur, an vero commune sufficiat » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Standum dispositioni Pontificalis Romani ». Et in *Bellunen. et Feltrien.*, *10 Maii 1890*, propositis dubiis : « 1° An in posterum coementum pro firmando in altari portatili sepulchri lapide, benedicendum sit ritu pro altaris fixi consecratione praescripto ; 2° An ipse episcopus idem sepulchrum coemento linire et lapide claudere debeat ; 3° An episcopale sigillum super parvum sepulchrum altaris addendum sit » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Affirmative. Ad 2um : Si agatur de unico altari portatili consecrando, affirmative ; si vero agatur de pluribus aris portatilibus consecrandis, satis est ut episcopus liniat coemento labium sepulchri unius arae, et dum ipse prosequitur in sacrarum reliquiarum repositione, adsistentes sacerdotes lituram et cujusque sepulchri clausuram peragant. Ad 3um : Juxta decretum in *Vivarien.*, *diei 28 Febr. 1880*, sigillum episcopale apponi posse, sed non debere ».

301. Post haec facile intelligitur responsio ejusdem S. C. in *Bergomen., 16 Sept. 1881* (n.5827). Episcopus exposuerat : « 1° Nonnullae altarium sacrae mensae ita sunt constructae, ut in ipsis reliquiarum sepulchrum non parvo lapide sit obtectum et calce sigillatum, sed quadam subtili lamina, confecta ex vulgo *ottone* aut latta, calce sigillata, vel ad quatuor angulares extremitates stamno firmata, vel alia lamina ferrea, minus lata, sed longiore transverse super illam deducta, hinc et inde infixa in lapide. Hoc vero reliquiarum sepulchrum aliquando in sacrae petrae parte superiori et aliquando in inferiori extructum invenitur. Certum est autem dictas mensas fuisse consecratas remotioribus temporibus. Quaeritur an istae sacrae mensae altarium tolerari possint ». S. C. reposuit : « Ad 1um : Negative ».

302. Ad formam altaris quod attinet, ab initio, cum altaria mensarum similitudinem referrent, saepe una lapidea mensa quatuor columnis nitebatur aliaque in medio sustinebatur. Deinde, invecto more condendi in altari Sanctorum reliquias, mensa altaris quadrato superposita fuit aedificio, ita ut altare tumuli formam haberet; quod adhuc plerumque servatur. Mensa altaris immobilis et petra sacra debent esse formae quadrangularis, juxta antiquissimum Ecclesiae morem, et affabre laevata. Reliquum altaris corpus debet esse plenum. Quomodo id intelligendum sit, rite declaratur in *Nivernen., 28 Sept. 1872* (n. 5525). Nam proposito dubio : « Quid intelligendum sit, quando praescribitur ut altare consecrandum sit plenum ; num scilicet sufficiat ut tabula altaris innitatur super quatuor lateribus ita clausis, ut post consecrationem nihil intra altare immitti possit, vel an necessarium sit ut tabula altaris ita innitatur substrato lateritio operi, ut nihil omnino vacui subtus altare ipsum habeatur »; S.R.C. reposuit : « Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam ». Hinc in *Trecen., 20 Dec. 1864* (n. 5338), cum episcopus exposuisset in sua dioecesi esse altaria omni ex parte lapidea, sed ita ordinata, ut tabula lapidea super stipitem itidem lapideum ex utraque parte reponatur, relicto in medio spatio quodam vacuo, sub quo recondantur capsae sacrarum reliquiarum ita commode

dispositae, ut oculis fidelium, diebus saltem solemnioribus, appareant ; item esse alia altaria quae omni ex parte super stipitem reponuntur, sed ab anteriori parte columnolis nituntur, quae stipitis locum habent, circiter ad medietatem tabulae » ; S.C. reposuit : « Haec ipsa altaria supra expressa consecrari posse, dummodo omni ex parte stipitibus adhaereant ». Quod si altare est vacuum seu apertum ita ut aliquid intra altare immitti possit, tamen ex dispensatione Sedis Apostolicae super illud Missa celebrari poterit. Hujus dispensationis exemplum habes in *Pisauren.*, *9 Febr. 1675* (n. 2723), ubi, cum episcopus suspendisset altare vacuum vigore decretorum prohibentium celebrationem Missarum ad altaria vacua, S.R.C. censuit : « Iis non obstantibus, in casu de quo agitur, ex gratia speciali, posse tolerari ».

303. Praeterea leges canonicae alte vetant, ne altare eucharisticum positum sit supra vel prope cadavera defunctorum. Sane Rituale Romanum in rubrica, *De exequiis*, praecipit : « Cadavera autem prope altaria non sepeliantur ». Quid plura ? In *Angelopolitana, 11 Sept. 1841* (n. 5102), ad dubium : « 1° An in processionibus quae intra ecclesiam cum SSmo Sacramento fieri assolent, liceat erigere altare portatile, quamvis super sepulchris sistat, ut in eo reponi tantisper valeat SSmum Sacramentum, dum aliqua stropha vel oratio canitur » ; S. R. C. reposuit : « Ad 7um : Cavendum ne altare portatile sepulchro immineat ». Quod si capella ubi est altare, per cameram separatur a sepulchris, non prohibetur Missam in altari celebrari, licet altare sit, mediante camera, super sepulchris. Id colligimus ex *Senonen.*, *27 Julii 1878* (n. 5742), ubi expositum fuit : « In coemeterio parocciae sacellum funebre ejusdem Societatis sic ordinatur : In crypta loculi mortuorum ita disponuntur, ut sursum in sacello proprie dicto, a crypta camerâ separato, extet altare, ubi aliquando Missa celebratur. Quaeritur an licitum sit in hoc altari sacrosanctum Missae sacrificium peragere, quamvis in linea recta sint cadavera in crypta, quae est ab oratorio prorsus separata ». S. R. C. reposuit : « Affirmative ».

304. Distantiam vero inter altare et sepulchrum quam Rituale non determinat, Sacrae Congregationes determinaverunt. Ante ipsum Paulum V qui Rituale Romanum edi jussit, S. C. EE. et RR. in *Interamnen.,13 Sept. 1593*; in *Termular., 8 Febr. 1594*; in *Tranen., 10 Nov. 1599*; in *Messanen., 2 Maii 1601*, prohibuerat cadaverum humationem *sub scabellis* seu *predellis* altaris. In *Bertizonen., 7 Oct. 1606* (n. 326), proposito dubio: « An ecclesiae in quibus corpora mortuorum sepulta sunt, consecrari possint, cum id videatur interdictum in epistolis S. Gregorii Papae »; S. R. C. reposuit: « Posse rite consecrari, dummodo corpora sub altari majori sepulta non sint, vel sub confessione ubi Sanctorum corpora et reliquiae sacrae locari debent ». At ad evitandas fraudes in predellae dimensione S. Carolus Borromaeus constituit sepulchrum distare debere ab altari tribus cubitis; quam regulam S. R. C. secuta est in *Volaterrana, 17 Martii 1663* (n. 2208); in *Tiburtin., 23 Maii 1846* (n. 5046); in *Nicoteren. et Tropejen., 2 April. 1875* (n. 5592); in *Beneventana, 27 April. 1877* (n. 5689). Imo in hac ultima S. C. exigit distantiam trium cubitorum non ab altari, sed a gradu vel gradibus altaris. Quod si sepultura est quidem prope altare, sed nullum in ea cadaver sepultum est, aut sepultum est in parte opposita altari, ita ut ab altari seu ab altaris gradu longius distet tribus cubitis, prohibitio canonica Missam in altari celebrandi locum non habet. Hinc in *Senarum, 13 Sept. 1710* (n. 3810), S. R. C. rescripsit archiepiscopo Senarum, ut, veris existentibus narratis, restitueret altare ad sacrosanctum Missae sacrificium, cum janua sepulchri esset quidem prope altare, sed ipsum sepulchrum et cadavera monialium defunctarum longe ab altari distarent.

305. Episcopus permittere non potest ut altare extruatur, non servata debita distantia a defunctorum cadaveribus; et si forte extructum sit, prohibere debet, ne super illud eucharisticum sacrificium offeratur, donec cadavera fuerint amota, si commode amoveri possunt, etsi agatur de Regularium ecclesia, uti docet Card. Petra, in *comm. const. 3^ae Coelestini III, n. 12*. Sola Sedes Apostolica id permittere po-

test ; quae tamen rigida hac in re esse solet. Ita in cit. *Volaterrana*, petita facultate « faciendi sepulchrum pro se et familia in capella sub invocatione SSmi Crucifixi in ecclesia cathedrali de jure patronatus ipsius et domus, longe ab altari palmo uno minus trium cubitorum » ; S. R. C. reposuit : « Lectum ». Prohibitionem canonicam urget quoque Benedictus XIV in decreto edito die *21 Julii 1852* et eadem S. C. in *Venetiarum*, *7 Julii 1766* (n. 4332). In cit. *Nicoteren. et Tropejen.* episcopus exposuit in sua dioecesi plures esse sepulturas, quae tribus ab altari cubitibus non distant ; et cum aliae sepulturae construi nequeant, atque antiquas removere locum praebere posset offensionibus, postulabat sepulturas jam existentes conservare, sub conditione tamen quod in posterum in earumdem constructione leges ecclesiasticae adamussim servarentur. S. C. reposuit : « Corpora defunctorum jam condita in sepulchris quae non distant ab altari juxta praescriptiones canonicas, removeantur, si id commode fieri possit ; posthac vero in eisdem neutiquam sepeliantur ». In cit. *Beneventana* consodales cujusdam confraternitatis petierant ut in propria ecclesia altare, ex marmore confectum, erigi queat in loco in quo aliud jam extabat altare, sed sub quo existebant cadavera defunctorum quae inde amoveri nequibant, ut decreta praescribunt, cum publica auctoritas locum illum expurgare haud sineret, siquidem ibi sepulti erant qui morbo, *tifo* (typhus) nuncupato, perierant, et altare alio in loco erigi non posset, cum tota superficies Ecclesiae in eisdem versaretur conditionibus. S. C. reposuit : « Ad Ordinarium ut provideat quoad expurgationem saltem loci ad aedificandum altare necessarii, juxta decreta, videlicet, quod cadavera non solum non existant subtus altare, sed etiam quod tribus cubitis ab ejusdem gradu vel gradibus distent ». Quod si cadavera, jam sepulta, commode removeri nequeunt, alia quidem sepeliri non debent, sed interim Missa celebrari poterit ; item dum agitur de cadaveribus removendis, nisi episcopus prohibuerit.

306. Sicut ecclesia, ita quodlibet ecclesiae altare aedificatur in honorem et sub nomine alicujus Sancti, alicujus

mysterii aut rei sacrae ; et ita habet suum titulum. De titulo altaris repetenda sunt quae *n.137 sequ.* diximus de ecclesiae titulo, cum sequentibus tamen observationibus. In primis altaris majoris titulus idem est ac titulus ecclesiae ; alterius autem altaris titulus idem esse non debet ac titulus ecclesiae, et duo altaria eumdem titulum habere non debent. Hinc in *Thelesina seu Cerretana, 24 Maii 1895*, ad dubium : « 2° Altare cujusdam ecclesiae consecratum fuit sub eodem titulo B. M. V., sub quo altare majus erat consecratum : quid agendum erit in casu ? » ; S.R.C. reposuit : « Ad 2um : Rmus Ordinarius proponat alium titulum pro altari minori ». Praeterea festum titularis altaris non celebratur ritu titularis ecclesiae. Quid si in altari secundario ecclesiae parochia canonice erecta est ? Casus habetur in *Quebecen., 14 Aug. 1858* (n. 5268). Nam episcopus exponebat paroeciam Quebecensem *an. 1670* canonice erectam fuisse ad quoddam ecclesiae cathedralis altare in navi laterali, diversum titulum habens ab eo qui proprius est ejusdem cathedralis ecclesiae ; parochum vero ejusque vicarios a tempore factae erectionis usque adhuc agere semper consuevisse festum titulare dicti altaris ritu titularibus competenti, nimirum duplicis primae classis cum octava, nec non titularis ipsius commemorationem addere commemorationibus communibus seu suffragiis Sanctorum, quoties in recitatione divini officii suffragia ipsa Sanctorum praescribuntur. S. R. C., consulta num rite actum huc usque esset, reposuit : « Titularem altaris ubi erecta est parochia, non gaudere privilegio duplicis primae classis cum octava, nec majori ritu a parocho ejusque vicariis esse celebrandum, quam celebratur in cathedrali ecclesia, excepta tantum ejusdem tituli commemoratione in suffragiis, quam a parocho ejusque vicariis addi convenit ». Tandem licet mutatio tituli altaris mobilis ordinariam episcopi potestatem non excedat, tamen, si agatur de mutatione tituli altaris immobilis, est specialis dubitandi ratio. Siquidem altare immobile in ipsa sua consecratione in honorem tituli dedicatur, et ideo, perdurante consecratione, non videtur episcopus altaris titulum posse immutare. De hac re S. R. C. egit in

Argentinen, 30 Mart. 1697, ad 4um (n. 3415); sed responsio deest.

307. E fronte altaris ad parietem apponitur imago, sive picta sive sculpta, illius Sancti in cujus nomen et memoriam altare erectum et dedicatum est. Recenter mos invectus est, in Regularium praesertim ecclesiis, collocandi in medio altaris aliam minorem tabulam in qua vel coloribus exprimitur, vel aere, ligno aut marmore inciditur effigies alterius Sancti. Hic mos alienus est ab antiqua probataque Ecclesiae disciplina, ut probat Gardellini, in commentario responsionis S. R. C. in *Decreto Generali, 31 Martii, 1821, ad 6um* (n. 4578), cum Benedicto XIV in epistola data *die 16 Julii 1746*, ad episcopos et archiepiscopos ditionis pontificiae. At ad evitanda pusillorum scandala, episcopus minores has imagines in altari tolerare potest, dummodo circa ipsas ea serventur quae diximus *n. 129*, et insuper episcopus jubeat ut minor haec tabula conspectum crucis non impediat, quod expresse praecipit Benedictus XIV, *l. c.*, et, si agitur de altari in quo SSmum Sacramentum asservatur, procul distet a tabernaculo, uti habetur in citata S. R. C. responsione. Demum episcopus imagines sive majores sive minores non patiatur in altaribus exponi, nisi praemissa earumdem benedictione, quae habetur cum in Pontificali, tum in Rituali Romano, quaeque pro minoribus tabulis plerumque immerito negligi solet.

308. Tandem altare habere debet ligneum suppedaneum, quod scabellum seu predella appellatur, et baldachinum.

Ligneum suppedaneum non est necessarium, si ad altare per unum pluresque gradus ascenditur. At etiam hoc in casu S. R. C. in *Cuneen., 2 Junii 1882* (n. 5874), ad dubium: « 1° Utrum episcopus praecipere possit ut altaria ad quae per duos aut plures gradus ascenditur, sint insuper ligneo suppedaneo instructa, vel saltem tapete cooperta in die bussolemnioribus » reposuit: « Ad 1um: Affirmative ».

Baldachinum apponendum esse omnibus altaribus, rescripsit eadem S. C. in *Cotronen, 27 Apr. 1697* (n. 3421), ubi ad dubium: « An in omnibus altaribus sive cathedralis, sive aliarum ecclesiarum, debeat erigi baldachinum,

vel in majori tantum, in quo asservatur augustissimum Sacramentum » ; S. C. reposuit : « In omnibus ». Hoc decretum S.C. confirmavit in *Senen, 23 Maii 1846* (n.5044). In altari autem in quo SSmum Sacramentum asservatur, baldachinum a fortiori necessarium esse, facile patet. Solum in casu, quo altare magno arcu, baldachini vices quodammodo gerente, a lapillis desuper forte decidentibus protegatur, absentia baldachini tolerari poterit ; quod praxis confirmat.

Articulus III

De altaris consecratione.

§ 1. — *Quid sit altaris consecratio.*

309. Altare, affabre extructum, consecratur, idest vel totum altare, si agitur de immobili, vel petra sacra, si de mobili, ut super illud Missae sacrificium offerri valeat : de qua consecratione modo agendum est.

310. Definitio consecrationis altaris concinnari potest ad instar definitionis consecrationis ecclesiae ; nempe est actio sacra per quam cum certa precum formula certoque ritu ab Ecclesia instituto vel totum altare vel sola petra de profana fit sacra et Deo divinoque cultui a legitimo ministro dedicatur, praesertim ad Missae sacrificium ibi offerendum. Haec definitio comprehendit, ut patet, tum altaris immobilis, tum altaris mobilis consecrationem : utraque autem consecratio differt ratione ritus diversi, ita ut una pro alia adhiberi nequeat (*n. 314*).

311. Ex hac definitione apparet effectus consecrationis altaris ; qui declarari potest ex dictis *n. 132*. Igitur consecratione altare fit aptum celebrationi Missarum. Etiam in lege naturae, ut legitur *Gen. XXVIII*, Jacob erexit lapidem ut ibi sacrificaret, cum consecravit, fundens oleum desuper, et appellavit domum Dei. Item in lege scripta Moyses consecravit oleo et aliis caeremoniis tabernaculum, altare et

omnia vasa sacra, prouti narratur *Exod. XL.* Quod si antiqua legis sacrificia quae umbra tantum fuerunt sacrificii novae legis, altare postularunt certis ritibus consecratum, quanto magis hoc admirabile et divinum sacrificium expostulare id debet? Et revera est in jure canonico principium certissimum, nunquam posse sine peccato mortali, ne in casu quidem urgentis necessitatis, sacrum fieri extra altare aut petram consecratam. Hinc concilium Triburiense II in relato (*n. 273*) *can. 30, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, incensis aut combustis ecclesiis, vel in itinere, permittit quidem Missae celebrationem in capellis, aut sub dio, vel in tentoriis, dummodo tamen *tabula altaris consecrata ceteraque sacra ministeria, ad id officium pertinentia, ibi affuerint.* Neque S. Sedes unquam indultum concedit, ut extra altare consecratum Missa celebretur, licet aliquando a nonnullis ad altaris consecrationem requisitis dispenset. Hinc S. C. de Prop. Fide, in litteris datis *die 2 Sept. 1780*, ad Superiorem Missionum Malabarensium aiebat: « De venia celebrandi Missam in locis non benedictis non est cur quaeras ; habes enim, tamquam superior istarum Missionum, facultatem celebrandi sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etsi altare sit fractum, vel sine reliquiis Sanctorum. Sin autem per hujusmodi petitionem intelligis de facultate celebrandi sine altari benedicto, vel sine tabula seu lapide sacro altaris, id quidem S. Sedi non est in more concedere » (1). Imo si certo non constat de facto consecrationis altaris, altare rursus consecrari debet, antequam super illud Missa celebretur, juxta ea quae de ecclesia diximus, *n. 154.* In *Lauden., 23 Junii 1892, ad 6um*, S.R.C., vigore facultatum a SSmo D. N. Leone PP. XIII tributarum, dat episcopo potestatem consecrandi per breviorem formulam (*n. 299*) ea tantum altaria quae certo constabat nunquam fuisse consecrata. Quod si in altari ab antiquo tempore Missa celebrata est, licet de consecratione ejusdem et ecclesiae nulla extet memoria et nil in scriptis inveniatur, satis est ut altare pro consecrato habeatur.

(1) Collectanea S.C. de Prop. Fide, *n. 828.*

Revera in *Sancti Hippolyti, 31 Aug. 1867, ad 4um* (n. 5386), proposito dubio: « 4° Altaria fixa cum tabula ex lapide, ubi nec de ecclesiae ipsius, nec de altaris consecratione ulla extat hominum memoria, nec in scriptis aliquid invenitur, ab antiquo tamen tempore Missa celebrata semper fuit, an possint haberi pro consecratis? Et in casu negativo, quid agendum de hujusmodi altaribus? »; S.R.C. reposuit: « Ad 4um: Affirmative ad primam partem dubii; ad secundam provisum in prima ».

312. Legitimus minister consecrationis altaris sive immobilis sive mobilis est solus episcopus consecratus; de qua re repetenda sunt quae diximus *n. 117* de ministro consecrationis ecclesiae. Tria tantum hic notamus. Primum est nonnullos falso docere episcopum loci indigere licentia Romani Pontificis pro consecrando altari immobili in ecclesia non consecrata (1). Alterum est regulares non gaudere privilegio quod, *l. c.*, indicavimus, si agitur de solius altaris immobilis consecratione in ecclesia tantum benedicta. Tertium est in ecclesiis tituli cardinalitii in Urbe jus consecrandi altaria spectare non ad Cardinalem Vicarium, sed ad Cardinalem episcopum titularem, uti Congregatio specialis a Leone XIII designata declaravit *die 25 Jan. 1879*, quam declarationem ipse Pontifex confirmavit. Ratio est, quia Cardinales titulares aliquam conservant jurisdictionem in ecclesia titulari, et ideo in ea incedunt cum rocchetto discooperto et mozzetta, habent baldachinum erectum, sedent in throno, solemnem benedictionem impertiuntur, indulgentias centum dierum publicant, etsi diaconi. Unde non debet incongruum reputari, si in antiquae jurisdictionis signum ad eos reservata est quoque consecratio ecclesiae titularis et altarium in ea existentium (2).

313. Episcopus nequit potestatem consecrandi altaria seu immobilia seu mobilia presbyteris committere. Romanus autem Pontifex id potest, cum simus in materia mere ecclesiastica: et hujus indulti exempla non desunt. Nam

(1) Giraldi, *Expos. Jur. Pont., p. I, sect. 599;* Ferraris, *Bibliotheca, etc. v. Altare, n. 36.*

(2) De Angelis, *lib. III Decret., tit. XL, n. 2.*

aliquando Sedes Apostolica jus fecit episcopo deputandi presbyterum pro altarium consecratione. Ita Pius IX *die 3 Dec. 1876*, Vicario Apostolico N. in Sinis, attenta ejus pedum debilitate, benigne tribuit ad quinquennium facultatem deputandi vicarium generalem vel alium missionarium idoneum ad consecrandos lapides, adhibitis tamen oleis ab episcopo catholico consecratis. Idem Pontifex eodem die et anno eamdem facultatem concessit, absque ulla temporis limitatione, alii Vicario Apostolico pariter in Sinis propter ejusdem oculorum imbecillitatem. Aliquando vero etiam directe potestatem consecrandi altaria sacerdotibus Sedes Apostolica concessit, nonnullis appositis clausulis seu limitationibus, quas sedulo esse servandas, etiam pro consecrationis validitate, palam est. Huc spectat responsio S. R. C. in *Ord. Min. S. Francisci, 25 Sept. 1889*. Nam S. C. de Prop. Fide concesserat sacerdotibus Franciscanis, alicui missioni in Bolivia addictis, potestatem consecrandi altaria pro locis ubi deesset episcopus, vel distaret duabus dietis, vel sedes vacaret. Franciscani hac potestate usi bona fide fuerant etiam praesente episcopo in eodem loco, vel saltem non vacante sede, insuper non constabat plures Sanctorum reliquias, easque in sepulchro bene conformato repositas fuisse. Cum igitur Commissarius Generalis Missionum Franciscalium de Prop. Fide in Bolivia jure meritoque de validitate consecrationum taliter peractarum dubitaret, cumque magna esset difficultas ejusmodi aras haud rite consecratas inquirendi et recognoscendi, Sanctitas Sua ad petitionem ejusdem Commissarii Generalis, sanando admissos in consecrationibus defectus, permisit ut super eadem altaria sacrificium Missae, uti hactenus factum erat, celebrari posset. In genere privilegium intelligitur concessum tantummodo pro ecclesiis quibus praecst persona privilegiata aut pro ecclesiis sui Ordinis, si est regularis. Simplex presbyter neque ex consuetudine immemoriali hanc potestatem consecrandi altaria obtinere potest (1).

(1) Reiffenstuel, *lib. III Decret., tit. XL, n. 34*, cum communi, contra Engel, *eod. loc., n. 9*.

§ 2. — *De ritibus consecrationis altaris.*

314. Ritus, in consecratione altaris sive immobilis sive mobilis servandos, exhibet Pontificale Romanum ; quod in primis agit de consecratione altaris immobilis una cum ecclesiae consecratione ; deinde de consecratione altaris immobilis sine consecratione ecclesiae ; tandem de consecratione altaris mobilis. Nulla est differentia inter consecrationem altaris immobilis una cum ecclesiae consecratione et consecrationem altaris immobilis sine ecclesiae consecratione. Inter consecrationem altaris immobilis et consecrationem altaris mobilis differentia in eo est, quod in consecratione altaris mobilis petra sacra in superficie tantum ungitur, dum in consecratione altaris immobilis alia insuper adhibetur unctio, qua lapis in angulis conjungitur et connectitur cum inferiori basi, atque ita non unus lapis, sed integrum altare consecratum censetur. Exinde patet altare immobile non posse consecrari ritibus altaris mobilis ac viceversa, licet consecratio mobilis ritibus immobilis videatur valida. In *Fanen., 17 Jan. 1843* (n. 4966), expositum fuit ecclesiam una cum altari (*n. 294*) consecratam fuisse et in hac ipsa actione et consecratione ecclesiae et altaris iisdem cum formulis fuisse etiam altare portatile consecratum, omisso omnino ritu proprio in Pontificali Romano praescripto. Proposito dubio : « 3° Utrum, necne, valida et licita sit consecratio altaris portatilis tali modo peracta » ; S. R. C. reposuit : « Ad 3um : Affirmative pro hoc casu, dummodo, una cum formulis, omnia fuerint super hoc altare peracta, sicuti praescribit Pontificale Romanum et non afferatur in exemplum ». Modo de consecratione altaris seu mobilis seu immobilis nonnulla disputamus, quae aliquam facessere possunt difficultatem, lectorem, quoad reliqua faciliora, ad ipsum Pontificale remittentes ; et singillatim loquemur de precibus, de unctionibus, de reliquiarum repositione in sepulchro.

315. 1° Preces (idemque dicatur de monitionibus, exhortationibus, aspersionibus aqua benedicta, thurificationibus, etc., quas nomine precum, lato sensu, intelligimus)

minus necessariae sunt pro validitate consecrationis ; sed nihilominus omnia sedulo servanda sunt. Huc spectant sequentes S. R. C. responsiones.

316. In *Civitaten.,11 Mart. 1820* (n. 4565),quaesitum fuit :

« 1° Cum nec in Pontificali nec alibi reperiantur quae dicenda quaeque facienda sint dum plures arae consecrantur simul, quaeritur an quae in Pontificali pro consecratione altaris portatilis sunt in singulari, dicenda sint in plurali, v. g., hos lapides, has tabulas, has petras et similia, cum altare sit ipse Christus, et nihil dicat Pontificale.

« 2° An sufficiat ter tantum ante tabulas consecrandas dicere : *Deus in adjutorium meum intende*, pro omnibus aris simul consecrandis ;

« 3° In verbis : *Sanctificetur et consecretur*,sunt quinque crucis signa in Pontificali, et Rubrica dicit quod Pontifex facit crucem cum pollice. Sufficitne facere unam tantum crucem pollice et unam tantum benedicendo manu, quoties haec verba proferenda sunt in qualibet ara ;

« 4° Pontifex aspergit tribus vicibus in circuitu tabulam seu aram et dicit antiphonam et psalmum : *Miserere*,et orationem sequentem,et tribus vicibus incensat in circuitu tabulam seu aram et dicit psalmum :*Quam dilecta*. Sufficitne aspergere et incensare tribus vicibus tantum in circuitu omnium tabularum simul consecrandarum, tamquam in unum junctarum, et semel dicere orationem et psalmos praedictos ;

« 5° Inter ea quae pro altaris consecratione parari debent, ordinatur media libra thuris, cujus medietas sit in granis. Estne eadem sumenda pro singulis simul consecrandis, aut sufficit sumere pro omnibus simul quantitatem thuris pro arbitrio ;

« 6° Sufficitne celebrare Missam super unam tantum aram antea consecratam, vel ex tunc consecratis ».

S. R. C. reposuit :

« Ad 1um : Quando episcopi ritum consecrationis seu benedictionis in Pontificali pro uno tantum praescriptum exercere debent pro pluribus, regulam certam pro his quae se-

mel in plurali dicenda sunt, quaeque cuilibet repetenda in singulari, desumant ex eodem Pontificali in collatione ordinum pro pluribus. Ita videlicet ut psalmi, antiphonae, preces recitandae a choro vel etiam a solo episcopo, quae cum actionibus non conjunguntur, semel et respective in plurali dicantur ; actiones vero cum adjunctis formulis, uti sunt cruces et unctiones, super singulis aris ab episcopo reiterentur.

« Ad 2um : Affirmative, ut ad 1um.

« Ad 3um : Negative, sed signa crucis, cum pollice et manu benedicendo, toties facienda sunt, quoties cum signo crucis adnotatur forma sanctificationis et consecrationis, quam proferre debet episcopus, juxta praescriptum Rubricae, prius in medio tabulae, deinde in quatuor cornibus illiusmet tabulae, et idem successive facere et repetere super singulis lapideis tabulis consecrandis.

« Ad 4um : Affirmative ad utramque partem, videlicet sufficere aspergere et incensare tribus vicibus tantum in circuitu omnium tabularum, et semel dicere antiphonas, orationem et psalmum : *Miserere*, non vero psalmum : *Quam dilecta* (ut perperam ponitur in dubio), qui non dicitur dum tribus vicibus per gyrum thurificatio fit, sed dicitur semel dum oleo catechumenorum liniuntur tabulae. Excipienda tamen est postrema thurificatio ante orationem : *Descendat, quaesumus, Domine*, etc., iteranda super singulas aras.

« Ad 5um : Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, dummodo quantitas thuris, cum ad thurificandum, tum ad cremandum in aris, satis sit pro numero tabularum.

« Ad 6um : Post peractam consecrationem altarium portatilium, Missam vel per episcopum vel per aliquem sacerdotem celebrandam esse super unam duntaxat ex tabulis consecratis ».

317. Pariter in *Ratisbonen.*, *18 Julii 1884* (n. 5915), propositis dubiis : « II. Cum in Pontificali Romano non clare dicatur, qui actus et caeremoniae iterari debeant, dum plura altaria fixa in eadem ecclesia consecrantur, quaeritur :

« 1° An episcopus, si post unctionem et clauso sepulchro

primi altaris, processerit ad altare secundum, in consecratione hujus altaris iterum incipere debeat ab oratione : *Deus qui in omni loco*, et hanc orationem iterare debeat quot-quot altaria consecrantur ;

« 2° Suntne etiam antiphonae : *Sub altare Dei*, et : *Sub altare Dei audivi*, ab episcopo toties intonandae et a cantoribus cantandae, quot altaria consecranda sunt ;

« 3° Valetne etiam eadem iteratio circa orationem : *Deus qui ex omnium cohabitatione* ; »

S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Affirmative in omnibus ».

318. Tandem in *Trascalen.*, *9 Febr. 1867* (n. 5376), quaesitum fuit : « Quum in dioecesi Trascalensi plura altaria portatilia consecranda sint, hodiernus episcopus Trascalensis, ne nimium defatigetur, eorum consecrationem biduo aut triduo in qualibet hebdomada perficere statuit. Verumtamen cum aqua benedicta mixta cum sale, cinere et vino, in hac benedictione requisita, ut plurimum, supersit, praefatus episcopus insequentia duo dubia S. R. C. enodanda proposuit, nimirum : 1° An aqua benedicta quae superfuit in una consecratione, adhiberi possit in insequenti ; 2° Et quatenus affirmative, pro quo numero consecrationum eadem aqua adhiberi possit ». S. C. reposuit : « Negative in omnibus ».

319. 2° Praeter preces Pontificale Romanum praecipit pro altaris consecratione *unctiones* oleo catechumenorum et chrismate. Hic ritus ungendi altare sacro chrismate est antiquissimus, communis utrique liturgiae, Romanae et Gallicanae. Illius meminit concilium Agathense (*an. 506*) : « Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari ». Vide etiam *can. 26* concilii Epaonensis (*an. 517*) relatum *n. 289*. Ipsum servat etiam Ecclesia Orientalis ab antiquissimis temporibus ; nam auctor *Ecclesiasticae Hierarchiae* inculcat : « Hoc etiam sancte observa, ut sacratissima illa lex, mysterium altaris, consecrationem sanctissimis perficiat unguentis ». Tandem Innocentius III in *cap. un.*, § *Ungitur*, *De sacra unctione*, de eo haec habet : « Ungitur praeterea, secundum ecclesiasticum morem, cum consecratur altare, cum

dedicatur templum, cum benedicitur calix, non solum ex mandato legis divinae, verum etiam exemplo Beati Sylvestri qui cum consecrabat altare, illud chrismate perungebat. Praecepit enim Dominus Moysi ut faceret oleum unctionis de quo ungeret testimonii tabernaculum et arcam testamenti mensamque cum vasis. Verum unctionis sacramentum aliud quidem efficit et figurat tam in novo quam in veteri Testamento..... ». Hinc altaris consecratio absque chrismate foret irrita (1). Quamquam vero non omnes et singulae unctiones sint necessariae pro validitate consecrationis, ut patet ex responsione S.R.C. in *Maurianen.*, infra citanda, tamen episcopus in illis omnibus perficiendis sedulus sit.

320. Innocentius III in *cap. 3, De consecratione ecclesiae vel altaris*, ait : « Non negamus quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri ». Hoc intelligendum de casu quo rationabilis causa hujus commixtionis occurrat, e. g., si oleum consecratum non sufficiat ; secus enim commixtio foret illicita. Praeterea oleum consecratum debet esse in majori quantitate, aut certe non in minori, quam oleum non consecratum quod additur ; tunc enim facilius intelligitur non consecratum fieri consecratum per hanc mixtionem, ac magis dignum trahere ad se minus dignum. Hinc doctores communiter consulunt, ut ista commixtio singulis vicibus fiat pro singulis occurrentibus casibus. Similia doctores tradunt de mixtione aquae non benedictae cum benedicta (2).

321. In *Ambianen., 22 Martii 1841* (n. 4914), quaesitum fuit :

« 1° In Rubrica de altaris portatilis consecratione legitur quod consecratio fieri debeat *jejuno stomacho*. Quaeritur utrum, ratione habita plurium altarium, liceat pontifici ea consecrare non jejuno ;

« 2° Ex eisdem Rubricis haec verba : *Sanctificetur et consecretur haec tabula in nomine*, etc., quinquies proferri

(1) Giraldi, *Expos. Juris Pont., p. I, sect. 599.*
(2) Giraldi, *Expos. Juris Pont., p. I, sect. 599.*

debent super singulam tabulam. Quaeritur an liceat pontifici, ne nimium protrahatur consecratio, ea verba semel tantum proferre pro unaquaque tabula, dum supra eam format quinque cruces cum aqua benedicta.

« 3° Utrum idem liceat quando altaria inunguntur cum sacro chrismate et oleo catechumenorum ;

« 4° Utrum praedictae unctiones fieri possint cum stylo ligneo, spongia quadam munito, ut mos est in unctionibus baptismi et extremae unctionis, non autem cum pollice nudo, ne scilicet, unctionibus multiplici vice supra petram repetitis, laceretur ;

« 5° Ex Rubricis, episcopus sepulchrum propriis manibus claudit. Licetne, postquam reliquias in sepulchro propria manu collocaverit pontifex, alicui sacerdoti assistenti committere curam sepulchrum signandi cum cera, episcopo praesente et jubente ;

« 6° Item, circa ea quae immediate sequuntur : *Manu dextera confricans, liniens et perungens*, quaeritur utrum cura liniendi et confricandi sacerdoti assistenti demandari possit, postquam episcopus propria manu conspersérit oleo sancto totam altarium superficiem ;

« 7° In rubricis legitur quod pontifex *propria manu ex ipso incenso quinque cruces format*. Quaeritur an possit, postquam aliquot grana incensi super quinque cruces propria manu sparserit, alicui assistenti commendare curam ea in modum crucis disponendi ;

« 8° Addunt rubricae quod episcopus *ponit unam crucem, de subtili candela factam, super quamlibet crucem thuris*. Quaeritur utrum possit unam tantum crucem ponere, relinquendo aliis ministris curam ceteras disponendi ;

« 9° Quid de casu in quo sepulchrum ubi reliquiae conduntur confractum sit? Amittitne altare portatile suam consecrationem ».

S. R. C. reposuit :

« Servandam omnino esse in omnibus formam a Romano Pontificali praescriptam ».

322. In *Maurianen*, *2 Maii 1892*, episcopus sequens

dubium exposuit : « Juxta Pontificale Romanum ubi de consecratione altaris tum fixi tum portatilis agitur, quinque cruces in parte superiori lapidis oleo sacro inungendae sunt. Si crux in medio lapidis absit ac proinde in altaris consecratione omittatur unctio istius crucis, quaeritur utrum invalida sit consecratio ». S. R. C. reposuit : « Valida est consecratio ; sed unctio in medio tabulae nunquam omitti debet, quamvis crux ibidem sculpta non sit ».

323. 3° Insuper Pontificale pro consecratione altaris seu mobilis seu immobilis praescribit reliquiarum *repositionem* in sepulchro. Hic ritus reponendi reliquias in altari est antiquissimus (*n. 164*) eumque servat Ecclesia tum Orientalis tum Occidentalis. In antimensiis Ecclesiae Orientalis reliquiae Sanctorum reconditae sunt in angulis. Imo antiquitus, reliquiis Sanctorum deficientibus, repositae in altari fuerunt memoriae Sanctorum, id est linteа quaedam quae super martyrum sepulchro aliquandiu deposita fuerant, imo etiam fragmenta evangelii, et, quod gravius est, hostia quoque consecrata. Hic usus reponendi in altaris sepulchro hostiam consecratam vel partem ipsius, perduravit in Occidente usque ad saeculum XIV et XV et tandem ab Innocentio IV fuit jure meritoque reprobatus (1) ; item usus reponendi in altari fragmenta evangelii ac Sanctorum memorias obsolevit.

324. Nonnulli putant reliquias Sanctorum non esse absolute necessarias pro validitate consecrationis (2). Quidquid sit de praxi per antiquiora saecula quoad ecclesias cathedrales vel titulares, hodie haec sententia falsa est. Inter plures declarationes S. R. C., sufficiat citare responsionem cum instructione in *Rhedonen.*, *23 Sept. 1837* (n. 4828). Episcopus Rhedonensis exposuerat suum praedecessorem plura altaria ecclesiarum parochialium consecravisse sine reliquiis Sanctorum, vel non servatis caeremoniis praescriptis, petens ut haec altaria habere

(1) *Nouvelle Revue Théologique*, *tom. XII*, *pag. 486 sequ.*

(2) De Lugo, *l. c.*, *n. 5* ; Suarez, *in 3 p. D. Thomae*, *disp. LXXXI*, *sect. V* ; imo S. Alphonsus, *VI*, *n. 369* hanc sententiam dicit communiorem, licet eidem non subscribat.

posset reconciliata sola reliquiarum repositione. S. R. C. omnia retulit SSmo qui praecepit, ut conficeretur pro casu instructio ; eamque deinde probans, jussit ut episcopus Rhodonensis ad tramites illius sese gereret. Jam vero in hac instructione haec leguntur : « Altare super quo celebratur Missa, vel fixum vel portatile, scilicet cum petra sacra tantum, consecratum omnino esse debet ; ac pro ipso altari portatili seu petra sacra praecipuus est ritus observandus, unctiones adhibendae, reponendae in sepulchro reliquiae sanctorum martyrum, juxta verba Apocalypsis : *Vidi sub altare Dei animas interfectorum*. Reliquiae ibi reponuntur ob relationem ac mysticam analogiam inter Dominum Jesum Christum, caput martyrum, ejusque membra, juxta S. Augustini verba : *Convenienter autem et quasi quodam consortio ibi martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, scilicet ut qui propter mortem ejus mortui fuerunt, sub sacramenti ejus mysterio requiescant*. Ideo sacerdos post confessionem osculans altare, profert ea verba : *Quorum reliquiae hic sunt*. Ex quibus etiam patet necessitas ut in altare sit sepulchrum reliquiarum ; reliquiis enim non appositis et deficientibus, superflua ac vana essent ea verba. Praeterea sicut altare quodcumque vel immobile vel portatile evadit execratum ob fracturam vel per se enormem ob quantitatem, vel enormem propter locum unctionum, licet levis in se fractura esset, ita execratum evadit ob reliquiarum amotionem. Ex hoc etiam liquido ostenditur reliquiarum necessitas in altarium consecratione. Hinc si a ceteris ritibus observandis in nova altarium consecratione dispensavit aliquando Sedes Apostolica, nunquam a ritu dispensavit repositionis reliquiarum et a caeremoniis necessario in hoc observandis (1). Sic S. R. C. in *Augustana, 21 Apr. 1668*, episcopo supplicanti pro facultate reconciliandi plurima milliaria altarium execratorum ob solam remotionem reliquiarum, quae propterea iterum consecranda omnino erant, cum sola repositione reliquiarum iis tantummodo servatis caeremoniis quae

(1) Sed nonnulla exempla hujus concessionis reipsa extare, ex dicendis *n. segu.* patebit.

in Pontificali Romano praescribuntur, respondit: *In hoc casu gratiam petitam posse concedi,* quae a s. m. Clemente IX concessa fuit. Si itaque hoc exemplum sequi SSmo Domino placuerit, Rmus Episcopus Rhedonensis posset dispensari ab integra consecratione facienda omnium altarium, de quibus in precibus; attamen in eo quod respicit reliquias, indulgeri nequit ut altaria reputet reconciliata cum sola ac simplici reliquiarum repositione, quin caeremoniae serventur ad hunc ritum ordinatae. Ut igitur res procedat absque omissione vel violatione ritus constanter servati, et absque strepitu vel scandalo quod oriri posset, episcopus secreto in suo privato oratorio procedat ad consecrationem cum omnibus caeremoniis a Pontificali Romano praescriptis petrarum cunctarum, in quibus reliquiae desunt, vel quamvis appositae sint, non fuit tamen adhibitus ritus ordinatus, easque petras cum reliquiarum sepulchris consecratas mittat ad parochos qui easdem unicuique mensae aptare poterunt. Qua functione caute ac prudenter peracta, nihil omnino admirationis vel scandali excitabitur, cum perpaucis patere queat. Ad hunc autem timorem vitandum episcopi conscientiae et prudentiae relinquitur statuendum illud temporis spatium, quod necessarium putabit ad praedicta omnia sedulo perficienda ».

325. Igitur necessarium est indultum apostolicum ut altare sine reliquiis valide consecrari valeat; aut super altare sine reliquiis Missa licite celebrari possit: et licet hoc indultum raro ac difficile concedatur, tamen exempla non desunt in gravissimis circumstantiis, pro locis praesertim missionum. Confer Collectaneam S. C. de Prop. Fide, *n. 825, 829, 831,* ubi indulta elargiuntur consecrandi altaria sine reliquiis. Et in formula I facultatum *n. 23* datur Missionariis licentia, deficientibus altaribus cum reliquiis, celebrandi Missam super altari sine reliquiis. Gattico, *op. cit., cap. XII, n. 25*, putat in gravissima et evidenti necessitate, e. g., ne fideles diu Missa careant, episcopum qui nec reliquias habet, nec sperat se eas brevi habiturum esse (nec indultum petere potest consecrandi sine reliquiis), posse altare sine reliquiis interim consecrare.

326. Imo plurium Sanctorum reliquiae necessariae sunt et non sufficerent una vel plures unius tantum Sancti ; uti ex dictis satis colligitur. Consecratio cum una vel pluribus reliquiis unius tantum Sancti foret dubia. Id desumitur ex responsione S. R. C. in *Canarien. et de Teneripha, 13 Apr. 1867* (n. 5379). Nam episcopus Canariensis et administrator Apostolicus Teneriphensis in altaribus ecclesiarum utriusque dioecesis vix aras et tabulas lapideas rite consecratas invenit ; ipse autem plura centena consecravit, ut illis suas ditaret ecclesias. Attamen ex tabulis recenter consecratis : 1° Quaedam existunt in quorum sepulchro ex errore unius tantum Sancti martyris reliquiae conditae sunt, et quae ab aliis separatae existunt ; 2° Aliquae autem numero perpaucae de quibus dubitatur an unius vel plurimorum Sanctorum reliquias contineant, ac quae ab aliis magno numero rite consecratis distingui non possunt. Quaesivit ergo a S.R.C. : « 1° An primae sint denuo consecrandae, vel sufficiat in iis ab ipsomet episcopo qui eas consecravit, aperiri sepulchrum et ibi alterius Sancti reliquias adjungere; 2° An secundae possint relinqui prout sunt, permittendo ut in eis celebretur, cum non possint ab aliis qui duorum Sanctorum reliquias habent distingui ». S. C. reposuit : « Supplicandum SSmo pro sanatione ad cautelam tantum ». Quam sanationem SSmus, quatenus opus esset, concessit. Ratio praecipua dubitandi de validitate hujus consecrationis est, ni fallimur, quia, si unius tantum Sancti reliquiae in altari sunt, nequeunt esse vera verba sacerdotis in prima altaris deosculatione. Vide Gardellini citatum *n. sequ.* Igitur si casus practicus occurrat consecrationis taliter peractae, vel petenda est sanatio ad cautelam, ut supra ; vel aperiendum sepulchrum, addendae alterius Sancti reliquiae, et rursus altare (quod aperitione sepulchri execratum est) consecrandum.

327. Si vero quaeratur quorumnam reliquiae necessariae sint, respondemus in primis S. C. C. die *13 Sept. 1593*, apud Gavanti, *tom. I, pag. 115*, rescripsisse episcopo Interamnensi, adhiberi ad hoc non posse, nisi reliquias Sanctorum ab Ecclesia *approbatorum*. Et quidem necessariae

sunt reliquiae illorum qui ab Ecclesia approbati sunt ut *Sancti*, et non sufficerent reliquiae *Beatorum* et multo minus *Venerabilium*. Deficiente authentica responsione, id colligimus tum ex verbis Pontificalis Romani quod semper loquitur de reliquiis *Sanctorum*, tum ex verbis sacerdotis in prima altaris deosculatione : *Per merita Sanctorum tuorum quorum reliquiae hic sunt*, tum tandem ex eo quod prohibitum sit ecclesias dicare Beatis (*n. 138*), proinde et altaria, et ideo etiam, ni fallimur, poni in altari eorum reliquias. Praeterea Gardellini in nota ad responsionem S. R. C. in *Gratianopolitana*, *23 Maii 1835* (n. 4742), haec habet : « Reliquiae Sanctorum quae reponuntur, *martyrum* esse debent et plurium, et solum permittitur ut cum iis sanctorum confessorum reliquiae uniantur, illorum praesertim in quorum honorem vel ecclesiae vel altaria dedicantur ; plurium autem Sanctorum reliquiae ponendae sunt, ut verba sacerdotis in prima altaris deosculatione verificentur : *Quorum reliquiae hic sunt* ; sicuti etiam pars aliqua corporum reponenda est, non vestes aut quidquid aliud hujusmodi ». Haec certe magis conformia sunt Pontificali Romano et Instructioni quam retulimus *n. 324* ; sed positis in sepulchro reliquiis unius Sancti martyris et unius Sancti confessoris aut virginis, putamus consecrationem valere. Nam positis in sepulchro reliquiis unius sancti martyris tantum, jam diximus *n. 326* consecrationem esse dubiam, praesertim quia verba sacerdotis prima vice altare deosculantis vera non sunt. Sed in casu nostro reliquiis unius martyris additae ex hypothesi sunt reliquiae confessoris aut virginis, atque ita verba sacerdotis verissima sunt, ut patet. E contrario putamus consecrationem esse dubiam, si in altari positae sunt reliquiae plurium Sanctorum *non martyrum* ; nam ex una parte certum est antiquitus non solum super corpora martyrum, sed etiam super corpora confessorum altaria erecta fuisse (1), et ex alia in casu verba sacerdotis deosculantis altare vera sunt, sed non ap-

(1) *Nouvelle Revue Théologique*, *l. c.*, *et tom. VI*, *pag. 181 sequ.* Vide *n. 138.*

plicantur verba Apocalypsis et S. Augustini relata cit. *n. 324*. Deest, quod sciamus, in hac materia authenticum responsum S. R. C., quae in casu practico foret consulenda.

328. Demum reliquiae debent esse authenticae, ita ut dubiae reliquiae nunquam poni valeant ; quod S. R. C. saepius declaravit et res clara est. Quod si authenticae sunt, poni in altari possunt licet nomen Sanctorum ad quos pertinent, ignoretur. Sane « episcopus Scardonensis narrans sibi ex Urbe transmissas nonnullas reliquias Sanctorum sine nominibus, supplicavit pro licentia imponendi illis nomina bene visa ». S. R. C. in *Scardonen., 19 Aug. 1630* (n. 875), reposuit : « Si reliquiae sunt authenticae, posse concedi, facto verbo cum SSmo ». Deinde vero die *7 Sept. 1630*, SSmus dixit : « Episcopum illis posse uti, si sunt authenticae, in consecratione altarium absque alia denominatione ».

329. Pontificale Romanum de consecratione altaris immobilis sive cum ecclesiae consecratione, sive absque ecclesiae consecratione haec habet : « Sane sero ante diem consecrationis Pontifex parat reliquias in altari consecrando ponendas, ponens eas in decenti et mundo vasculo cum tribus granis thuris ; ponit etiam in eo chartulam de pergameno scriptam sub hac forma..... Sigillans ipsum vasculum diligenter ». De Rossi, *Bull. 1872, pl. X-XII*, docet antiquis temporibus hoc vasculum saepe fuisse ex metallo pretioso ; hodie Pontificale Romanum materiam vasculi non indicat, dummodo sit decens et mundum. Sigillatur autem vasculum diligenter sigillo cerae, ponendum deinde in sepulchro altaris, claudendo sigillo lapideo, de quo supra.

330. Pergitque Pontificale : « Celebrandaeque sunt vigiliae ante reliquias ipsas et canendi nocturni et matutinae laudes in honorem Sanctorum quorum reliquiae sunt recondendae ». Hunc ritum celebrandi vigilias ante reliquias Sanctorum recondendas in altari immobili consecrato, Pontificale conservavit ex antiqua liturgia Gallicana. Igitur reliquiae, vasculo sigillato contentae, sero ante diem consecrationis ponendae sunt in loco honesto et mundo, e. g., in oratorio proximo ecclesiae, vel sub tentorio ante fores eccle-

siae consecrandae parato, vel etiam in capella cujus altare non est consecrandum, et super feretrum decenter ornatum, cum duobus candelabris et luminaribus ardentibus; insuper celebrandae sunt vigiliae ante reliquias in honorem eorumdem Sanctorum. Eae vigiliae perdurare debent *per totam noctem* usque ad momentum translationis et repositionis earumdem reliquiarum in altaris sepulchro. Id Pontificale expresse non tradit, sed certum est, cum sit conforme antiquae liturgiae, ex qua hic ritus desumptus est (1). Hinc in *Cuneen., 7 Aug. 1875* (n. 5621), ad dubium: « 3° Pontificale Romanum praescribit vigilias persolvendas ante reliquias in altari reponendas: Sufficitne matutinum cum laudibus semel vespertinis horis persolvi, clauso postea remanente tentorio vel sacello, an tota nocte psallendum, donec reliquiae ipsae processionaliter deferantur ad altare consecrandum »; S. R. C. reposuit: « Ad 3um: Sacrae vigiliae praescriptae in Pontificali Romano per totam noctem persolvendae sunt ». Haec omnia servat etiam Ecclesia Graeca, juxta Goar, *Euchologium Graecorum, pag. 832 sequ.*; sed translatio reliquiarum vigilatarum plerumque fit alio die a die consecrationis ecclesiae et altaris.

331. Non semel dubitatum fuit quid in concreto recitari aut cani deberet in his vigiliis tota nocte perdurantibus ante Sanctorum reliquias. In primis ex dictis apparet absonum esse recitare aut canere officium dedicationis ecclesiae, cum vigiliae esse debeant *in honorem Sanctorum*; insuper quando consecratur solum altare immobile, et non ecclesia cum altari, non est locus officio dedicationis; demum quando consecratur ecclesia cum altari, ecclesia nondum consecrata est, dum aguntur vigiliae. Hinc in cit *Gratianopolitana, 23 Maii 1835* (n. 4742), ad dubium: « 2° Pontificale Romanum expresse innuit quod pridie dedicationis ecclesiae matutinum cum laudibus canendum sit (ac proinde recitandum pro privatim dicentibus) de Sanctis, quorum reliquiae reconduntur in vase, ante fores ecclesiae posito. Illud officium obligatne sub gravi? Numquid eo die duplex matuti-

(1) Gardellini, *l. c.*

num recitandum est unum de Sanctis, alterum de dedicatione ? » ; S. R. C. reposuit : Ad 2um : « Officium de dedicatione ; vigiliae juxta Pontificale ante reliquias, de Sanctis ». Rursus in *Cenomanen.*, *7 Dec. 1844* (n. 4979), exorto dubio circa genuinum sensum relatorum verborum Pontificalis, nonnulli putabant in hisce vigiliis recitandum esse officium dedicationis ecclesiae, licet altaris tantummodo peragenda esset consecratio, et incipiendum a primis vesperis, etiam in satisfactionem oneris divini officii, alii e contrario censebant juxta Pontificale in vigiliis recitandos nocturnos in honorem Sanctorum per psalmos et officium de communi, quin tamen hi nocturni onus divini officii currentis excluderent. S. R. C. reposuit : « Juxta alias decreta, praesertim in *Mechlinien.*, *19 Julii 1780* et *Gratianopolitana*, *23 Maii 1835*, vigilias faciendas juxta Pontificale ; officium vero dedicationis ecclesiae (non altaris) solum inchoandum esse, peracta consecratione, ab hora minori tertia ». Iterum vero expostulante episcopo Cenomanensi, eadem S. C. in *Cenomanen.*, *14 Junii 1845* (n. 5008), rescripsit : « Pontificalis verba in casu intelligenda esse quod celebrentur vigiliae cum matutino, laudibus, hymnis, canticis de communi, cum simili oratione de communi, sine nomine expresso, cum non sint partes officii dici ». Igitur, tota nocte praecedente, ante reliquias sanctorum martyrum, recondendas die sequenti in altari, sacerdotes, clerici, regulares aut etiam laici recitabunt cum cantu vel sine cantu matutinum, laudes, hymnos, canticos de communi martyrum, cum simili oratione de communi, sine nomine expresso. Sed si martyrum reliquiis admixtae sunt reliquiae confessorum et virginum, fortasse, praeter matutinum etc. de communi martyrum, recitari aut cani poterit etiam matutinum etc. de communi confessorum aut virginum ; item non dubitamus vigilantes psalmis, laudibus, hymnis, canticis de communi, posse etiam alios psalmos et preces ab Ecclesia approbatas addere. Manifestum est easdem personas non posse per integram noctem vigilare canendo et recitando ; igitur necesse erit ut plures vigilent, alternis vicibus. Tandem notandum est vigilantes qui officium, ut supra,

ante reliquias recitaverunt, non exinde, axiomate *officium pro officio*, solvi ab obligatione recitandi officium dici occurrentis, non obstante quacumque contraria consuetudine, uti censuit S. R. C. in *Bergomen.*, *16 Sept. 1881* (n. 5827), et in cit. *Cenomanen.*, *14 Junii 1845*.

332. Expletis vigiliis, reliquiae deferuntur ad altare consecrandum, servatis caeremoniis praescriptis in Pontificali Romano. In *Cuneen.*, *7 Aug. 1867* (n. 5624), propositis dubiis : « 6° Juxta Pontificale Romanum feretrum reliquiarum deferendum est a quatuor sacerdotibus. Debentne isti sacerdotalia paramenta induere, scilicet amictum, albam, cingulum et planetam..., an sufficit ipsos superpelliceo indui ; 7° Antequam episcopus ecclesiam cum feretro reliquiarum ingrediatur, inungere debet cum sacro chrismate ostium ecclesiae exterius. Inungendane porta ipsa, ut plurimum, lignea ; an potius inungendi duo stipites lapidei vel lateritii » ; S. R. C. reposuit : « Ad 6um : Decet, ut, ex usu passim recepto, sacerdotes in casu sint sacris vestibus induti. Ad 7um : Negative ad primam partem : affirmative ad secundam ».

333. Tandem quoad ipsam repositionis caeremoniam episcopus Bellunensis et Feltriensis exposuit : « Pontificale Romanum de altaris portatilis consecratione agens, nusquam de coementi benedictione ad firmandum parvi sepulchri operculum verba facit ; et solummodo praecipit ut episcopus, sacris in eodem sepulchro reliquiis repositis, illud claudat. Hinc episcopus orator, hac in re obsequens iis quae tradit cl. Martinucci in *Manuali sacrarum caeremoniarum*, quamplura altaria portatilia pro utraque sua dioecesi consecrans, neque coementum benedixit, nec sepulchra ipsemet lapideo clausit operculo, id muneris assistentibus sacerdotibus relinquens, qui fortasse aqua non benedicta in coemento conficiendo saepe usi sunt ; de episcopali vero sigillo supra sepulchra imprimendo ne cogitavit quidem : et in pastoralibus visitationibus, si quando lapidem sepulchri reperit minus firmiter coemento connexum, illud, novo addito coemento, a parocho vel alio sacerdote firmari jussit. Perlectis deinde recentioribus S. R. C. decretis praesertim

in *Policastren. diei 23 Junii 1879*, in *Lucana, diei 3 Sept. 1879*, in *Vivarien. diei 28 Febr. 1880*, in *S. Joannis in America, diei 15 Dec. 1882* et in *Ravennaten., diei 18 Maii 1883*, dubium exortum est utrum recte quae exposuit, gesta sint. Hinc idem Rmus episcopus sequentia dubia pro opportuna declaratione eidem S. C. enodanda proposuit, nimirum: 1° An in posterum coementum pro firmando in altari portatili sepulchri lapide benedicendum sit ritu pro altaris fixi consecratione praescripto; 2° An ipse episcopus idem sepulchrum coemento linire et lapide claudere debeat; 3° An episcopale sigillum super parvum sepulchrum altaris addendum sit ». S. R. C. in *Bellunen. et Feltrien.*, *10 Maii 1890*, reposuit: « Ad 1um: Affirmative. Ad 2um: Si agatur de unico altari portatili consecrando, affirmative; si vero agatur de pluribus aris portatilibus consecrandis, satis est ut episcopus liniat coemento labium sepulchri unius arae, et dum ipse prosequitur in sacrarum reliquiarum repositione, assistentes sacerdotes lituram et cujusque sepulchri clausuram peragant. Ad 3um: Juxta decretum in *Vivarien. diei 28 Febr. 1880*, sigillum episcopale apponi posse, sed non debere ».

§ 3. — *De cessatione consecrationis altaris.*

334. In primis altare immobile execratur, si superior mensa lapidea mota fuerit a basi. Id expresse tradit Innocentius III in *cap. 3, De consecratione ecclesiae vel altaris*: « Altare vero in quo tabula cui consecrationis benedictio pontificali ministerio adhibetur, *si mota*, vel enormiter fracta fuerit, debet non immerito consecrari ». *Si mota*, nempe non solum si mensa lapidea fuit a basi omnino dimota, sed etiam si fuit parumper sublevata. Revera in *Neapolitana*, *23 Febr. 1883*, (n. 5907), proposito dubio: « 1° Avulsis ob humiditatem lapidibus, qui tegebant reliquias quorumdam altarium, et nova calce firmati, dubitabatur utrum praedicta altaria indigerent nova consecratione. Exposito dubio S. R. C. sub *die 25 Sept. 1875, Ord. Cistercien.*, responsum fuit: *Si sepulchrum aper-*

tum non fuerit, sed tantummodo de novo coemento firmatum, negative; secus affirmative. Nunc quaeritur : Haec decisio potestne etiam retineri cum tota mensa altaris consecrati ad modum fixi e suis stipitibus sublevata, non omnino dimota, novo coemento ipsis stipitibus firmatur et conjungitur » ; S. R. C. reposuit : « Ad 11um : Negative ». Proinde, mota superiori mensa lapidea, consecratio cessat tum pro altari, tum pro mensa ; et ideo Missa celebrari nequit nec super eamdem mensam eidem vel alteri altari superpositam, neque super idem altare sine mensa, nisi eidem altari apponatur alia petra sacra et ita altare evaserit mobile. Haec prima execrationis causa non respicit altare mobile, ut patet, etsi petra sacra stabiliter basi ex muro inhaereat (1). Praestat eamdem nonnullis S. R. C. responsionibus declarare, inter plures quae citari possent.

335. In *Brixien., 15 Apr. 1869* (n. 5427), episcopus exposuit in quadam parochia suae dioecesis jam a saeculo una cum parochiali ecclesia consecratum fuisse altare majus. Sed cum novum altare majus in ea fuerit aedificatum et rite consecratum, illud prius fuit asportatum in capella laterali ejusdem ecclesiae ; in qua translatione mensa quidem a stipitibus avulsa est, sed omnino integra permansit et sanctorum martyrum sepulchrum plane inviolatum. Propositis dubiis : « Utrum praedicta mensa ad instar altaris portatilis haberi, in eaque Missae sacrificium celebrari possit sine nova consecratione, aut alterius lapidis rite consecrati substitutione ? Et quatenus negative, episcopus orator necessariam dispensationem et sanationem implorat » ; S. R. C. reposuit : « Ad dubium negative. Ad postulatum vero affirmative, si SSmo D. N. placuerit ». Pius IX petitam dispensationem et sanationem benigne elargiri dignatus est die *15 Apr. 1869*.

336. In *Senogallien., 15 Maii 1819* (n. 4562), episcopus exponebat : « Dimissa nimis facies aree maximae cathedralis ecclesiae Senogalliensis in altiorem formam reducta nu-

(1) D'Annibale, *III*, § *9*, *n. 12;* Reiffenstuel, *lib. III Decret., tit. XL. n. 38*.

per cum fuerit, superiorem lapidem, altaris ejusdem mensam efformantem, a suo stipite amovere necessario oportuit; constat autem altare illud ad modum fixi fuisse consecratum cum sigillis atque unctionibus mensam inter et stipitem. Hinc diversa Canonicorum studia quoad necessitatem illud iterum consecrandi. Eapropter a S. R. C. petitum responderi: utrum amota mensa ab altari ad modum fixi et non portatilis consecrato, necessario nova indigeat consecratione ». S. C. reposuit: « In casu de quo agitur, altare denuo esse consecrandum ».

De simili casu actum est in *Lucana, 13 Sept. 1879* (n. 5793). Nam archiepiscopus, dioecesim perlustrans, reperit in quadam ecclesia parochiali duo altaria fixa cum integra tabula ex lapide; quae tamen, ut asserebatur, ab alia ecclesia ubi primitus tanquam fixa consecrata fuisse censebantur, ad illam ecclesiam translata fuere, atque in eis ab antiquo tempore Missa semper celebrata fuerat. Dicta ecclesia *an. 1866* consecrata fuit, sed in hac consecratione eadem altaria in exposito statu remanserant. Proinde archiepiscopus petebat num haec altaria tanquam execrata haberi deberent; et S. C. reposuit: « Affirmative, juxta alias decreta ».

337. Nonnulli putant execratum esse altare immobile, si altare integrum de loco in quo extructum fuit sacrisque caeremonis delibutum, alio transferatur. Argumentum praebet *cap. 1, De consecratione ecclesiae vel altaris*, ubi Alexander III docet: « Ad haec si altare motum fuerit...., debet denuo consecrari ». Hanc sententiam falsam esse plane constat ex dictis *n. 282*. Id verbis desumptis ex Giraldi, *Expos. Jur. Pont., p. I, sect. 599*, ita demonstrat Gardellini in cit. *Senogallien.*: « Ratio est quia, licet altare fixum in hoc differre videatur ab altari portatili, quod hoc sit transferibile de loco in locum, ipsum vero non ita, proindeque fixum dicatur et immobile, tamen haec differentia est mere extrinseca, accidentalis et respectiva ad ipsum locum, potius quam inter ipsa altaria; nam ratio formalis per quam altare fixum intrinsece differt a portatili, proprie in eo consistit quod altare fixum habet ac essentialiter importat con-

junctionem tabulae cum sua structura inferiori seu basi, cui tabula proinde necessario debet esse unita; ubi e contrario altare portatile de sua natura importat esse a basi sejunctum... Quare cum altare (immobile) supponatur eamdem conjunctionem servare, tabulae scilicet cum sua basi, non obstante ipsius translatione de uno in alium locum, dicendum est quod adhuc retinet suum esse, ac per consequens suam consecrationem, quae eidem accesserat..... ». Proinde illa verba: *Si altare motum fuerit*, etc., in cit. *cap. 1*, *De consecratione Ecclesiae vel altaris*, ita intelligenda sunt: *Si mota fuerit mensa altaris* (immobilis), uti notat Glossa, *l. c.*, *v. Altare*.

Imo Reiffenstuel, *l. c.*, docet altare immobile nec amittere suam consecrationem: « si lapides inferiores, lapidem vel tabulam superiorem principaliter consecratam immediate non tangentes, amoveantur, et alii substituantur, altari in debita altitudine adhuc remanente, etsi successive omnes lapides taliter inferiores amoveantur, ut habet ibidem Glossa marginalis ».

338. In *Brixinen., 7 Julii 1759* (n. 4276), expositum fuit imagines et titulos altarium antiquitus consecratorum translatos fuisse de uno loco ad alium, non amota tamen a primaevo loco mensa jam consecrata; et quaesitum fuit: « An altaria a quibus alio translati fuerint tituli et imagines, remanente tamen mensa consecrata, nova indigerent consecratione ». S. R. C. reposuit: « Eadem altaria non indigere nova consecratione, cum altaria non Sanctis, sed Deo in honorem Sanctorum dedicentur ».

339. Cessat praeterea consecratio altaris sive immobilis sive mobilis ob *enormem* fracturam mensae lapideae. Id tradit Alexander III in cit. *cap. 1*, *De consecratione ecclesiae vel altaris*: « Ad haec si altare motum fuerit aut lapis ille solummodo suprapositus qui sigillum continet, confractus, aut etiam deminutus, debet denuo consecrari ». Decretalis Alexandri III, juxta textum completum apud Gonzalez, habet: *Confractus, aut enormiter diminutus extiterit*. Idem expresse repetit Innocentius III in *cap. 3 ejusd. tit.*, cujus verba dedimus *n. 334* et indirecte in *cap. 6 ejusd. tit.*

340. Quaestio est quandonam mensae lapideae fractio habenda sit enormis, doctoribus inter se non consentientibus. Omnes quidem admittunt fracturam esse enormem, si ita lapis confringatur, ut calix et patena cum hostia in majori illius fragmento stare amplius non possint. Sed quid si in majori fragmento calix et patena cum hostia stare adhuc possunt? Plures putant mensam hoc in casu non censeri enormiter fractam, ita ut super majus fragmentum Missa celebrari adhuc licite queat (1). Haec sententia laxa est; et potius sequens regula generalis, omnibus perpensis, constitui posse videtur: Si in magno fragmento quod integrum remanet, reperiuntur omnes cruces ab episcopo in consecratione altaris specialiter benedictae, fractura non est enormis; e contrario si in parvo fragmento reperitur aliqua ex his crucibus, fractura est enormis. Hinc, e. g., fractura est certe enormis in casu allato, nempe si in nullo fragmento calix et patena cum hostia stare possit, idque videtur significare Alexander III, *l. c.*, per verbum *confractus*. Pariter fractura est enormis, si mensa divisa est per medium, aut fere per medium, licet utraque pars continere certe posset calicem et patenam cum hostia: in hoc casu fractura esset enormis tum ob quantitatem tum ob locum unctionum seu crucium. Tandem fractura esset etiam enormis ob locum unctionum seu crucium, licet non ob quantitatem, si decisa est in extremitate parva pars, quae tamen aliquam continet crucem. Hos duos casus videtur indicare Alexander III, *l. c.*, per verbum *diminutus* aut *enormiter diminutus*. Quod si parva decisa pars in extremitate nullam crucem continet, fractura non est enormis; et ita intelligimus Innocentium III in cit. *cap. 6*, ubi tradit altare non esse execratum, si mensa in sua extremitate modicam passa est fracturam. Hinc S. R. C. in *Carpen.*, *3 Mart. 1821* (n. 4577), reposuit altare non esse execratum ex *levi fractura in uno vel altero cornu* (2). Ceterum altare execratur

(1) D'Annibale, *l. c.*, *not. 7*; Reiffenstuel, *l. c.*, *n. 37*; Schmalz., *n. 43*; Pirhing, *n. 23*; Layman, *lib. V, tract. V, cap. VI, n. 5.*

(2) Gardellini in nota ad hanc S. C. responsionem; Instructio S. R. C. relata *n. 324*; Giraldi, *l. c.*, cum Barbosa.

per fracturam enormem in sensu exposito, licet fractura in se tenuis seu subtilis sit. Hinc in *Sancti Hippolyti, 31 Aug. 1861* (n. 5386), ad dubium : « 3° Aliqua etiam altaria portatilia, licet nec sepulchrum violatum fuerit, nec enormis fractura adsit, tenui scissura laborant, quae per medium integrum lapidem decurrit. Quaeritur an per hujusmodi tenuem scissuram, ad instar fili, altare execratum censendum sit » ; S. R. C. reposuit : « Ad 3um : Affirmative ».

341. Tandem execratur altare tum immobile tum mobile, fracto sepulchro, aut amotis reliquiis, aut amoto vel fracto lapideo sigillo tantum, quidquid in contrarium nonnulli dixerint. Haec declarant sequentes, inter plures alias, responsiones S. R. C.

342. In *Bituricen.*, *23 Sept. 1848* (n. 5162), propositis dubiis : « 1° Utrum altaria portatilia consecrationem suam amittant, quando fractum est sigillum quod reliquiis in sepulchro inclusis apponitur ; an tantum quando, ut loquuntur theologi, fractum est sepulchrum ;

« 2° Utrum altare portatile cujus sigillum non existit, mitti debeat ad urbem episcopalem et rursus consecrari ; an sufficiat tantum novas addere reliquias veteribus reliquiis in sepulchro inclusis et authenticitate carentibus et sigillum episcopi apponere ;

« 3° Quid sentiendum de consecratione altarium portatilium dioecesis Bituricensis ? Nam de facto constat quod a perturbatione anni 1790 nulla existebant sigillorum vestigia in altaribus portatilibus. Rursus impositae sunt reliquiae ab archidiaconibus, quum vacuum erat sepulchrum, aut, reliquiis in sepulchro manentibus et authenticitate carentibus, additae sunt reliquiae authenticae, et appositum fuit episcopale sigillum » ;

S. R. C. reposuit :

« Ad 1um : Quoad primam partem, negative, nisi fractum sit sepulchrum vel ejus operculum, aut etiam solummodo si hoc amotum fuerit. Quoad secundam partem, provisum in prima.

« Ad 2um : Quoad primam partem, provisum in primo. Quoad secundam nunquam licere certas Sanctorum reli-

quias dubiis immiscere, ac semel execrata ara vel fixa vel mobilis ex communi jure nova indiget consecratione.

« Ad 3um : Mobiles aras in casu execratas esse et ad mentem. Mens est ut amoveantur prorsus reliquiae dubiae et consulendum SSmo, ut archiepiscopus Bituricensis vel per se vel per alios etiam simplices presbyteros, hoc tantum in casu Apostolicae Sedis nomine delegandos, certas reliquias in iisdem aris reponat, iis solummodo caeremoniis servatis, quae in Pontificali Romano praescribuntur, dum in sepulchro reconduntur reliquiae et superponitur lapis ; scilicet ut signetur sacro chrismate confessio seu sepulchrum ac dicatur interim oratio : *Consecretur et sanctificetur ;* postea reconditis reliquiis cum tribus granis thuris et superposito operculo ac firmato, dicatur altera oratio : *Deus qui ex omni cohabitatione Sanctorum*, et nihil aliud ».

343. In *Polycastren.*, *23 Junii 1879* (n. 5786), propositis dubiis : « 1° An haberi debeat execratum altare fixum cujus mensa lapidea sit scissa in duas partes fere aequales, ita tamen ut ejusmodi scissura maxime afficiat sepulchrum reliquiarum, neque ambae partes sint sejunctae a gradibus superioribus altaris ipsius aut a stipitibus suppositis ; 2° An censendum sit altare portatile suam amisisse consecrationem ex eo quod lapis sepulchri reliquiarum aliquas habeat scissuras, quae vero sic inter se adhaereant, ut nullimode dubitari possit de reliquiarum authenticitate » ; S. C. reposuit ad utrumque : « Affirmative ».

344. In cit. *Lucana* (*n. 336*), Archiepiscopus in visitatione dioecesis reperit etiam aliqua altaria portatilia in quibus, licet prudenter praesumi non posset ullo tempore sepulchrum reliquiarum fuisse apertum, tamen rimula quaedam cernebatur inter sepulchrum ipsum ejusdemque operculum, quod, admota manu, tantisper moveri dignoscebatur, ob defectum cohaesionis, eo quod coementum rimulam ipsam non satis penetrasse ab initio, vel consumptum postea fuisse comperiebatur. Hinc expostulabat etiam num haec altaria portatilia forent execrata. S. R. C. reposuit : « Negative et ad mentem. Mens est ut Archiepiscopus privatim facta malta ex coemento prius juxta Pontificale benedicto,

cum eadem, tutiori quo fieri potest modo rimulam quae in aris portatilibus cernitur inter sepulchrum reliquiarum ejusdemque operculum, impleat et operculum ipsum firmet ».

345. Jam diximus (*n. 329*) in altari immobili reliquias reponendas esse in vasculo diligenter sigillato sigillo rubrae cerae, et deinde hoc vasculum ponendum in sepulchro quod clauditur lapideo sigillo. Proinde si sigillum cerae rubrae a vasculo disparuerit, evidens est sigillum lapideum fuisse amotum et ideo altare esse execratum. Diximus ulterius in altari seu immobili seu mobili posse et extra lapideum sigillum apponi sigillum cerae rubrae, licet non sit necessarium. Quid si hoc sigillum cerae rubrae disparuerit, aut deletum vel consumptum fuerit ? Altare non est execratum, ut reposuit S. R. C. in cit. *Bituricen., 23 Sept. 1848, ad 1um* (*n. 342*), et idem responsum jam dederat in *Cenomanen., 11 Martii 1837* (n. 4805) ; nam propositis dubiis : « 1° An interdicenda sint altaria portatilia, si nullum appareat reliquiarum sepulchrum, licet adsint quinque cruces ; 2° An idem dicendum, si existat sepulchrum absque sigillo ; 3° An idem saltem exequendum, quando apparet sepulchrum, sed nullum extat appositi sigilli vestigium » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Clarius se explicet. Ad 2um et 3um : Dummodo lapis consecratus seu altare portatile integrum sit, in eo celebrare potest ». At in hoc altari celebrari nequit, si ex disparitione sigilli cerae rubrae dubitari posset de identitate vel authenticitate reliquiarum. Hoc modo intelligimus rescriptum ejusdem S. C. in *Cadurcen., 23 Maii 1846, ad 2um* (n. 5037), quo declaravit altare nova indigere consecratione, si, deleto tantum episcopali sigillo super sepulchrum hispanica cera impresso, obseratae tamen inveniantur sacrae reliquiae. Eodem modo eadem S. C. rescripsit in *Vicarien., 28 Febr. 1880* (n. 5803) ; nam propositis dubiis : « 1° Utrum altaria portatilia interdicenda sint ob amissionem sigilli episcopalis, intactis remanentibus sepulchro et reliquiis ; 2° Et quatenus negative, utrum sepulchro apponi possit et debeat sigillum episcopale ; 3° Utrum eadem altaria portatilia interdicenda sint, quando non adest plena certitudo, sed tantum magna probabilitas quod sepulchrum non

fuit reseratum,et denuo consecranda sint » ; S.C. reposuit : « Ad 1um : Affirmative, nisi constet fuisse rite consecrata. Ad 2um : Apponi posse. Ad 3um : Provisum in primo ».

346. Execratio ecclesiae non secumfert execrationem altaris tum mobilis tum etiam immobilis, sicuti pariter execrationem altaris non secumferre execrationem ecclesiae diximus *n. 185*. Proinde si, e. g., corruente ecclesia in majori parte, intactum remanet altare immobiliter consecratum, hoc suam consecrationem conservat, ita ut ecclesia, rursus aedificata, benedici possit, sed non consecrari, si aliud altare immobiliter consecrandum in ecclesia non habeatur (*n. 162*) ; et, post ecclesiae benedictionem, statim licet eucharisticum sacrificium super altare offerre. Ante ecclesiae reaedificationem et dedicationem, nefas esset super altare celebrare, vetante jure sacrum facere extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, nisi in casibus expositis *n. 273 sequ.*

347. Altare execratum (aut invalide consecratum) debet rursus consecrari omnibus ritibus Pontificalis Romani, ut expresse tradit cit. *cap. 2, De consecratione ecclesiae vel altaris*, et S. R. C. in cit. *Bituricen., ad 2um* ; nec interim Missa super idem celebrari potest. At altare immobile execratum potest rursus consecrari ut mobile ; aut etiam potest super illud apponi petra sacra et ita Missa celebrari, ut indicavit ipsa S. R. C. in *Patavina, 22 Martii 1827* (n. 4636). Exinde sequitur dari posse ecclesiam consecratam, cujus altare majus sit mobile, si nempe altare immobile, una cum ecclesia consecratum, fuit execratum et suppletum per altare mobile. Ceterum evidens est Sedem Apostolicam posse sanare defectus irritantes consecrationem ; vel permittere ut super altare execratum Missa interim celebretur, donec rursus altare consecretur ; aut indulgere ut nova consecratio fiat breviori modo ; de qua re sequentia notanda sunt.

348. In primis referri debet responsio ejusdem S. C. in *Bambergen., 14 Martii 1693* (n. 3305). Episcopus dono acceperat altare quoddam portatile cum authentico testimonio consecrationis ab episcopo quodam Magdebur-

gensi factae : quia tamen illud notabili temporis intervallo manibus acatholicorum extiterat, timens memoratus episcopus ne aliquod forte inconveniens, maxime quoad reliquias sacras mutatas vel falsatas, contigerit, « securitatis, non curiositatis gratia, lignum quo lapis incrustatus fuerat, amovit, et subtus cavitatem animadvertens, eam etiam aperuit et reliquias impositas extraxit lustravitque, atque authenticas repertas denuo imposuit, loculumque, ut prius, occlusit. Dubitatur nunc an per tam cautam et necessariam aperitionem altare illud consecrationis sanctitatem veterem amiserit et nova indigeat ». S. C. reposuit : « Quatenus episcopus celebraverit in supradicto altari, non indigere alia consecratione ». Putamus hanc fuisse pro illo casu benevolam concessionem seu sanationem ; de jure communi altare debuisset rursus consecrari, etiamsi episcopus et a fortiori simplex sacerdos in eodem celebravisset.

349. Hinc in *Newporten.*, *14 Mart. 1861* (n. 5313), pro simili casu S. C. simile non dedit responsum. Nam cum innotuisset episcopo « quod in quodam altari fixo suae dioecesis lapis, pro sigillo sepulchri reliquiarum inserviens, ob defectum calcis qua conglutinabatur, amplius sepulchro non haerebat, ipse, ut rem melius exploraret, lapidem ipsum manu sua movit et cum reipsa solutus esset, de situ sublevavit ; reliquias tamen nullo modo tetigit vel dimovit, et deinde lapidem reposuit. Quibus expositis, a S. Sede declarari humillime postulavit : 1° An altare de quo supra, consecrationem amiserit ; 2° An debeat denuo consecrari vel sufficiat sigillum denuo conglutinare et claudere ; 3° In casu quo sigillum tantum debeat iterum reponi, an calx qua conglutinatur, debeat benedici, prouti fit in consecratione altaris ». S. C. reposuit : « Altare de quo in precibus, nova consecratione indigere ». Proinde sustineri non potest doctrina Clericati, *De sacrif. Missae*, *Dec. XIII*, *n. 32*, putantis non esse execratum altare, si sigillum amoveatur et reliquiae decidant, sed statim ab aliquo ecclesiae ministro in sepulchro reponantur, firmato sigillo cum novo gypso.

350. S. R. C., potestate facta a Romano Pontifice, ali-

quando indulget ut altaria execrata remotione reliquiarum, aut invalide consecrata reliquiarum defectu, tanquam consecrata habeantur sola reliquiarum in iisdem repositione, facta vel facienda ab episcopo cum iis tantum caeremoniis quas Pontificale Romanum praescribit, aut etiam a simplici sacerdote. Vide *Lauden.* (*n. 297*), *Arichaten.* (*n. 299*), *Augustana* (*n. 324*), *Santi Flori, 3 Junii et 25 Sept. 1846* (n. 4997), etc. ; sed in *Nullius, 23 Martii 1686* (n. 3404), S. C. id denegavit et exegit novam formalem altaris consecrationem. E contrario aliquando concedit ut nova consecratio perficiatur, omissis caeremoniis quas Pontificale praescribit pro reliquiarum repositione, ut in *Beneventana, 21 Apr. 1668* (n. 3404) ; aut etiam ut Missa celebrari valeat super altare sine reliquiis, uti in *Limburgen., 27 Febr. 1847* (n. 5081), et nos supra diximus.

Articulus IV

Quandonam super altare consecratum Missa celebrari nequeat.

351. Quamquam altare, rite extructum, consecratione efficiatur aptum celebrationi Missarum, tamen aliquando super altare consecratum, consecrationem conservans, sacrum facere non licet. Id accidit in sequentibus casibus :

352. In primis sacerdotes ritus Orientalis, a Sede Apostolica probati, celebrare licite possunt in altari ritus Latini, « dummodo tamen sacra indumenta et cetera quae ad Missae celebrationem juxta ipsorum ritum necessaria sunt, secum afferant ipsosque comitetur nationis suae minister qui eisdem celebrantibus inserviat, et a custodibus et sacrario praefectis opportune caveatur, ne ob rei novitatem in adstantibus turbae ac tumultus excitentur ». Ita Benedictus XIV in const. *Allatae, 26 Julii 1755*, § *35*. Vide etiam const. *Etsi Pastoralis, VII Kal. Julii 1742*, § *VI*, *De sacramento Eucharistiae et Missae sacrificio*, *n. 17*, ubi Pontifex permittit Graecis accipere altaria portatilia, ab epis-

copis Latinis consecrata. E contrario sacerdotes ritus Latini nequeunt in altari ritus Orientalis licite celebrare, si propriam habent ritus Latini ecclesiam, vel saltem proprium ritus Latini altare in ecclesia ritus Orientalis. In casu autem necessitatis, deficiente ecclesia et altari proprii ritus, sacerdotes ritus Latini possunt celebrare in altari majori ecclesiae Orientalis de parochi Graeci consensu, qui eum nullatenus hujusmodi in casibus negare potest, uti expresse tradit Benedictus XIV in cit. const. *Etsi pastoralis*, *l. c.*, *n. 8* ; sed nequeunt, sine apostolico indulto, celebrare super Orientalia antimensia, ut idem Pontifex tradit, *l. c.*, *n. 19*. Hoc indultum Benedictus XIV in const. *Inposito Nobis*, *IV Kal. Apr. 1751*, concessit Latinis sacerdotibus in Russia alba, ut nempe in Latinorum commodum celebrare valerent super antimensia in Ruthenorum ecclesiis.

353. In Graecorum altari, postquam unus sacerdos Missam celebravit, nequit alius sacerdos eodem die iterum Missae sacrificium offerre, ex veterum sanctorum Ecclesiae Graecae Patrum praecepto et consuetudine. Plures Orientales antistites a Romanis Pontificibus postulaverunt, ut, hac disciplina derelicta, potestas sacerdotibus fieret plures Missas eodem die super idem altare celebrandi ; sed ipsis responsum semper fuit nihil esse innovandum. Vide Benedictum XIV in cit. const. *Demandatam*, § *8*, et in cit. const. *Allatae*, § *37*. Quoniam vero absurdus error in vulgus manaverat, ideo non offerri secundum Missae sacrificium eodem die, idemque ad altare in quo alius sacerdos celebraverat, quia sacerdos qui posterior celebraret, cum iisdem sacris indumentis quibus primus usus fuerat, jejunium frangeret, Benedictus XIV in cit. const. *Demandatam*, praecipit, ut omni studio episcopi curarent hunc incredibilem errorem, servata tamen disciplina, populo adimere.

354. *Caeremoniale episcoporum*, *lib. I*, *cap. XII*, tradit : « Non incongruum, sed maxime decens est, ut in altari ubi SSmum Sacramentum est, Missae non celebrentur, quod antiquitus observatum esse credimus ». Benedictus XIV in const. *Accepimus*, *16 Julii 1746*, animadvertit in veteri *Caeremoniali* ita legi : *Quod antiquitus*

observatum esse videmus. Porro verba *Caeremonialis* referuntur non solum ad Missas solemnes et cum cantu celebratas, sed etiam ad Missas lectas. Licet autem regula *Caeremonialis* in nonnullis ecclesiis servetur, contrarius tamen usus Missas celebrandi etiam in altari ubi SSmum Sacramentum custoditur, fere ubique obtinet ; et non est reprobandus, cum *Caeremoniale* a simplici decentia rationem desumat, ne eo in altari sacrum fiat, et Missalis Rubricae, *part. II, tit. IV, n. 6*, supponant Missas eo in altari celebrari, ritum a sacerdote servandum in genuflexionibus praescribentes. Utraque ideo consuetudo est laudabilis et rationabilis, quamvis prima, conformis *Caeremoniali*, fortasse magis deceat. At, relate ad plures ecclesias, haec servari nequit ; nam cum tabernaculum, praesertim in parochialibus, regulariter asservetur in altari majori, tanquam digniori, expedit ut in eo celebrentur etiam Missae ad confluentis populi commoditatem ; imo nec aliter fieri potest in ecclesiis ruralibus, in quibus plerumque unicum habetur altare.

355. Praxis *Caeremonialis* multo magis servanda erit, si in altari publice expositum est SSmum Sacramentum, nisi necessitas, aut gravis causa, aut indultum ab eadem eximat. In *Societatis Jesu, 11 Maii 1878* (n. 5728), ad dubium : « 1° Quid sentiendum de usu in dies semper invalescente celebrandi Missas coram SSmo Sacramento publice exposito in ecclesiis, in quibus non desunt alia altaria ; item et distribuendi sacram communionem in eisdem Missis et extra Missas in eodem altari » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Ad primam partem, non licere sine necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali indulto ; Ad secundam partem, negative ». In *De Nicaragua, 27 Sept. 1861* (n. 5336), propositis dubiis : « 2° Utrum servanda sit consuetudo ab immemorabili invecta celebrandi in altari ubi publice discoopertum manet sanctissimum Eucharistiae sacramentum, praeter Missam expositionis, aliam, quae praecipua est, solemnitatis, cuique magnus populi concursus adest, vel potius tanquam abusus eliminanda, licet ex hoc fideles moerore afficiantur ; 3° Quando in altari majori ecclesiae cathedralis

palam adorandum exponitur SSmum Sacramentum celebrari assuescitur, praeter primam Missam pro exponendo et secundam quae solemnitatis dicitur, alia tertia Missa quae capitularis est; sed dubitatur an hujusmodi usus permittendus sit, vel potius transferendus chorus ad aliud ecclesiae pronaum, ut ibidem Missa celebretur, quamvis hoc incongruum videatur; siquidem tunc populus ab adoratione SSmi Sacramenti diverteretur; 4° Aliquando contingere solet infra octavam Corporis Christi vel aliis diebus, quod, exposito SSmo Sacramento in altari majori ecclesiae cathedralis, occurrat, praeter primam Missam de festo, altera conventualis de vigilia, sive de feria decantanda in eodem altari; quae quidem juxta praescriptum Rubricarum celebrari debet in paramentis violaceis, cantuque feriali et sine musica; cujus moestitia obsistere videtur pretioso festivoque decoramini in *Caeremoniali episcoporum* pro altari expositionis praescripto; proindeque dubitatur utrum servandus sit usus canendi praedictam Missam ferialem in altari majori ubi expositum patet SSmum Sacramentum. Et quatenus negative, utrum eadem de causa prohiberi debeat SSmum Sacramentum patenter exponere in quadragesima et adventu, quando Missa de tempore celebratur » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Attenta consuetudine immemoriali, tolerari posse. Ad 3um : In casu de quo agitur, ut in praecedenti. Ad 4um : Ad primam partem affirmative ; ad secundam provisum in prima ».

356. Variis S. R. C. decretis vetatur ne Missa celebretur in altari majori, dum in choro cantantur horae canonicae ; nec in altaribus quae sunt in conspectu chori, si commode fieri potest. Vide *Oscen.*, *2 Martii 1620* (n. 588). Praeterea in *Ord. Min. S. Francisci de Observantia*, *14 Maii 1856* (n. 5224), ad dubium : « 11° Utrum decretum prohibens celebrare Missam in altari majori dum recitatur officium in choro, intelligendum est tantum de altari circa quod chorus positus est, ut communiter sunt chori in ecclesiis Romae, vel etiam cum chorus situs est in extrema parte ecclesiae et in loco elevato et dissito ab altari majori, ut sunt in ecclesiis Hispaniae et Americae » ; S. C. repo-

suit : « Ad 11um : Servanda esse decreta ». Et in *Gnesnen. et Posnanien., 20 Dec. 1878* (n. 5758), positis dubiis : « 1° Missam privatam in altari majori illo tempore quo in choro horae canonicae dicuntur, decreta S. R. C. celebrari prohibent : quaeritur an sub denominatione horarum canonicarum etiam officium defunctorum in casu intelligatur ; 2° Et quatenus affirmative, an haec prohibitio extendatur ad illas ecclesias, in quibus proprie dictus chorus non invenitur, sed diversi sacerdotes, occasione funerum congregati, officium defunctorum in communi recitant » ; S. C. : « utrique dubio rescribere censuit affirmative ». In *Senen., 5 Martii 1667* (n. 2397), contrariam praxim, quae corrigi non poterat, tolerat, sed addit sequentes limitationes : « Non esse genuflectendum, ne sacra quibus assistunt, per actum privatum interrumpantur ; sed ad evitandum scandalum quod in populo et adstantibus causari posset ob non genuflexionem, esse omittendam pulsationem campanulae in elevatione SSmi in dictis Missis privatis ».

357. Concilium Antissiodorense (an. 578) *can. 10* ita statuit : « Non licet super uno altario in una die duas Missas dicere (1) : nec in altario ubi episcopus Missas diverit, ut presbyter in illa die Missas dicat ». Proinde concilium favore episcopi hoc inducit privilegium, ut in altari ubi episcopus celebravit, alius sacerdos, eadem die, sine episcopi ejusdem licentia, celebrare non posset. Hoc autem doctores intelligunt de episcopo proprio in sua dioecesi celebranti ; et insuper addunt tacitam ejus licentiam, imo et praesumptam, sufficere (2). At haec prohibitio ne sacerdotes, sine episcopi licentia, eadem die celebrent in altari ubi episcopus celebravit, numquam fuit generalis et obligatoria pro tota Ecclesia Latina, cum a concilio particulari lata esset ; insuper hodie contraria consuetudine sublata est.

358. At generalis est et adhuc viget prohibitio ne quilibet alius celebret in altari in quo Romanus Pontifex cele-

(1) Nempe ab eodem sacerdote, ut recte interpretatur Martene, *De ant. Eccl. rit., lib. I, cap. III, art. VI, n. 12* ; et Mabillonius, *Dissert. de altaribus*.

(2) Gavanti, *part. I, tit. XX, p. 117*.

bravit, sine ejusdem Pontificis licentia. Benedictus XIV id saepius docet, e. g., in epist. *In postremo*, *20 Oct. 1756*; et in epist. *Dilectus*, *15 Jan. 1745*, ad Regem Portugalliae. Hinc super pontificia altaria, intra patriarchales Urbis basilicas existentia, nemo potest Missam celebrare, nisi ipsi fuerit a Romano Pontifice per apostolicum Breve concessum. In ultima citata epistola Benedictus XIV Regi et Reginae Portugalliae eorumque successoribus largitur potestatem concedendi hanc licentiam absque ullis limitationibus.

CAPUT IV

DE SACERDOTE MISSAM CELEBRANTE

SECTIO I

De persona sacerdotis.

Articulus I

Quinam Missam celebrare possit.

359. Prima aetate Montanistae aliique vel ipsis mulieribus potestatem consecrandi seu offerendi eucharisticum sacrificium contulerunt; Waldenses omnibus et solis viris: Lutherus omnibus baptizatis, licet admittat ad vitandam confusionem neminem hac potestate uti debere extra necessitatem vel delegationem, et licet sacrificium eucharisticum essentialiter deturpet. Contra hos omnes fides catholica est hanc potestatem ordinatione presbyteratus transmitti. Num vero consecratio episcopalis, sine praevio presbyteratu, valida sit, utpote eminenter continens potestates presbyterales, quaestio gravis est inter doctores, de qua fuse loquuti sumus in nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione*, *n. 22 sequ.* et in ephemeride *Le Canoniste contemporain*, *Février 1895*. Consequenter ex fide catholica ille tantum habet potestatem consecrandi, seu ille tantum est sacerdos sacrificii eucharistici, qui ordinationem presbyteralem validam recepit, idest episcopus et presbyter, et, juxta probabilem sententiam, qui, servatis servandis, recepit consecrationem episcopalem etiam sine praevia quacumque alia ordinatione et nominatim sine praevia ordinatione presbyteratus. Proinde verbum *sacerdos* latius patet quam verbum *presbyter*, cum, ad instar generis, comprehendat omnes potestatem sacrificam habentes, idest episcopos et presby-

teros, uti nos diximus in cit. nostro *Tractatu, n. 21*. De his fusius theologi.

360. Attenta rei natura, nil impedit, quominus plures sacerdotes una simul sacrificium eucharisticum offerant seu *concelebrent*, eamdem hostiam idemque vinum consecrantes. Imo de facto communis olim fuit Occidentali aeque ac Orientali Ecclesiae ritus, ut presbyteri una simul cum episcopo Missam celebrarent; cujus disciplinae documenta congesta fuerunt a Christiano Lupo, *Append. ad synodum Chalcedonen., tom. I, ad Concilia generalia et provincialia, primae editionis, pag. 994*, et a Georgio, *Liturgia Pontificia, tom. II, pag. 1, segu.*, et *tom. III, pag. 1, segu.* Concelebrandi ritus nunc temporis in Occidentali Ecclesia obsolevit, praeterquam in ordinatione sacerdotum quam peragit episcopus et in consecratione episcoporum quae ab episcopo cum duobus aliis episcopis assistentibus perficitur. Sed in Orientali Ecclesia viguit vigetque adhuc frequentior usus concelebrationis presbyterorum cum episcopo aut cum alio sacerdote qui primi celebrantis personam sustinet: quae consuetudo non solum a Sede Apostolica approbatur, sed etiam custodiri praecipitur. Ita Benedictus XIV in const. *Allatae, 26 Julii 1755*, § *38*, et in const. *Demandatam, 14 Dec. 1753*, § *9*. In hac autem concelebratione Christus D. fit praesens ad verba cujusque sacerdotis, qui deinde de speciebus consecratis participat; non est igitur unum sacrificium quod ab omnibus una simul offertur, sed tot sunt sacrificia, quot sacerdotes consecrantes. Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XVI, n. 10*, pro hac doctrina citat De Lugo, P. Suarez et P. la Croix, eamdemque appellat communem S. Alphonsus, *VI, n. 232*. Exinde non subscribimus opinioni Card. Bona, qui, *Rer. Liturg., lib. I, cap. XVIII*, § *IX*, suspicatur disciplinam concelebrationis in Occidentali Ecclesia desiisse, cum, late diffusis Ordinibus Mendicantium « multiplicata sunt onera Missarum, atque ideo necesse fuit singulos sacerdotes, ut iis satisfacerent, singulis diebus privatim celebrare ». Hanc rationem nullius ponderis esse, patet ex dictis; et Occidentalis Ecclesia jam antea hanc disciplinam desrere coeperat.

De hac concelebratione vide etiam quae diximus in cit. nostro *Tractatu*, *n. 1066 sequ.*

361. Ex dictis sequitur illum qui sciens se laicum esse, aut constitutum in gradu clericali infra presbyteratum, audet Missam celebrare, enorme facinus committere, gravibus poenis plectendum. Nam, ut ait Benedictus XIV in const. *Sacerdos in aeternum*, *XII Kal. Maii 1744* : « Si juxta legem Moysi accedentes ad sanctuarium illud manufactum, aut thuribulum aureum ab hominibus effictum manu arripientes, praeter eos qui ex designata tribu et familia originem ducerent, sine ulla miseratione morti deputabantur, quanto magis putandum est deteriora supplicia mereri eos qui, profani cum sint, adeo praestantiori Novae Legis ministerio se ingerere, atque oblationem et dispensationem mysteriorum Dei sibi arrogare praesumpserint, quum praesertim, ea nulliter et irrite celebrantes, puram ipsam panis et vini substantiam publicis adorationis actibus atque receptis latriae protestationibus impie prosequantur, et, quantum in ipsis est, in idem idololatriae crimen fideles populos, licet ignorantes, inducant ». Hoc facinus una simul includit crimen sacrilegii, falsi et idololatriae, et insuper suspicionem haeresis secumfert ; illudque persecuti sunt Paulus IV, Sixtus V, Clemens VIII, Urbanus VIII et Benedictus XIV, poenas statuentes. Nimirum Paulus IV, Sixtus V et Clemens VIII statuerunt non sacerdotes Missam celebrantes et sacramentum poenitentiae ministrantes, praevia degradatione, si sunt clerici, a judicibus Inquisitionis tradi debere brachio saeculari, poena capitali plectendos ; Urbanus VIII addit brachio saeculari tradendos esse, etsi minores XXV annis, dummodo majores XXI ; tandem Benedictus XIV in cit. const. *Sacerdos in aeternum*, et in const. *Divinarum*, *IV Non. Aug. 1757*, praedecessorum suorum statuta confirmans, varia alia reorum effugia praecludit. Haec autem in praesenti rerum statu applicari non possunt : unde hodie tanti facinoris rei poenis aliis, qua fieri potest gravioribus, plectendi forent tum a judice ecclesiastico tum a judice laico ; insuper clerici efficiuntur certe irregulares, sed laicorum irregula-

ritas certa non est (1). Etiam consecratus in episcopum sine praevio presbyteratu Missam celebrare et confessiones audire sine gravi piaculo non potest, quia haec divina officia, ob contrariae sententiae probabilitatem, periculo nullitatis exponit, et, admissa etiam validitate consecrationis episcopalis, ordinem per saltum receptum exercet; at illius irregularitas foret dubia (2).

362. Ad praecavendum ne Missa celebretur a non sacerdote vel a sacerdote indigno qui aliquo impedimento ab altari removetur, sacri canones plura servanda statuerunt in admissione *clericorum peregrinorum*, idest clericorum extra proprium locum vagantium, ad Missae celebrationem. Eae sacrorum canonum dispositiones modo a nobis exponendae sunt (3).

363. Synodus Chalcedonensis (an. 451) in *can. 13* qui refertur in *can. 7*, *dist. 71*, in Decreto, statuit: « Extraneo clerico et lectori extra civitatem suam sine commendatitiis litteris proprii episcopi nusquam penitus liceat ministrare ». Haec regula deinceps semper servata fuit; eamdemque innovavit Conc. Trid., *sess. XXIII*, *cap. XVI*, his verbis: « Nullus clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris a nullo episcopo ad divina celebranda et sacramenta administranda admittatur ». Hae litterae *commendatitiae* appellantur, quia iisdem Ordinarius testatur de legitima ordinatione, de carentia cujuslibet censurae et irregularitatis, de bonis moribus ipsius clerici, eumque alieno episcopo *commendat*; sed vulgo has litteras dicere solemus *celebret*.

364. In *cap. 1*, *De clericis peregrinis*, episcopus Cenomanensis expostulavit ab Alexandro III: « Quid sit agendum de clericis qui in remotis regionibus ordinati, litteras eorum ostendunt, a quibus sibi proponunt manus impositas, et utrum episcoporum sigilla sint quae repraesentant, incertum existit ». Alexander III respondet transmarinos et alios

(1) Vide nostrum *Tractatum canonicum de sacra ordinatione, n. 334.*
(2) Cit. nostro *Tractatu, n. 349.*
(3) Vide canonistas in titulo *De clericis peregrinis*, *XXII*, *lib. I Decret.*

incognitos debere ordinationem suam probare per quinque episcoporum sigilla. Sed haec decretalis correcta est tum ab Innocentio III in *cap. 3, cit. tit.*, de quo mox, tum a Conc. Trid. in relatis verbis, ubi exiguntur simplices litterae commendatitiae episcopi, nulla facta mentione de quinque episcoporum sigillis. Quod si ex una parte neque scriptura neque sigillum Ordinarii notum est, et ex alia in casu extraordinario aliqua fraudis suspicio adsit, nullam rationem habendam esse litterarum exhibitarum et facultatem celebrandi esse denegandam, evidens est.

365. E contrario in *cap. 3, cit. tit.*, patriarcha Hierosolymitanus Innocentio III proposuit dubium, utrum clericis qui ad partes Hierosolymitanas sine commendatitiis litteris veniebant, permittere deberet celebrare divina. Innocentius III respondet: « Nisi legitime tibi constiterit sive per litteras sive per testes de illorum ordinatione canonica, qui penitus sunt ignoti, non debes ipsos permittere in tuis plebibus celebrare. Sed si forsan eorum aliqui secreto ex devotione celebrare voluerint, poteris sustinere ». Hinc etiam Glossa in *cap. 1, cit. tit., v. In suspensione*, ait: « Si tamquam viatores vellent celebrare secreto, permittendi sunt ». Ratio hujus exceptionis facile intelligitur, quia si quis petit celebrare secreto et ex devotione, idest sine Missae eleemosyna, jam argumentum est ipsum esse revera ordinatum et nullo impedimento detineri. Sed haec exceptio quae non erat, imo excludebatur in canone Chalcedonensi, rursus suppressa est a Conc. Trid. relatis verbis, quae illimitata sunt, ita ut hodie, sicuti antiquitus, regula generalis sit, clericos extraneos, seu peregrinos et vagos, sine litteris commendatitiis proprii Ordinarii, non esse admittendos ad Missae celebrationem sive publicam, sive privatam seu secretam, sive cum stipendio, sive absque stipendio.

366. Haec autem regula non comprehendit clericos extraneos quidem, sed notos in loco ubi Missam celebrare desiderant, ita ut jure communi ii clerici, etiam sine litteris commendatitiis proprii Ordinarii, admitti possint ad altaris ministerium (1). Sane in Graecis exemplaribus cano-

(1) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XXXIV, n. 4.*

nis Chalcedonensis non legitur verbum *lectori*, sed loco ipsius habetur verbum *ignoto*; quo posito, patet prohibitionem afficere clericos extraneos ignotos. Pariter Conc. Trid. *sess. XXII*, in decreto *De observandis et vitandis in Missae celebratione*, statuit: « Deinde ut irreverentia vitetur, singuli (episcopi) in suis dioecesibus interdicant ne cui *vago et ignoto* sacerdoti Missas celebrare liceat ». Hoc postea melius determinavit in cit. *cap. XVI*, *sess. XXIII*, ubi proinde *clericus peregrinus* significare videtur clericum vagum et ignotum, de quo in relatis decreti verbis. Concinit etiam supra relatum (*n. 365*) *cap. 3*, *De clericis peregrinis*; et instructio S. C. EE. et RR. diei *12 Oct. 1709*, quam refert De Albertis, *De sacris utensilibus*, *cap. XVI*, § *2*, *n. 134*, quaque prohibentur, absque litteris commendatitiis proprii Ordinarii, celebrare *personae exterae non cognitae*. Ratio est, quia si clericus extraneus est notus ubi Missam celebrare desiderat, ratio seu finis legis deficit, et ideo nil mirum si canones hunc clericum non comprehenderunt. Imo putamus nec comprehendi sub regula juris communis clericos extraneos notos non immediate, sed mediate per tertiam personam fide dignam. At necesse est ut noti sint formaliter idonei ad celebrandum, nempe ut notum sit quod fuerint legitime ordinati et quod probabile non sit aliquo impedimento a Missarum solemniis arceri. Praeterea Conc. Trid. citatum decretum *De observandis*, etc., ita concludit: « Haec igitur omnia quae summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quaecumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi, pro data sibi a sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut delegati Sedis Apostolicae, prohibeant, mandent, corrigant, statuant atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis aliisque poenis quae illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque ». Proinde episcopus, si ad vitandos abusus id opportunum judicaverit, potest profecto pro sua dioecesi prohibitionem adeo generalem ferre, ut comprehendat omnes clericos extraneos etiam notos; qui tunc admitti non

possent ad Missae celebrationem sine litteris commendatitiis proprii Ordinarii. Neque obstat in casu finem legis deficere; nam lex obligat, etsi in casu particulari ratio legis non urgeat.

367. Praeterea regula juris communis afficit clericos ignotos extraneos dioecesi, uti consideranti verba Conc. Trid. (*n. 363*) facile patet; et eodem sensu accipienda sunt verba canonis Chalcedonensis: *Extra civitatem suam*. Proinde jure communi clerici ignoti dioecesani, vagantes extra proprium locum in dioecesi, admitti possunt ad Missae celebrationem, etiam sine litteris commendatitiis proprii Ordinarii. At vi potestatis illimitatae a Conc. Trid. mox relatis verbis episcopo concessae, episcopus, praesertim magnae dioecesis, potest utique constituere aliquas normas etiam pro clericis dioecesanis; e. g., ut non admittantur ad Missae celebrationem sine litteris commendatitiis parochi, aut non admittantur sine litteris commendatitiis Ordinarii ultra certos limites, etc. Praeterea antequam admittatur clericus qui petit licentiam celebrandi, affirmans se esse e dioecesi, suam affirmationem, attento ipso jure communi, probare coram Ordinario debet.

368. Litterae commendatitiae saepe dari solent ad tempus determinatum, e. g., ad duos menses, ad semestre, etc.; quo transacto, viribus carent, et sacerdos habendus est, veluti carens litteris commendatitiis. Ratio est, quia exinde patet sacerdotem non obtinuisse a proprio Ordinario discedendi licentiam, nisi ad illud determinatum tempus, quo transacto, absens e dioecesi, peccat saltem in foro externo, et ideo indignus est eucharisticum sacrificium offerre. Hinc episcopi alieni nequeunt, non obstante transacto tempore, litteras commendatitias ratas habere et sacerdotem admittere ad Missae celebrationem, tum quia absurdum est ratas habere litteras quae amplius non sunt, tum quia in casu constat in foro externo de impedimento pro Missae celebratione. Si autem quaeratur utrum episcopus possit hujusmodi litteras commendatitias clerico peregrinaturo denegare, respondemus id non posse nisi discessum sacerdotis e sua dioecesi ad normam sacrorum canonum

impedire queat, de qua re nos in praesenti agere non debemus ; aut sacerdos aliquo impedimento a Missae celebratione removeatur (1).

369. Quum vero jus commune exigat commendatitias Ordinarii litteras, certe, loco litterarum, sufficeret orale Ordinarii testimonium ; sed ordinarie loquendo, non sufficerent testes aliaeque probationes de recepta ordinatione, e. g., juramentum, aut etiam recepti presbyteratus authenticum documentum ; ac proinde etiam in hac parte *cap. 3, De clericis peregrinis*, indiscriminatim litteras aut testes admittens, correctum est a Trid. Conc. Ratio est, quia non solum constare debet de ordinatione recepta, sed etiam de absentia cujuslibet impedimenti. Diximus tamen *ordinarie loquendo* ; quid enim si sacerdos affirmet se litteras commendatitias casu aliquo probabili amisisse, e. g., naufragio, bello, etc. ; aut ex aliqua extrinseca probabili causa eas habere nequivisse ? His in casibus doctores conveniunt sufficere testium fide dignorum depositionem ; et in eorum defectu bonam famam sacerdotis et etiam juramentum eidem ab episcopo delatum (2), praesertim si ad loca sancta vel ad aliquod celebre sanctuarium accesserit, et petat celebrare secreto et absque eleemosyna. Obstare videtur *cap. 2, De clericis peregrinis*, ubi Innocentius III, respondens Constantinopolitano patriarchae, non admittit juramentum de recepta ordinatione. Sed animadverti potest ibi agi de clerico recipiendo in dioecesi et de ulteriori ejusdem ordinatione, potius quam de Missa celebranda, et insuper juramentum sponte offerebatur. Depositio autem testium aut juramentum in casibus citatis recipi debent ab episcopo, non ab ecclesiarum rectore.

370. Igitur ex jure communi sacerdos ignotus et extraneus dioecesi, si petit Missam in aliqua ecclesia celebrare, debet exhibere rectori ecclesiae commendatitias proprii Ordinarii litteras. In pluribus dioecesibus statutum est ut

(1) Schmalz., *lib. III Decret., tit. XXII, n. 2* ; Barbosa, *De offic. et pot. episcopi, Alleg., XXI, n. 5.*

(2) Schmalz., *l. c., n. 3* ; Reiff., *n. 5 sequ.* ; Engel, *n. 2* ; cum Glossa in *cap. 2 cit. tit., v. per argumenta hic.*

rector ecclesiae possit has litteras sufficientes habere per aliquot dies, e. g., per duos vel tres dies ; sed deinceps eas rejicere debeat, nisi fuerint recognitae sive ab Ordinario, si agitur de civitate episcopali, sive ab alio quem Ordinarius designavit, e. g., a parocho, vel a vicario foraneo, si agitur de aliis dioecesis locis, praesertim a civitate episcopali dissitis. Eae constitutiones dioecesanae sedulo servandae sunt.

371. Neque in canone Chalcedonensi, neque in Conc. Trid. sanctio aliqua poenalis legitur. Hinc sacerdos, Missam celebrans sine litteris commendatitiis, aliique qui eum admittunt, nullam poenam latae sententiae contrahunt. At episcopum lege particulari pro sua dioecesi poenam latae sententiae addere posse, non est dubium. Qui vero permittunt extraneum sacerdotem ignotum eucharisticum sacrificium offerre absque litteris commendatitiis, peccant per se graviter ; quod, ni fallimur, verum non est de sacerdote celebrante, quia haec lex directe afficit admittentes, ita ut sacerdos extraneus ignotus sine litteris commendatitiis licentiam celebrandi in aliqua ecclesia petens et obtinens et de facto celebrans, non videatur peccare, saltem graviter. Confirmatur quia sacerdotes etiam pii et docti id sine scrupulo facere solent. Quod si sacerdos habet litteras commendatitias sui Ordinarii, et rector ecclesiae, his litteris minime requisitis, ipsum admittit ad Missae celebrationem, a fortiori putamus sacerdotem Missam celebrantem ab omni peccato immunem esse.

372. Porro omnia ea quae huc usque diximus applicantur etiam regularibus ; verba enim Conc. Trid. generalia sunt, et praeterea SS. CC. non semel id declaraverunt. In primis saecularium ecclesiarum rectores admittere non debent sacerdotes regulares ad Missae celebrationem sine litteris commendatitiis. Nam S. C. S. Officii litteris encyclicis diei *29 Februarii 1649* et diei *26 Januarii 1692*, admonet episcopos, vicarios generales et foraneos, ne facultatem celebrandi presbyteris advenis concedant sive saecularibus sive regularibus « nisi litteras *episcopi ac praefecti regularis* prius ostendant, quibus sacerdotes ita probentur, ut

nulla falsitatis umbra vel suspicio relinquatur » (1). Pariter regulares in propriis ecclesiis admittere nequeunt advenas sacerdotes sive regulares sive saeculares litteris commendatitiis requisitis carentes, uti reposuit eadem S. C. S. Officii die *29 Maii 1649* ; et S. C. C. in *Bononien.*, *2 Julii 1620*, in *Neapolitana*, *17 Aug. 1630*, et in *Limana*, *26 Jan. 1633*. Nonnulli auctores excipiunt religiosos proprii instituti regularis, uti De Albertis, *op. cit.*, *cap. XVI*, § *2*, *n. 133*, dummodo constet reipsa ad proprium regulare institutum pertinere ; sed etiam hoc in casu constare ulterius debet de absentia cujuslibet impedimenti. Imo episcopus exigere potest etiam pro regularium ecclesiis, ut sacerdos extraneus, litteras commendatitias habens, non permittatur Missam celebrare, nisi prius ipsemet episcopus has litteras examinaverit et probaverit. Sane proposito dubio : « An episcopus loci ordinarius prohibere possit, ne regulares in eorum ecclesiis sacerdotes saeculares exteros divina officia celebrare permittant, nisi prius ab ipso episcopo, visis litteris commendatitiis, ipsi sacerdotes approbati fuerint » ; S. C. C. die *7 Nov. 1594*, reposuit : « Posse ». Et id episcopum exigere posse etiam sub poena censurarum, docet Benedictus XIV, *De Syn.*, *lib. III*, *cap. XV*, *n. 5*, afferens declarationes S. C. C. Tandem regulares tenentur legibus hac de re latis ab episcopo, nisi excepti fuerint. Ratio horum omnium desumi debet ex verbis Conc. Trid. relatis *n. 363* in fine, quae amplam ac indefinitam potestatem episcopo in hac materia tribuunt.

373. Ut huic articulo finem imponamus, quaerimus utrum episcopus possit, necne, recusare permissionem celebrandi in sua ecclesia vel in sua dioecesi sacerdoti extraneo ignoto vel noto qui legitimas habet proprii Ordinarii litteras commendatitias. Respondemus episcopum id per se non posse ; nam sacerdos dispositus et nullo impedimento detentus, ex sua ordinatione habet jus ad Missae celebrationem, quam Ecclesia jubet aut suadet, proinde episcopus eamdem impedire non debet ; episcopus enim non potest

(1) Scilicet sæculares episcopi, regulares præfecti regularis litteras commendatitias exhibere debent. Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XXXIV*, *n. 4*.

sine rationabili causa impedire cultum divinum. Diximus autem *per se*, quia per accidens id episcopus posset; e. g., si episcopus scit fideles suae dioecesis scandalum passuros esse, illo sacerdote celebrante. Haec autem adamussim applicari non possunt parocho aut rectori ecclesiae; nam hic nullo jure tenetur praebere sacerdotibus extraneis necessaria pro Missae celebratione, imo episcopus ipse suadere potest ut praebeat, sed non cogere, uti videbimus in *cap. V*, ubi agemus de sacris utensilibus. At parochus aut rector ecclesiae, nisi graves habeat in contrarium rationes, negans sacerdoti extraneo sacra utensilia, reprehensione profecto dignus foret, cum divinum cultum minuat; et si sacerdos extraneus raro ex devotione vel ex alia causa petit celebrare, putamus parochum vel rectorem ecclesiae cogi etiam posse ab episcopo (1); utrum autem possit taxam utensilium exigere, dicemus in cit. *cap. V*.

Articulus II

Quoties sacerdos Missam celebrare possit aut debeat.

§ 1. — *Quoties possit.*

374. Profecto sacerdos per se potest Missam celebrare qualibet die non impedita. Potius hic agendum de multiplici celebratione eadem die seu de *binatione*, uti aiunt. Videbimus in primis utrum et quando licitum sit pluries eadem die sacrificium eucharisticum offerre; deinde modum in hac binatione servandum exponemus (2).

375. I. Regula generalis est sacerdotem non posse nisi unam tantum Missam in die celebrare. Hanc regulam non semper receptam fuisse, tradit Thomassinus, *De veteri et nova Ecclesiae disciplina*, *p. III*, *lib. I*, *cap. LXXII*,

(1) Giraldi ad Barbosam, *De parocho*, *p. I*, *cap. XI*, *n. 53*.

(2) Hac in re prae oculis habenda est Benedicti XIV const. *Declarasti*, *16 Mart. 1745*, quae prostat in Allegato I; et Instructio S. C. de Prop. Fide, *24 Maii 1870*, numeris omnibus absoluta, apud Collectaneam ejusdem S. C., *n. 792*.

n. 6. At cum sacerdotes, saepe labe simoniaca impuri, plures Missas in die celebrarent turpis lucri gratia, ideo prohibitio plura sacrificia eodem die ab eodem sacerdote offerendi lata fuit. In *can. 53, dist. 1*, in Decreto, qui est Alexandri II, haec prohibitio nondum est absoluta ; legitur enim : « Sufficit sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est et totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, et valde felix est qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, et alteram de die, si necesse fuerit. Qui vero pro pecuniis aut adulationibus saecularium una die praesumunt plures facere Missas, non aestimo evadere damnationem ». Quibus verbis videtur Alexander II non improbare sacerdotem qui uno die celebraret unam Missam pro defunctis et aliam de die, sed solum cavere ne sordidae utilitatis sive adulationis gratia sacrificium iteretur. Quidquid de hoc sit, haec prohibitio est absoluta in *cap. 3, De celebratione Missarum*, ubi Innocentius III, rescribens ad episcopum Vigorniensem, statuit : « Excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare ». Ubi illud *sufficit* importat praeceptum prohibitivum, uti recte ratiocinatur Benedictus XIV, *l. c.*, § *Igitur et sequ.* Errat igitur Glossa, *l. c.*, *v. necessitatis*, ubi haec habet : « Nec expresse prohibetur quin plures possint celebrari ex eo quod dicit *sufficit* : unde potest unam celebrare de die et aliam pro defunctis ». Rursus haec eadem absoluta prohibitio, iisdem fere verbis concepta, continetur in *cap. 12 ejusd. tit.*, quod est Honorii III.

376. Ab hac autem generali regula sunt sèquentes exceptiones :

1° In die Nativitatis Domini omnes sacerdotes possunt tres Missas celebrare. Attamen non tenentur, ita ut sicuti fideles obligantur uni tantum Missae assistere, ita sacerdos possit vel tres, vel duas, vel unam tantum Missam celebrare. S. R. C. in *Lucerina, 19 Junii 1875* (n. 5610), ad dubium : « Utrum sacerdos possit duas tantum Missas celebrare in die Nativitatis D. N. J. C.... » ; reposuit : « Affir-

mative, seu sacerdotem posse pro suo lubitu in die Nativitatis Domini duas tantum Missas celebrare ». At parochum qui tres Missas hac die celebrare negligeret, non facile ab omni culpa excusari posse propter scandalum, notat Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. IX, n. 9.* Quod si sacerdos unam tantum vel duas Missas celebrat, celebrare debet « Missam quae respondeat circiter horae juxta rubricas peculiares ejusdem diei » ; uti rescripsit S. R. C. in *Ordinis Carthusianorum, 19 Junii 1875* (n. 5609). Hanc responsionem eadem S. C. in *Calaguritana et Calceaten., Varia dubia, 13 Febr. 1892, ad 2um*, confirmavit et declaravit his verbis : « Servandum decretum diei *19 Junii 1875*, idest sacerdotem qui unam tantum Missam celebrat, legat Missam respondentem circiter horae diei, nimirum primam Missam, si in media nocte ; secundam, si in aurora ; tertiam, si post auroram celebrat ». Proinde sacerdos si unam tantum Missam celebrat, debet illam seligere quae magis accedit horae qua celebrat ; item si duas tantum ; et nunquam potest eamdem pluries celebrare, etsi ratione infirmitatis a S. Sede indultum obtinuerit celebrandi Missam votivam B. M. V., ut censuit S. R. C. in *Nolana, 28 Apr. 1866, ad 6um* (n. 5364). De Missa vero mediae noctis vide *n. 111*. In *Angelopolitana, 20 Julii 1866* (n. 3120), ad dubium : « 9° In Natali Domini in tribus Missis, quaeritur an post sumptionem sanguinis eundo et redeundo ad medium altaris, sit facienda genuflexio, et vertendo se celebrans ad *Dominus vobiscum*, vel ad dandam benedictionem, num debeat renes vertere ad altare, cum, ut creditur, species vini non sint desiccatae in calice. Quid ergo fieri debet » ; S. C. reposuit : « Ad 9um : Serventur Rubricae Missalis Romani, *De ritu servando in celebratione Missae*, § *XI* et *XII*, *n. 2* ». Ceterum de harum trium Missarum applicatione, vide *n. 395* ; et de ablutionibus in prima et altera Missa non sumendis, *n. 403 sequ.* In cathedralibus autem et collegiatis debent tres Missae conventuales celebrari, et quidem hora a rubrica statuta, non obstante quacumque consuetudine vel incommodo, et prima Missa post matutinum ante laudes : sola S. Sedes

potest hac in re dispensare et aliquando juxta circumstantias dispensat. Vide *Tiburtin., 27 Mart. 1824, ad I^um* (n. 4603), *Gerunden., 3 Apr. 1830* (n. 4656), et *Atrien., 19 Maii 1838* (n. 4829).

Hic mos tres Missas celebrandi in die Nativitatis Domini est antiquissimus ; de eo enim mentionem facit non solum Innocentius III in cit. *cap. 3, De celebratione Missarum*, sed et S. Gregorius M. in *homilia 8* in evangelium S. Lucae, *cap. 11*, quam legimus in die Nativitatis Domini : « Quia, largiente Domino, Missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus, etc. ». Sed hoc privilegium competit tantum sacerdotibus Latini ritus ; uti tradit Benedictus XIV in epist. *In supremo, 20 Dec. 1755*.

377. 2° In Hispania ac Lusitania omnes sacerdotes tam regulares quam saeculares possunt in die commemorationis omnium defunctorum tres Missas celebrare etiam duabus horis post meridiem ex concessione eisdem facta a Benedicto XIV per const. *Quod expensis, 27 Aug. 1748*. Hoc privilegium valet pro omnibus locis quae tunc temporis erant sub ditione regni Hispaniae vel Lusitaniae, licet hodie sint independentia. Sacerdotes qui hoc privilegio gaudent et utuntur, debent primam Missam celebrare ut in die commemorationis omnium fidelium defunctorum ; secundam ut in anniversario, omissis in orationibus verbis : *Quorum anniversarium... commemoramus*, vel *quorum hodie annua dies agitur* ; tertiam ut in Missis quotidianis cum oratione : *Deus veniae largitor*. At in *Lusitana, 20 Dec. 1783* (n. 4414), ad dubium : « 2° Inquiritur qualis in die commemorationis omnium defunctorum, cum pro uno tantum Missa applicatur, dici debeat, nimirum si prima propria dici, aut vero Missa communis sub ritu semiduplici » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Cum Lusitani gaudeant privilegio tres Missas celebrandi in die commemorationis defunctorum, qualemcumque trium a Benedicto XIV ipsis praescriptarum possunt dicere, licet pro uno tantum Missa applicetur ». Et in cit. *Calagurritana et Calceaten.*, ad dubium : « 28° Cum ex indulto Benedicti XIV, sacerdotes in Hispania et Lusitania celebrare possint tres Missas in die commemorationis

omnium fidelium defunctorum..., quamnam ex tribus Missis designatis in Indulto, nimirum prima Missa, ut in die, secunda ut in anniversario, tertia ut in quotidianis, dicere debeat in Hispania et Lusitania sacerdos, qui unam celebrare voluerit in die commemorationis defunctorum, sive applicet pro uno, sive non? Et quatenus duas celebrare voluerit, quasnam e tribus eligere tenetur » ; S. C. reposuit : « Ad 28um : Quoad primam Missam, ut in die commemorationis ; quoad secundam, ad libitum ». Citra autem privilegium, celebrare tres Missas in die commemorationis omnium defunctorum, est abusus ab episcopo eliminandus, etiam quoad regulares, sub poenis interdicti aliisque canonicis remediis, uti rescripsit eadem S. C. in *Arboren.*, *11 Jan. 1676* et *26 Nov. 1678* (n. 2866).

378. 3° In casu necessitatis de quo Innocentius III in cit. *cap. 3, De celebratione Missarum*, ibi : « Nisi causa necessitatis suadeat ». Vicariis apostolicis dari solet ad quindennium facultas, cum potestate subdelegandi : « Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem... Caveat ergo ne praedicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die, aliter quam ex gravissimis causis et rarissime utatur ; in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti, juxta potestatem inferius apponendam, communicare, aut causas ea utendi alicui qui a S. Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae injungitur ut paucis duntaxat iisque maturioris prudentiae et zeli et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet, aut respective causas approbet ». His facultatibus S. Sedem voluisse in favorem locorum missionum aliquid addere juri communi, evidens est ; secus facultates forent inutiles, ipso jure communi disponente, saltem in locis missionum in quibus parochiae sunt canonicae erectae (1). Necesse est ut in hoc tertio necessitatis casu fusius insistamus.

(1) Citata Instructio S. C. de Prop. Fide, *n. 11*.

379. In primis vi facultatum a S. Sede vicariis apostolicis concessarum nunquam licet, non obstante quacumque necessitate, tres Missas celebrare, cum detur facultas *celebrandi bis in die*. In cit. Instructione S. C. de Prop. Fide, *n. 3*, id ulterius probatur sequentibus declarationibus : « Postulavit olim Praefectus Missionis Capuccinorum Tuneti an uno eodemque die, si necessitas urgeat, plures quam duas Missas celebrare potuisset, propterea quod omnes ejus missionarii in carceres conjecti erant. Atque S. C. Generalis Fidei Propagandae proposita, die *7 Aug. 1684*, respondit : *Non posse vigore facultatum celebrare ultra duas Missas*. Quod jampridem responsum fuerat in generali Congregatione habita eorum SSmo die *17 Febr. 1648* ; namque, exposito abusu qui invaluerat inter sacerdotes captivitate detentos in Algeria celebrandi tres Missas, SSmus *jussit per dictum Praefectum* (Algeriae) *praecipi nomine Sanctitatis Suae sacerdotibus... quod cum Sedes Apostolica in facultatibus missionariorum potestatem seu licentiam concesserit celebrandi bis in die, ubi necessitas id exegerit, ne deinceps ultra duas Missas celebrent. Idem fuit repetitum annis 1818 et 1820 Praefecto Apostolico Tuneti* ». Quod si vi facultatum a S. Sede concessarum nunquam licet ter celebrare, multo minus licebit vi juris communis (*n. praec.*). Hanc doctrinam firmavit S. C. C. in *S. Josephi de Costarica, Postulatum circa facultatem binandi, 6 Maii 1893*, ubi *quocumque in casu* excludit ut idem sacerdos tertiam in die Missam celebret. Accedit praxis in dioecesibus recepta, qua parochus, regens duas parochias, praeter suam, celebrat in sua et insuper in una tantum ex duabus aliis per turnum. Proinde non admittimus sententiam redactoris *Actorum S. Sedis, vol. VI, pag. 568*, putantis posse ipso jure communi etiam tres vel quatuor Missas celebrari, si idem parochus praeest tribus vel quatuor parochiis, aut si templum est adeo angustum, ut omnem populum nonnisi tribus vel quatuor repetitis vicibus continere possit. Necessarium est apostolicum indultum ut idem sacerdos ratione cujuscumque necessitatis tres Missas celebrare valeat. Hoc indultum

parochis ceterisque presbyteris Mexicanae dioecesis ubi hic usus jam vigebat, concessit S. C. C. die *20 Dec. 1879*, his verbis : « Pro gratia ad quinquennium, facto verbo cum SSmo, et ad mentem ». Mens autem, archiepiscopo patefacta, erat : « Ut ultra tertiam Missam nunquam nullaque de causa iterationem permittas ; nec non ut concessionis tempore durante, ea qua praestas prudentia ac solertia res componere satagas ad tramites disciplinae vigentis, qua scilicet plebis necessitati audiendi sacrum satis consulatur per binationem ». Cumque archiepiscopus renovationem indulti petiisset, et S. C. institisset ut res ad tramites juris communis componerentur, archiepiscopus graves admodum protulit rationes ; quibus perpensis, S. C. in *Mexicana, Super facultate Missam ter celebrandi, 28 Martii 1896*, reposuit : « Pro gratia ad quinquennium in forma et terminis rescripti *20 Dec. 1879*, facto verbo cum SSmo ».

380. Praeterea ex jure communi licentia binandi ab episcopo sacerdotibus concedenda est, qui numquam, sub praetextu cujuscumque necessitatis, possunt eamdem motu proprio sibi usurpare (1). Pariter relatae facultates a S. Sede conceduntur vicariis apostolicis, qui suis missionariis easdem subdelegare possunt. Solum in gravissimis rerum adjunctis Sedes Apostolica missionariis directe elargitur, necessitate interveniente, potestatem binandi ; imo etiam in hac directa concessione S. Sedes aliquando exigit ut causa necessitatis ab episcopo vel vicario apostolico probetur. Ad rem Benedictus XIV, *l. c.*, § *Tui* : « Certissimum illud est missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die sacrificium bis operentur ; reliquis vero sacerdotibus opus esse ut hac de re facultatem ab episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur, cujus sane judicium ad ipsos sacerdotes nequaquam pertinet ». Deinde laudatus Pontifex refert verba Verricelli, *De apostolicis missionibus, tit. IV, quaest. XIX, n. 202*, qui idem docet, concludens ita fuisse a Sacra Congregatione resolutum.

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. V, n. 2.*

381. Episcopus autem vi juris communis nec binare potest, nec binandi licentiam concedere, nisi in casu necessitatis, ita ut binandi potestas numquam sit privilegium personale, sed potius remedium pro necessitatis casu. Equidem Glossa in cit. *cap. 3, v. necessitatis*, haec habet : « Sed quam dicit necessitatem? Resp. : Si celebravit de die, et postea etiam moriatur aliquis, vel etiam causa honestatis vel utilitatis, ut si, dicta Missa de die, superveniat aliqua magna persona quae velit Missam audire ». Et deinde plures canonistae, auctoritate Glossae, admiserunt pro licita Missae iteratione sufficere etiam casum utilitatis non celebrantis, sed audientis, ut docet Benedictus XIV, *l. c.*, § *Et utilitas*. Sed Glossa et ii canonistae oppido falluntur. Nam ex jure communi tantum in casu necessitatis Missam iterare licet, ut patet ex verbis Innocentii III ; item ex facultatibus supra relatis quas vicarii apostolici a S. Sede obtinent. Nec consuetudo Missam iterandi praeter casum necessitatis sustineri potest, ut probat Benedictus XIV in cit. const. *Declarasti*, § *Parochi*. Unde jure merito cit. Instructio S. C. de Prop. Fide concludit, *n. 4* : « Necessitas ergo est unicus titulus ex quo facultas sacerdotibus fit duas dicendi Missas ». In determinanda hac necessitate est tota difficultas quae non raro episcopos ac vicarios apostolicos torquet. Praeter casus necessitatis, de quibus infra, requireretur indultum apostolicum, ut Missae iteratio licita esset ; quod tamen vix aut ne vix quidem conceditur. Vide *Venetiarum, Binationis, 28 Febr. 1891; Ortonen., Binationis, 29 Mart. 1890; Maceraten., Facultatis Missam binandi, 6 Maii 1893*, etc.

382. Sive attento jure communi, sive attentis facultatibus a S. Sede concessis vicariis apostolicis, haec necessitas non est desumenda ex parte inopiae celebrantis. Hinc numquam episcopus aut vicarius apostolicus poterunt binare ut duplex stipendium percipiant ; numquam poterunt binandi licentiam elargiri ut sacerdos, utcumque pauperrimus, cum duplici eleemosyna melius possit sustentari. Contraria praxis appellatur *abusus intolerabilis* a Benedicto XIV in const. *Apostolicum ministerium, 30 Maii 1753*, § *11*, eamque pluries reprobavit S. C. de Prop. Fide apud

cit. Instructionem, *n. 8*. Imo, ut infra dicemus, quando Missae celebratio iteratur, duplicem eleemosynam percipere vetitum est. In cit. const. *Declarasti*, § *Haec sunt et sequ.*, Benedictus XIV demonstrat parochos habentes alium sacerdotem pro alterius Missae celebratione, non posse binare ea ratione ne huic sacerdoti eleemosynam praebeant ; nam si pauperes non sunt, ipsi debent stipendium praebere ; si ipsi nequeunt, debet populus ; si et populus nequit, episcopus hanc eleemosynam providebit.

383. Igitur necessitas desumenda est ex parte populi, Videamus quandonam verificetur.

384. In primis numquam verificatur diebus in quibus populus non tenetur Missam audire, e. g., diebus festis suppressis : unde his diebus episcopus aut vicarius apostolicus nec possunt binare, nec binandi licentiam concedere sine speciali indulto Sedis Apostolicae. Aliquando hoc speciale indultum petitum est, sed Sedes Apostolica illud vel negavit vel concessit infra nonnullos limites. Ita episcopus Namurcensis exposuit S. R. C. fideles in sua dioecesi celebrare dies festos suppressos tanquam dies festos de praecepto, et ideo petebat indultum permittendi binationem. S. C. reposuit in *Namurcen.*, *11 Sept.1841* (n. 4932) : « Non expedire ». Item episcopus Argentinensis petiit a S. C. C. indultum permittendi binationem in die Circumcisionis Domini, qui, licet suppressus, in sua dioecesi a fidelibus colitur tanquam festus de praecepto. S. C. reposuit in *Argentinensi*, *17 Sept. 1859* : « Pro gratia ad quinquennium, facto verbo cum SSmo ». Alia exempla praetermittimus in quibus hoc indultum aliquibus dioecesibus pro nonnullis festis suppressis concessum est. Cit. Instructio S. C. de Prop. Fide, *n. 5*, refert responsum ejusdem S. C. datum *an. 1837* : « Re mature perpensa, ex ipsius formulae verbis satis clare patuit non posse facultates (vicariorum apostolicorum) ad abrogatas festivitates extendi. Cum enim in memorata formula declaretur facultatem valere, si necessitas urgeat, sequitur ex eo unico titulo quod dies illi festi olim fuerint, non posse Missam bis ab eodem sacerdote celebrari ». Ni fallimur, unica exceptio fieri debet pro feria V in coena Domini, qua,

licet non sit de praecepto, tamen fideles habent jus ad Missam audiendam et maximopere expedit ut Missam audiant, et ideo, verificato necessitatis casu, Missae iteratio permitti poterit, quod et Benedictus XIV, *l. c.*, § *Praeterea*, insinuare videtur. Doctores videant, num haec nostra opinio recta sit.

385. Pariter non verificatur necessitas, et ideo nec vicarius apostolicus, nec multo minus episcopus binare possunt aut permittere Missae iterationem in eorum commodum qui die festo vellent praecepto audiendi Missam satisfacere in suis stricto sensu privatis seu domesticis capellis. Cit. Instructio S. C. de Prop. Fide id probat, *n. 6*, his verbis : « Enarraverat *an. 1842* vicarius apostolicus Limburgensis consuetudinem in suo vicariatu inolitam permittendi Missae iterationem in castris magnatum : quum autem non putaret his in adjunctis eam necessitatem esse quae a formulis exigitur, petiit tum ratione consuetudinis tum moralis utilitatis quae inde proveniebat, ut sibi auctoritas fieret id permittendi. At S. C. Inquisitionis judicavit : *Juxta exposita non expedire*. Quumque subjunxisset vicarius apostolicus nonnullos sacerdotes ex praehabita facultate ab ejus praedecessore iterationem Missae prosequi, suprema S. C. decrevit *facultatem esse revocandam, quatenus vicarius apostolicus Limburgensis prudenter id fieri posse existimet* ». At episcopus permittere potest, si aliunde casus necessitatis verificatur, Missae iterationem in oratoriis sive publicis sive semi-publicis seu semi-privatis. In *Nivernen.*, *8 Martii 1879* (n. 5769), ad dubium : « 1° Potestne episcopus jure ordinario concedere licentiam etiam plures Missas qualibet die celebrandi : 1° In capellis seu oratoriis publicis piarum communitatum, etiam carum quae clausuram non habent ; 2° In capellis seu oratoriis piarum communitatum quae licet non habeant ingressum in via publica, inserviunt tamen quotidianis exercitiis totius communitatis ; 3° In capellis seu oratoriis ad personas quidem privatas pertinentibus, sed quae sunt publica vel semi-publica in eo sensu quod habeant ingressum in via publica vel prope viam publicam, ut semper cuilibet volenti intrare permittatur » ; S.

R. C. reposuit : « Ad 1um : Episcopus utatur jure suo in omnibus casibus expositis ».

386. Tandem haec necessitas non verificatur, et ideo Missam iterare numquam licet, quoties alius haberi potest sacerdos qui populi necessitati valeat satisfacere, Missam celebrans. De hoc praecise casu agit Benedictus XIV in cit. const. *Declarasti*, ubi materiam plene evolvit. Confirmatur ex cit. *cap. 12, De celebratione Missarum* ; nam Honorius III respondet Sypontinum archiepiscopum, celebrata Missa in ecclesia Sypontina pro chrismatis confectione, non posse aliam in Garganica ecclesia celebrare, quia verosimile non erat alios sacerdotes deficere pro Missa ibidem celebranda, ut notat Benedictus XIV, *l. c.*, § *Sypontinus*, cum Cardinali de Turrecremata aliisque. Hinc etiam est quod episcopus qui praeest duobus episcopatibus, non potest sub praetextu conficiendi chrisma feria V in coena Domini in utraque cathedrali ecclesia Missam celebrare ; uti idem Pontifex explicat, *l. c.*, § *Praeterea.*

387. Sed casus necessitatis verificatur, si idem sacerdos duas regit parochias, longo satis intervallo dissociatas ita ut populus unius parochiae non possit, moraliter loquendo, sine magno incommodo, ad alterius ecclesiam convenire, et deficit alius sacerdos, qui in alterutra celebret : tunc episcopus ex ipso jure communi, et a fortiori vicarius apostolicus vi facultatum sibi concessarum, potest parocho permittere, ut prius in una, deinde in alia parochiali ecclesia eucharisticum sacrificium offerat. Ita Benedictus XIV, *l. c.*, § *Quamvis et sequ. ; De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. IV sequ. ; De Syn., lib. VI, cap. VIII, n. 2* ; item cit. Instructio S. C. de Prop. Fide, *n. 10*, et auctores communiter. Imo concors est theologorum opinio, uti advertit Benedictus XIV, *De Syn., l. c.*, parochum in hoc casu non solum posse, sed etiam debere, alio deficiente sacerdote, eodem die festo in utraque ecclesia parochiali celebrare. Unde episcopus aut vicarius apostolicus in casu non solum concedere potest et debet binandi licentiam, sed etiam debet cogere parochum ad Missam in utraque ecclesia celebrandam. Si autem quaeratur curnam non in tertia parochia, responde-

mus rationem esse fortasse sequentem. Parochus non solum debet in parochia Missam celebrare eamdemque applicare pro populo, sed insuper debet populum sacramentorum administratione reficere et verbo Dei pascere (*n. 508*); quod si in duabus parochiis non sine magno labore fieri potest, in tribus est moraliter impossibile. Porro quaenam distantia et difficultas accedendi satis sit pro Missae iteratione, episcopus aut vicarius apostolicus pro sua prudentia, deposito omni scrupulo et anxietate, judicabit. In *Salamantina* (*n. 397*) nonnullae parochiae filiales de quibus agebatur, distabant ab ecclesia parochiali uno milliario, habentes quinque aut decem tantum fideles; et tamen S. C. C. non negavit episcopum posse licentiam binandi concedere.

388. Pariter casus necessitatis verificatur, si idem sacerdos unam tantum regit parochiam, sed in ea habet duos populos in diversis locis cum distincta ecclesia adeo sejunctos ut unus nequeat, moraliter loquendo, sine magno incommodo, ad alterius ecclesiam convenire, et deficit alius sacerdos qui in alterutra ecclesia celebret: tunc rursus episcopus et vicarius apostolicus possunt utique permittere ut parochus prius in una et deinde in alia suae parochiae ecclesia celebret. Ita Benedictus XIV in cit. const. *Declarasti*, *l. c.*, et cum eo cit. Instructio S. C. de Prop. Fide, *l. c.*, et patet evidenter hunc casum similem esse praecedenti. Rursus quaenam distantia et accedendi difficultas et quinam fidelium numerus qui secus Missa privarentur, justificet Missae iterationem, episcopus et vicarius apostolicus pro sua prudentia, absque ulla anxietate et scrupulo, videbunt. Ut unum aliudve exemplum citemus, episcopus Lingonensis exposuit S. C. C. in sua dioecesi esse consuetudinem qua nonnulli animarum pastores Missam iterabant eadem die, et insuper exponebat adesse quamdam communitatem uno circiter milliario a parochiali separatam et viginti circiter personis constantem. Quaerebat igitur num illa consuetudo servari posset, et num in favorem parvae illius communitatis posset Missa iterari die festo, deficiente alio sacerdote. S. C. reposuit die *12 Jan. 1847* : « Scribatur episcopo, ut concedat bis Missam celebrandi licentiam,

quatenus eae circumstantiae et praecisae necessitatis casus concurrant, quos Benedictus XIV in sua const. *Declarasti Nobis*, requirit; in casu vero quem idem orator (episcopus) proponit, licentiam esse concedendam » (1). Hinc passim videmus episcopos, scientia canonica et pietate praestantes, deficiente alio sacerdote, permittere Missae iterationem, ne sanctimoniales, praesertim cum clausura, aut carcere inclusi, aut infirmi vel convalescentes in hospitali, vel juvenes in collegio, etc., Missa careant.

389. Item casus necessitatis verificatur, si idem parochus unam tantum regit parochiam cum unica ecclesia ita tamen ut populus nequeat, moraliter loquendo, sine magno incommodo, ad unicam Missam ibi celebratam simul convenire, et deficit alius sacerdos qui secundam Missam ibi celebret; tunc rursus episcopus et vicarius apostolicus permittere possunt parocho, ut prius, e. g., summo mane, unam Missam in ecclesia celebret, et postea, e. g., paulo ante meridiem, secundam. Ita Benedictus XIV in cit. const. *Declarasti*. § *Ea potissimum*, et cit. Instructio S. C. de Prop. Fide, *l. c.* Hic enim casus est similis praecedenti, et ideo Benedictus XIV, *l. c.*, merito advertit cum Theophilo Raynaudo hos duos casus eodem jure censendos esse. Rursus in casu exposito quaenam impossibilitas aut gravis difficultas populi conveniendi una simul ad unicam Missam, licitam reddat alterius Missae celebrationem, episcopus et vicarius apostolicus pro sua prudentia sine scrupulis et anxietatibus definient. De facto videmus episcopos passim indulgere, in magnis parochiis, ut Missa iteretur, ne in Ecclesia parochiali Missae desint pro fidelium necessitatibus. Ut nonnulla exempla afferamus, S. R. C. in *Ambianen.*, *22 Maii 1841* (n. 4915), declaravit Missae iterationem licitam non fuisse in casibus ibi expositis. Nam Ambianensis episcopus invenit « in sua dioecesi ex usu fere gene-

(1) Cum Missionarii Capuccini in Graecia quaesivissent a S. C. Inquisitionis : « Utrum Missionarius sacerdos, solus in loco degens, duas Missas diebus dominicis et festivis pro quindecim seu viginti personis quae, legitime impeditae, primae Missae adesse non valuerunt, celebrare possit » ; S. C. reposuit die *28 Jan. 1688* : « Non licere ». Sed nos ignoramus circumstantias quae hanc responsionem exegerunt.

rali sacerdotes bis celebrare Missam diebus dominicis et festis; qui quidem usus ex eo praesertim invaluit quod ordinario per agros ecclesia aliqua sit adnexa ecclesiae parochiali in qua residet parochus; ac proinde in ea iterum celebrat, ut fideles ibi domicilium habentes, faciliorem habeant aditum ad sacra mysteria, et inde latius extenditur usus praefatus, ut nonnullis in locis bis celebretur etiam super idem altare, aut super altaria diversa, sed sine gravi necessitate ». Hinc dubia proponebat : « 1° Utrum liceat parocho in agris constituto iterare Missam diebus dominicis et festis conservatis etiam super idem altare ; 2° An liceat parocho in urbe constituto iterare Missam iisdem diebus super diversa quidem altaria, sed solummodo ad consulendum parochianorum commoditati, e. g., ut celebretur Missa hora octava, quando jam celebratur variis horis, videlicet hora sexta, septima et nona et decima ; 3° Utrum posito quod sint illicitae duae praefatae consuetudines, teneatur iis obsistere episcopus, an vero eas tolerare possit, ut vitentur murmurationes tum populi tum cleri ». S. C. reposuit : « Sine speciali apostolico indulto non licere, et teneri episcopum consuetudinem seu abusum omnino eliminare ».

390. Praeter hos casus necessitatis doctores veteres alios quoque effingebant, in quibus putabant licitam esse eodem die Missae iterationem ; nempe si iter facientes aut hospites Missam desiderant ; si benedictio nuptiarum urget ; si defunctus sepeliendus est ; si Missa petitur ab aliquo principe vel ab episcopo supervenienti die festo, non audita Missa ; si Missa necessaria est ut viaticum ad infirmum deferatur ; nec interim in omnibus hisce rerum circumstantiis alius sacerdos praesto est praeter eum qui sacrum jam obtulit. Jam vero certum est omnes recensitos casus, praeter ultimum, non esse sufficientes pro Missae iteratione, cum nullam necessitatem praeseferant (1) : ultimus autem specialem mentionem meretur. Si sacerdos qui Missam celebravit, non est jejunus, e. g., quia ablutiones in Missa sumpsit, utrum possit, necne, rursus celebrare Missam ad

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. V, n. 3.*

ministrandum infirmo morituro viaticum, vide infra *n. 434;* si est jejunus, potest (1), sed tales et tantae circumstantiae concurrere debent, ut de facto numquam applicationi hujus doctrinae locus erit. Nam supponi debet particulas deesse et parochum post consummationem, ante sumptionem ablutionum, praeveniri de infirmo requirente viaticum ; aut parochum qui duas parochias longe distantes regit, in una celebravisse, haud sumptis ablutionibus, ut in alia deinceps celebrare posset, et interim infirmum in prima requirere viaticum ; aut parochum qui duas parochias, ut supra, regit, celebravisse in una ob festum particulare, e. g., patroni, non sumptis ablutionibus, quia scit in alia adesse infirmum requirentem viaticum, quod a prima parochia deferri nequit ob magnam locorum distantiam vel alias ob causas.

391. Casus necessitatis quos huc usque expendimus, sunt sufficientes ex ipso jure communi, ita ut episcopus, dato necessitatis casu, permittere queat Missae iterationem, quin ad Sedem Apostolicam recursum habeat. Frequenter hic recursus habetur, quia casus necessitatis, ad normam constitutionis Benedictinae, vel non adest, vel est dubius ; sed si judicio episcopi casus necessitatis certe verificatur, recursus ad Sedem Apostolicam est inutilis. S. C. C. in his causis hoc unum ad examen revocat, nempe utrum casus necessitatis de quo Benedictus XIV, *l. c.*, verificetur, necne ; si affirmative, concedit ; si negative, denegat licentiam binandi.

392. Quod si casus expensi ex ipso communi jure sufficiunt, sequitur facultates vicariorum apostolicorum comprehendere alios quoque casus minoris necessitatis (*n. 378* in fine). Judicium autem de sufficienti causae gravitate remittitur prudentiae ipsius vicarii apostolici, ut pluries Sedes Apostolica rescripsit apud cit. Instructionem, *n. 12 sequ.* Proinde si vicarius apostolicus, secundum conscientiam prudentiamque suam, censet causam gravem esse licentiamque binandi mereri, hanc concedet, quin scru-

(1) Layman, *lib. V, tract. V, cap. V, n. 6,* cum communi ; Schmalz., *lib. III Decret., tit. XLI, n. 41.* Benedictus XIV, *l. c.*, id non negat.

pulis et anxietatibus agitetur. S. C. de Prop. Fide an. 1832, rescribens ad quemdam missionarium Philippopolitanum declaravit « indultum non coerceri ad populi indigentias diebus festivis, sed cum generalibus terminis contineatur, comprehendere quoque alios casus de quibus agitur, quemadmodum esset necessitas administrandi infirmis viaticum in utraque paroecia, et in hujusmodi aliis casibus locum habere debere praescriptas cautelas ». Pro-Praefectus Missionis Tripolitanae quaesivit ab eadem S. C. : « Cuinam numero servorum aut liberorum posset praecise celebrare Missam secundam, cum interdum daretur casus, ut in balneo extra Tripolim praesentes sacrificio non adessent plures quam decem aut quindecim servi.... ; et an in presbyterorum carentia pro illis solis posset celebrari secunda Missa diebus festivis ». Jam vero, uti observat cit. Instructio, *n. 17*, quin obstaret resolutio eodem anno data a S. C. Inquisitionis (*n. 388* in nota), S. C. de Prop. Fide, die *5 Oct. 1688*, reposuit : « Relinquatur charitati et conscientiae P. V. Praefecti ». Nec mirum esse debet, si S. C. benigniori interpretationi indulsit ; agebatur enim de servis, qui ob ipsorum conditionem peculiarem indulgentiam merebantur, cum unicum fortasse solatium eis esset sanctissimum Missae sacrificium. Aliud ejusmodi benignitatis argumentum, habita circumstantiarum ratione, an. 1860 suppeditavit S. Inquisitio. Namque licet die *20 Junii* respondisset vicario apostolico cujusdam regni Sinis adjacentis *desiderium neophytorum bis aut ter in anno sanctissimam Eucharistiam sumere volentium per se non esse urgentissimam causam in casu de quo agitur*, idest iterandi Missam juxta facultatem, attamen subjunxit : « Sed pensatis omnibus locorum et personarum circumstantiis, relinquendum arbitrio R. P. D. Vicarii Apostolici ». Ex quibus eruitur eas causas quae per se, ac proinde multis in locis graves non sunt, graves evadere posse in aliis locis ob circumstantias quae casum concomitantur. Igitur vicarius apostolicus, expendens gravitatem causae, omnes circumstantias pensabit ; et eidem repetere juvabit responsum S. C. de Prop. Fide an. 1832, datum ad episcopum Nicopo-

litanum in Bulgaria, nempe clausulas in formulis adhibitas « intelligendas haud esse in extremo rigore, habito prae oculis principio Sedem Apostolicam dictam facultatem concedere in bonum spirituale fidelium, desiderio ut omnes praeceptum ecclesiasticum adimplere facile possint ».

393. Huc usque determinavimus quandonam liceat Missae sacrificium eodem die iterare. Poenae latae sententiae contra illicitam binationem statutae in jure non sunt: utrum hoc grave peccatum secumferat, necne, infamiam et exinde irregularitatem, vide in nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione*, *n. 312 sequ.*. Igitur superior poenam suspensionis, mulctae pecuniariae, exercitiorum spiritualium, etc., infliget, juxta peccati gravitatem. Transactis temporibus S. C. EE. et RR. non semel hoc delictum plectebat poena carceris per quatuor aut quinque annos protracta (1).

394. II. Nunc de modo in hac binatione servando agendum est.

395. 1° In die Nativitatis Domini ita tres Missae a quolibet sacerdote celebrari possunt, ut libera sit earumdem applicatio et percipi possit eleemosyna, nisi applicatio alio titulo debeatur. Utrum qui curam habent animarum teneantur hac die tres Missas pro populo applicare, an applicantes unam pro populo, liberam habeant reliquarum duarum applicationem, vide infra *n. 519*; de beneficiato autem qui debet pro fundatore quotidie applicare, *n. 580*. E contrario Benedictus XIV per suam const. *Quod expensis*, concedens omnibus sacerdotibus in Hispania et Lusitania privilegium celebrandi tres Missas in die commemorationis omnium defunctorum, praecipit duas ultimas Missas, privilegio-concessas, applicare pro omnibus fidelibus defunctis, et prohibet pro eisdem duabus ultimis Missis ullam percipere eleemosynam, et pro prima permittit consuetam eleemosynam tantum, his verbis: « Praecipimus et jubemus ut nonnisi unam accipiant eleemosynam, videlicet pro prima Missa dumtaxat, et in ea tantum quantitate quae a synodalibus constitutionibus seu a loci consuetudine praefinita fuerit. Decernentes nullam omnino causam nul-

(1) **Analecta Juris Pontificii, an. 1860, *pag. 1349.***

lumque praetextum aut obtentum ad declinandam hujus praecepti Nostri observantiam suffragari posse, ne voluntariam quidem fidelium oblationem ; nam nec a sponte dantibus quidquam recipi posse statuimus, etc. ». Hinc proposito dubio: « An sacerdotibus comprehensis in indulto de quo agitur, prohibitum sit recipere pro prima Missa diei commemorationis omnium fidelium defunctorum eleemosynam majorem ea quae a taxa synodali seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit, quamvis sponte oblatam, in casu » ; S. C. C. reposuit die *23 Martii 1861* : « Affirmative ». Tandem in genere, quando in casu necessitatis geminum offertur eucharisticum sacrificium, pro alterius Missae celebratione nequit eleemosyna percipi. Hinc parochus, duas regens parochias duasque celebrans Missas diebus festis, utramque debet pro populo applicare, et pro neutra eleemosynam potest percipere. Pariter parochus qui, unam tantum parochiam habens, bis Missae sacrificium offert, pro neutra potest eleemosynam percipere, sed unam applicare debet pro populo, alterius liberam quidem habet applicationem, quin tamen pro ea percipere valeat eleemosynam. Demum sacerdos, curam animarum non habens, bis Missam celebrans, utriusque habet liberam applicationem, sed pro prima tantum potest percipere eleemosynam. Ita Ecclesia constituit ut quilibet turpis quaestus apparentia a re tam sancta removeatur.

396. Haec firmantur ex causa *Cameracensi*. Nam ex parte archiepiscopi Cameracensis proposita fuerunt S. C. C. sequentia dubia: « 1° An parochus qui duas parochias regit et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam Missam applicare teneatur, non obstante redituum exiguitate ;

« 2° An parochus qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque Missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur ;

« 3° An vicarii et alii sacerdotes, curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrent, ut fit quandoque seu ut numero sufficienti Missae in ecclesia parochiali celebrentur, seu ut hospitalia, carceres, sanctimonialium con-

ventus Missa non careant, secundam et ipsi Missam populo gratis applicare teneantur? Et quatenus affirmative ad 1um, 2um, et 3um ;

« 4° An et quomodo concedendum sit parochis qui diebus dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius Missae liberam habeant applicationem et stipendium pro ea recipere valeant in casu ;

« 5° An et quomodo idem concedendum sit sacerdotibus curam animarum non habentibus quoad utramque Missam in casu ;

« 6° An et quomodo concedenda sit absolutio quoad praeteritum ».

S. C. die *25 Sept. 1858*, reposuit :

« Ad 1um : Affirmative.

« Ad 2um : Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.

« Ad 3um : Negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.

« Ad 4um : Negative et episcopus provideat ad formam constitutionis Benedicti XIV, *Cum semper oblatas*.

« Ad 5um : Provisum in tertio.

« Ad 6um : Celebrata unica Missa ab unoquoque, affirmative, facto verbo cum SSmo ».

397. Cohaeret ejusdem S. C. responsio in *Salamantina*. Nam episcopus Salamantinus in relatione status suae dioecesis exposuerat in sua dioecesi extare ducentas circiter parochias quae aliam ecclesiam filialem sibi adnexam habent, in qua parochus diebus dominicis et festis per annum secundam celebrat Missam. Ex informationibus vero tum episcopi postulantis, tum ejus successoris non constabat utrum unio qua illae ecclesiae filiales adnexae et consociatae erant paroeciis, esset unio plenaria et extinctiva, an subjectiva tantum. Item non constabat num casus necessitatis adesset. Igitur proposita fuerunt S. C. C. sequentia dubia :

« 1° Utrum haec consuetudo secundam Missam celebrandi toleranda sit in omnibus praedictis ecclesiis adnexis,

ubi hic mos ita invaluit ut populus etiam jus ad illam exigendam existimet se habere ;

« 2° Utrum parochus necessario debeat illam secundam Missam applicare pro populo, sicuti primam, vel liberam retineat illius applicationem cum stipendio ;

« 3° Utrum licentiam dare queat episcopus ad illam secundam Missam celebrandam in casibus similibus et in locis ubi talis consuetudo usque adhuc non invaluit ;

« 4° Utrum praesertim praedictam licentiam concedere possit tempore collectionis messium, cum plurimi operarii in uno praedio seu villa concurrant, qui certe Missam non audirent, nisi parochus secundam in eo loco diceret, ex eo quod alius sacerdos ad illam dicendam haberi non possit ».

S. C. die *22 Febr. 1862,* reposuit :

« Ad 1um et 2um : Affirmative judicio episcopi, nulla habita ratione consuetudinis et quatenus in unoquoque casu concurrant circumstantiae necessariae ad formam constitutionis Benedictinae et declarationis S. C. dici *24 Oct. 1843* relatae in *Cameracen. Missae pro populo, 25 Sept. 1858.*

« Ad 3um : Dentur resolutiones in *Cameracen., diei 25 Sept. 1858.*

« Ad 4um : Provisum in praecedentibus ».

Vide etiam *Brixiensem, 2 Martii 1855*, ubi cum episcopus rogasset, num tolerari possit inolita consuetudo ut eleemosyna a pio aliquo sodalitio vel a praefecto fabricae, parocho pro secunda Missa oblata sine onere specialis applicationis admitteretur, S. C. respondit : « Consuetudinem juxta exposita esse reprobandam ».

398. Ut igitur ex alterius Missae celebratione eleemosyna percipi licite valeat, necessarium foret indultum apostolicum ; quod tamen, prouti ex relatis patet, non facile conceditur. Illud aliquando episcopi obtinent in favorem seminarii pauperis. Permittit nempe S. Sedes ut sacerdotes alteram Missam applicent ad intentionem episcopi ; qui eleemosynis harum Missarum seminarium adjuvat. Item illud aliquando conceditur in favorem missionum, aut alteris operis pii valde utilis. Hoc in casu si sacerdos binans duplicem regit parochiam, unam Missam applicat pro utroque populo.

Nonnulla horum indultorum exempla, vide in ephemeride, *Le Canoniste Contemporain*, *Février 1893*, *pag. 76 sequ.*

399. At si pro alterius Missae celebratione sacerdos habet aliquas expensas, e. g., pro curru aut pro equo, posse harum expensarum restitutionem exigere, evidens est. Pariter pro labore et incommodo non quidem intrinseco celebrationi, sed extrinseco et accidentali, potest aliquam remunerationem accipere.

400. Revera episcopus Trevirensis exposuit :

« In multis dioecesis nostrae parochiis existunt fundationes quae vulgo *primissariae* vocantur (beneficia et simplicia et curata), quibus provisum est ut dominicis diebus et festis, praeter quasdam ferias, sacrum celebretur matutinum. Ejusmodi vero fundationes, ob exiguitatem redituum et penuriam sacerdotum, plerumque proprio carent sacerdote. Ut autem menti fundatorum, quantum fieri potest, satisfiat, parochi, obtenta binandi facultate, diebus dominicis et festis binam dicunt Missam, sacrum matutinale et sacrum summum pro populo, et in utroque sacro traditur homilia seu instructio catechetica ; pro quo peculiari labore sive industria, parochi huc usque ex hujusmodi fundationibus certam percipiunt remunerationem. Sunt et alii parochi qui diebus dominicis et festis binam dicunt Missam partim in ecclesiis parochialibus, partim in filialibus, quia necessitas moralis id exigit. Non pauci parochi ad ecclesias dissitas per vias asperas tempore aestus, frigoris et nivis tendunt, qui infra sacrum simul tradunt doctrinam christianam. Quaeritur igitur :

« 1° Utrum parochi qui, ut menti fundatorum fiat satis, diebus dominicis et festis binam dicunt Missam et pro fundatoribus applicant, salarium ex fundo primissariarum pro peculiari labore percipere possint ;

« 2° Utrum parochi qui pro necessitate circumstantiarum diebus dominicis et festis sive in ecclesia parochiali sive filiali dissita bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis oblatum percipere valeant ».

S. C. C. in *Treviren.*, *23 Mart. 1861*, reposuit : « Posse

permitti, prudenti arbitrio episcopi, aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae ».

401. Huc etiam spectat responsio S. R. C. in *Monasterien., 14 Jun. 1845* (n. 5014). Nam ad dubium : « 2° Deinde saepius in hac dioecesi contigit, propter latitudinem parochiarum, quod in iis sacella inveniantur, ubi dominicis et festis diebus sive fundatione sive ex contractu parochi et parochianorum, Missa celebrari debeat pro incolarum ab ecclesia parochiali remotorum in primis seniorum et infirmorum necessitate vel commoditate. Viget consuetudo quod si per fundationem vel contractum de applicando sacro ad certam intentionem nil statutum sit, in ejusmodi casibus celebrans pro alio stipendio applicet, vel ad propriam intentionem. Quaeritur num haec consuetudo de cujus legalitate dubitatur, pro futuro permittenda, et num pro praeterito aliquid restituendum sit ab iis qui bona fide ea usi sunt » ; S. C. reposuit : « Ad 2um : Permitti posse ».

402. Insuper quum alterius Missae applicatio per se libera sit, licet eleemosyna percipi nequeat, sequitur nos posse hac applicatione extinguere quasi-obligationem solius charitatis. Huc spectat responsio S. C. C., *14 Sept. 1878*. Nam episcopus Vivariensis in Gallia exposuit in sua dioecesi institutam esse sacerdotum congregationem S. Josephi, indulgentia a S. Sede ditatam, cujus sodales semel pro unoquoque sacerdote confratre defuncto Missam celebrare debent. Sacerdotibus binantibus, episcopus quaerebat num Missa binationis offerri posset in casu pro defunctis confratribus. S. C. reposuit : « Licere ». Item hac applicatione nos adimplere possumus obligationes gratuitas applicandi Missam, ex liberali promissione ortas. Sed in genere nos non possumus hac applicatione satisfacere aliis obligationibus titulo lucrativo, e. g., obligationibus applicandi ex beneficii fundatione, cum semper verum esset nos ex applicatione aliquid percipere, nempe reditus beneficiales. Hinc ad dubium a quodam Hispaniae episcopo propositum : « An parochis et aliis sacerdotibus binandi facultate praeditis liceret alteram Missam applicare pro fundatoribus Primissa-

riarum ad lucrandos hujusmodi beneficiales reditus »; S. C. C. die *29 Apr. 1871*, reposuit : « Prout exponitur, negative, et in casibus particularibus recurrat pro translatione et reductione Missarum, quatenus opus fuerit ». Proinde in casibus particularibus recurrendum erit ad S. C. C. quae pro diversis circumstantiis dispensationes concedere solet. Vide, e. g., *Friburgen.*, *Dubii quoad Missarum applicationem, 14 Apr. 1894.*

403. 2° Evidens est sacerdotem, alteram Missam eodem die celebraturum, non posse in prima ablutiones sumere ; et si eas sumpserit, non posse alteram Missam deinceps celebrare, cum jam non sit jejunus.

404. In nonnullis dioecesibus, quando duplex celebratur Missa in distinctis ecclesiis, duplex adhibetur distinctus calix. S. R. C., *16 Sept. 1815* (n. 4515), reprobavit « usum duorum calicum, tamquam in ecclesia novum, et censuit unum duntaxat esse adhibendum, ut in more est apud Missionarios in locis praesertim infidelium... ». At vero deinde plures diversarum dioecesium episcopi, attendentes rigorosam executionem praefati decreti de uno tantum calice adhibendo a sacerdotibus plures Missas eadem die celebraturis, gravibus admodum difficultatibus subjici, cum sacerdos alteram Missam non in ipsa ecclesia ubi primam celebravit, sed in alia longe dissita cogitur offerre ; insuper advertentes morem duos in ejusmodi casu adhibendi calices non modo universalem esse in Hispania et Gallia, sed etiam adeo veterem, ut omnem hominum memoriam facile excedat, ad Apostolicam Sedem pro modificatione praefati decreti recursum habuerunt. Unde in *Plurium Dioecesium, 11 Martii 1858* (n. 5261), propositis dubiis : « 1° An retinendus sit usus qui dicitur vigere in dioecesibus Compostellana et Salamantina, nec non in dioecesi Meldensi, et in aliis Gallicis dioecesibus, vel sit permittendus alibi, adhibendi scilicet, ob peculiares rationes, duos calices, cum sacerdos duas celebrat Missas eadem die in ecclesiis longe dissitis » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Usum duorum calicum in casu posse permitti ».

405. At, ut simul sacerdos in prima Missa maneat jeju-

nus pro secunda, et reverentiae sacramento debitae consulatur, quaeritur quid agendum post consummationem in prima Missa? Vel in eadem ecclesia bis Missa celebratur, vel in diversa.

406. In primo casu canonicus Camillus Ruffi, consultus a S. R. C., dedit hanc regulam, ab eadem S. C. probatam die *16 Sept. 1815* : « Ut parochus in prima Missa calicem impurificatum relinquat, prouti fit in duabus prioribus Missis Nativitatis Domini : calici autem statim imponat patenam et pallam, prouti fit in eisdem Missis ; dein calicem et patenam cooperiat velo, quod etiam circumligabit calici, prout fit in repositione sacri Corporis in sepulchro feria V in coena Domini ; atque calicem hunc sic coopertum et circumligatum, defectu tabernaculi (1), post primam Missam relinquat in altari super corporale ». In Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 792*, pro hoc primo casu refertur sequens regula tradita a Gavanti et Merati, quae in praecedentem recidit, sed nonnullas circumstantias melius determinat : « Hoc itaque in casu sacerdos, post haustum in prima Missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens, ac super corporale relinquens, dicet junctis manibus : *Quod ore sumpsimus, Domine*, etc. Deinde digitos quibus SSmum Sacramentum tetigit in aliquo vase mundo, ad hoc in altari praeparato, abluet, interim dicens : *Corpus tuum, Domine*, etc., abstersisque purificatorio digitis, calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale extensum. Absoluta Missa, si nulla in ecclesia sit sacristia, calicem eodem modo super altare relinquet ; secus vero in sacristiam deferet, ibique super corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit usque ad secundam Missam ; in qua, cum eodem calice uti debeat, illum rursus secum deferet ad altare, ac super corporale extensum reponet. Cum autem in secunda Missa sacerdos ad Offertorium devenerit, ablato velo de calice, hunc parumper versus cornu epistolae collocabit, sed non extra corporale, factaque hostiae oblatione, cavebit ne

(1) Si in altari est tabernaculum, calix in tabernaculo est reponendus.

purificatorio extergat calicem, sed eum intra corporale relinquens, leviter levabit vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttae aliquae ad labia ipsius calicis resiliant; quem deinde nullatenus ab intus abstersum more solito offeret ».

407. In altero casu, si idem adhibetur calix, praelaudatus canonicus Ruffi assignat, post relata superius verba, hanc regulam, pariter a S. R. C. probatam: « Dein vero suo tempore eumdem (calicem), hac ratione praeparatum, decenter deferat (sacerdos celebraturus) ad aliud oratorium, ut ibi celebret secundam Missam, quam peraget eodem ritu, quo celebratur tertia Missa in Nativitate Domini ». Sed haec regula non vacat practicis difficultatibus: unde S. R. C. in citata (*n. 404*) *Plurium Dioecesium*, ad petitionem episcoporum, dedit sequentem Instructionem quae regulam tradit sive pro casu quo unus, sive pro casu quo duplex adhibetur calix: « Quando sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum divinum sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat calicem et palla tegat et junctis manibus in medio altari dicat: *Quod ore sumpsimus*, etc., et subinde, admoto aquae vasculo, digitos lavet dicens: *Corpus tuum*, et abstergat. Hisce peractis, calicem super corporale manentem adhuc deducta palla cooperiat, ceu mos est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur et completo ultimo evangelio, rursus stet in medio altaris et, detecto calice, inspiciat an aliquid divini sanguinis, necne, ad imum se receperit, quod plerumque continget. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, cum particulae quae circum sunt undequaque, sursum deserantur, nonnisi deposito calice ad imum redeunt. Si itaque divini sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia sacrificium moraliter durat et superstantibus adhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet.

« Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquae fundat quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte qua sacrum sanguinem biberat, in paratum vas dimittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat et demum cooperiat, uti alias fit : atque ab altari discedat. Depositis vestibus sacris et gratiarum actione completa, aqua e calice demissa pro rerum adjunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat Missam celebraturus) et in secunda purificatione in calicem demittatur ; vel gossypio aut stupa absorpta comburatur ; vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur ; vel demittatur in piscinam.

« Cum autem calix quo sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat ; secus vero in altera Missa diverso calice uti poterit ».

Haec igitur Instructio servetur quando duae Missae ab eodem sacerdote non in eadem celebrantur ecclesia.

§ 2. — *Quoties debeat.*

408. Evidens est sacerdotem omnem mereri laudem et sanctissime agere, si quotidie bene dispositus, quotidie Missam celebrat, ad exemplum sanctorum sacerdotum saecularium et regularium. Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. II*, fuse expendit veterem hac de re disciplinam, concludens magis consentaneam esse Jesu Christi et Ecclesiae sensui quotidianam Missae celebrationem, cum debitis tamen dispositionibus.

409. At si sacerdos quotidie celebrans, die non impedita, optime agit, dummodo bene dispositus celebret, Missam praetermittens sine justo impedimento, peccat necne ? Aliquando potest expedire ut quotidiana Missae celebratio aliquantulum interrumpatur, ut sacerdos melius sese disponat (*n. 451*) ; et in hoc casu nullum adesse peccatum, evidens est. Praeterea peccatum foret veniale si sacerdos Missae celebrationem praetermitteret ob negligentiam, animi torporem aliamque similem irrationabilem causam. Omnes norunt monitum S. Bonaventurae, *De praeparatione ad Missam*,

cap. V : « Sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, privat Sanctissimam Trinitatem laude et gloria, angelos lactitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio et seipsum medicina et remedio ». Et pius auctor *Imitationis Christi*, *lib. IV*, *cap. V*, in fine : « Quando sacerdos celebrat, Deum honorat, angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adjuvat, defunctis requiem praestat et sese omnium bonorum participem efficit ». Tandem videamus num sacerdos teneatur sub gravi ad Missam aliquando celebrandam.

410. In primis titulo extrinseco potest utique teneri et de facto tenetur. Ita titulo curae animarum omnes sacerdotes, curam animarum habentes, debent singulis dominicis aliisque diebus festis celebrare et applicare Missam pro ovibus sibi commissis. Titulo beneficii etiam alii beneficiati saepe habent onera Missarum personaliter celebrandarum. Titulo charitatis debet sacerdos celebrare, si, e. g., secus infirmus decederet sine viatico, aut populus Missa careret die festo (*n. 413*), licet fortasse haec obligatio non semper gravis sit. Tandem titulo scandali evitandi sacerdos debet quandoque Missam celebrare, quia si numquam in anno celebraret, id esset indicium corruptissimae vitae, fidei debilis, aut saltem nullius amoris erga D. N. J. C., et ideo grave scandalum fidelibus praeberet (1), praesertim in nostris moribus. Imo Suarez, *l. c.*, putat hoc grave scandalum verificari etiam si sacerdos per diuturnum tempus, ad annum non pertingens, a sacrificando absque legitima causa abstineret. Et hoc scandalum gravius erit, quo sacerdos in altioribus sacrae hierarchiae gradibus est constitutus. Hinc in *cap. ult.*, *De privilegiis*, *in 6°*, Bonifacius VIII tradit non decere episcopos eorumque superiores transire ullum diem absque Missa celebrata aut audita.

411. Sed praescindendo a titulo extrinseco, sacerdos, legitime non impeditus, teneturne aliquando celebrare titulo sacerdotii seu ratione ordinationis ? Communior sententia

(1) Suarez, in *3 p. D. Thomae*, *disp. LXXX*, *sect. II* ; De Lugo, *disp. XX*, *sect. I*, *n. ult.*

affirmat (1), innixa verbis Christi D., *Lucae*, *XXII* : *Hoc facite in meam commemorationem*, quae ex Conc. Trid., *sess. XXII*, *cap. I*, important praeceptum ; et verbis Apostoli ad *Hebr.*, *V* : *Omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*. Et rationem explicat D. Thomas, *3 p.*, *q. 82*, *a. 10* : « Unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud 2ae *ad Cor.*, *VI* : *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi quibus oportet Sacramenta ministrare, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti sacrificium offertur ». Sententia minus communis negat, quia gravis obligatio nullo solido argumento evincitur (2). De Lugo, *l. c.*, *n. 2*, ait : « Et ego fateor pro prima sententia me nullum argumentum convincens adhuc invenire, saltem ut eam obligationem sub peccato mortali agnoscamus ». Deinde solvit argumenta superius adducta pro prima sententia, et addit sub *n. 12* : « Antiquis saeculis sacerdotes sancti fuerunt in solitudine degentes nec umquam sacrificantes, ut constat ex iis quae narrantur in *Vitis Patrum*, *p. II*, § *178*, de duobus sacratis monachis ; sed et nostro tempore sanctissimus patriarcha noster Ignatius, postquam sacerdos factus fuit, per annum integrum a sacrificio celebrando reverenter abstinuit. ut se accuratius piis meditationibus et mentis puritate ad illud sacrosanctum ministerium praepararet... Denique si antiquae Ecclesiae mores attente considerentur, facile possumus cogitare non fuisse ita facile privatis sacerdotibus frequenter celebrare, sicut hodie est... ». Sed in his exemplis quae citat De Lugo, aliisque rarissimis quae addi possent, nimium insistendum non est, tum quia sicuti non omnia opera peccatorum sunt

(1 De Angelis, *l. c.* ; Giraldi, *l. c.* ; Schmalz., *lib. III Decret.*, *tit. LI*, *n. 36* ; S. Alphonsus, *III*, *n. 313* ; Salmanticenses, *tract. V*, *cap. V*, *punct. II*, *n. 43*.

(2) S. Bonaventura, in *IV*, *dist. 12*, *puncto 2*, *art. 2*, *quaest. 1*, in corpore et *ad 3um* ; Cajetanus, *quaest. 82*, *art. 10* ; Palaus, *tract. XXII*, *dist. un.*, *punct. 12* ; De Lugo, *disp. XX*, *sect. I*.

peccata, ita non omnia opera Sanctorum sunt sancta, per se et objective loquendo, tum quia haec exempla explicari possunt ex speciali Dei inspiratione. Ceterum antiquitus sacerdotes cum episcopo concelebrare solebant (*n. 360*).

412. Ex dictis apparet hanc quaestionem vix practicam esse, quia obligatio gravis ab omnibus admittitur, extrinseca tantum, ratione scandali evitandi, juxta nonnullos ; tum extrinseca ratione scandali evitandi, tum intrinseca ex ipsomet sacerdotio, juxta plerosque. Suprema auctoritas ecclesiastica hanc obligationem affirmavit, quin indicaret, utrum haec obligatio procedat ex charitate tantum ad vitandum scandalum, an etiam ex sacerdotio, vel ex praecepto Ecclesiae. Ita Cajetanus putavit : « Levi solum culpae obnoxios esse qui nulla animarum cura praediti, nunquam per anni cursum sacrificium Missae celebraverint ». S. Pius V hanc Cajetani opinionem deleri jussit ab ejus commentario in D. Thomam (1). Id satis indicat tales sacerdotes gravi culpae obnoxios esse. Idem dicas de decreto edito a S.C.C. mense *Dec. 1669*, apud Monacelli, *p. I, tit. V, form. IX, n. 15* : « Qui sine justa causa ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter et potest ab episcopo puniri ». Et Innocentius III in *cap. 9, De celebratione Missarum*, reprehendit illos qui « vix celebrant quater in anno ». Exinde inter varias doctorum sententias quas vide apud S. Alphonsum, *VI, n. 313*, hanc practicam conclusionem deducimus, nempe sacerdotem qui, praeterquam ter vel quater in anno, sine justa causa, a Missae celebratione abstinet, a gravi piaculo immunem non esse ; et S. Alphonsus, *l. c.*, addit servandam esse debitam distantiam inter unam aliamque celebrationem.

413. Quaeritur utrum episcopus possit sacerdotem praecepto obligare ad Missae celebrationem. Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. XIV, de ref.*, haec habet : « Curet episcopus ut ii (sacerdotes) saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent ». Porro illud *curet* importat in episcopo praeceptum, ut tradit Benedic-

(1) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. LV*, § *Non ignoramus* ; Giraldi, *p. I, sect. 608* ; De Angelis, *III, XLI, n. 2.*

tus XIV in const. *Declarasti*, § *Minus*. Jam vero quaesitum fuit : « An episcopus facere debeat id solis adhortationibus et admonitionibus, an vero possit monere sub poenis et censuris. ut legitime non impediti debeant celebrare ». S. C. C. die *25 Febr. 1617* reposuit non posse, ex *cap. XIV, sess. XXIII.* Haec responsio videtur intelligenda de simplicibus sacerdotibus qui curam non habent animarum ; quos proinde episcopus non potest praecepto gravi, poenis et censuris adigere ad celebrationem singulis diebus dominicis aliisque festis. Attamen episcopus potest hos sacerdotes poenis et censuris cogere ad celebrandum ter vel quater in anno, cum episcopus possit juris remediis suos subditos a peccatis removere potissimum gravioribus et cum scandalo fidelium conjunctis (1). Ob eamdem rationem episcopus potest sacerdotes curam animarum habentes etiam poenis et censuris cogere ad tam frequentem celebrationem ut suo muneri satisfaciant. Tandem dubitari potest num episcopus valeat praecepto, poenis et censuris cogere ad celebrationem simplices sacerdotes sine animarum cura, si haec celebratio necessaria est ut fideles praeceptum audiendi Missam impleant. Pasqualigus, *De sacrificio missae, quaesit. 844, n. 11*, quem refert Benedictus XIV, *l. c.*, ita respondet : « Si in aliquo oppido sit unus tantum sacerdos, qui teneatur celebrare diebus festis, et adsint alii simplices sacerdotes, poterit episcopus eos cogere ad celebrandum diebus festis. Ratio est, quia adest indigentia populi, eo quod difficile sit quod omnes eadem hora conveniant ad audiendam Missam ; et ideo cum sacerdotes habeant, ratione ordinis, munus suum addictum populo, poterit episcopus eos cogere ut impendant officium suum populo, offerendo sacrificium, ut absque difficultate possit adimplere praeceptum audiendi sacrum. In tali tamen casu tenebitur populus aliquid contribuere iis sacerdotibus pro sustentatione, quia cum ministrent populo, aequum est quod accipiant aliquid pro sustentatione ». Utrum Romanus Pontifex, episcopus, superiores regulares possint exigere Missae applicationem, videbimus infra.

(1) Giraldi, *II, sect. 504.*

Articulus III.

De dispositionibus sacerdotis pro licita Missae celebratione.

§ 1. — *Ex parte corporis.*

414. Dispositiones quae ex parte corporis requiruntur pro licita Missae celebratione, sequentes enumerari possunt :

1° In primis necesse est ut sacerdos non habeat vitium corporis impediens, ad normam sacrorum canonum, Missae celebrationem. De iis vitiis corporis fuse locuti sumus in nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione*, *n. 249 sequ.*, ad quem proinde lectorem remittimus.

415. 2° Praeterea sacerdos celebraturus habeat calceos, caligas et exteriores vestes clericales, non sordidas nec dilaceratas, sed mundas et integras ; id enim et reverentia tanto sacrificio debita et fidelium aedificatio exigit omnino. Haec fusiori indigent declaratione.

416. In *Gerunden.*, *31 Aug. 1872* (n. 5507), proposito dubio : « 3° Aliqui sacerdotes, sub praetextu oeconomiae vel commoditatis, contra praescriptum a pluribus saeculis et contra consilium virorum sanctitate et doctrina conspicuorum, utuntur etiam in celebratione sacrificii calceamentis vulgo *botinas* coloris nigri, et omni tempore, maxime aestivo, multi induuntur caligis coloris albi ; sed quamvis longitudo vestis talaris plerumque impediat quominus conspiciantur, dantur tamen occasiones, e. g., genuflectendo et surgendo ad sacram pyxidem vel ostensorium e tabernaculo extrahendum et reponendum, in quibus facile pateant. Quaeritur potestne tuta conscientia indui dictis calceamentis in sacro faciendo ? et quatenus negative ; est de praecepto, ut sint caligae et sandalia coloris nigri » ; S. R. C. reposuit : « Ad 3um : Clericos, in sacris praesertim functionibus, adhibere debere caligas seu calceamenta, quibus publice uti solent probati clerici loci seu dioecesis ». Episcopus autem aliique privilegium habentes, adhibere

possunt caligas coloris violacei ; Cardinales coloris rubri ; Romanus Pontifex coloris albi ; Regulares coloris proprio Ordini convenientis.

417. Quod attinet ad vestem exteriorem adhibendam in Missae sacrificio, haec est talaris coloris nigri, si agitur de sacerdote saeculari non privilegiato. Ut hoc breviter declaremus, recolimus primis Ecclesiae saeculis vestem clericorum specialem non fuisse ; quod et reddita pace Ecclesiae aliquantulum perduravit. In Oriente vestes speciales clericorum videntur originem habuisse ex monachis. Cum enim in Oriente saepius ad episcopatum assumerentur monachi, qui in episcopatu proprias vestes retinebant, ipsae etiam pro clericis saecularibus dioecesis invaluerunt. In Occidente vero jam a S. Gregorii M. temporibus, idest a saec. VI, clericos peculiares deferre vestes, ex ejus epistolis aliisque documentis eruditi demonstrant : sed immutatio universalior evasit occasione incursionum barbarorum vestes breves et succinctas habentium, quas laici adoptaverunt, clericis vestes longas Romanorum retinentibus. Exinde vestis talaris clericorum ; cujus usus adeo invaluit ut opus fuerit praecidere nimiam vestium talarium longitudinem in *cap. 15, De vita et honestate clericorum*. Conc. Trid., *sess. XIV, cap. VI*, formam vestis clericalis episcopis determinandam reliquit, ibi : « Juxta ipsius episcopi ordinationem et mandatum » ; et licet deinde Sixtus V in const. *Cum sacerdotibus, 9 Jan. 1589*, vestem talarem praeceperit, tamen decretum Tridentinum, ordinationi et mandato episcopi remittens formam vestis clericalis, de facto servatum fuit. Color autem vestis clericalis, cujuscumque tandem sit formae, debet esse niger, ex cit. *cap. 15, De vita et honestate clericorum*, exceptis tum altioribus sacrae hierarchiae gradibus, nempe Romano Pontifice, qui utitur semper colore albo, Cardinalibus, qui uti possunt colore rubro, quod privilegium Romanus Pontifex die *14 Jan. 1892* etiam Primati Regni Hungariae, licet cardinalitia dignitate non insignito, confirmavit ; episcopis, aliisque hoc privilegio gaudentibus, qui uti possunt colore violaceo ; tum Regularibus qui uti debent

colore proprii instituti. Exinde facile intelligitur circa formam vestis clericalis varias fuisse et esse consuetudines et ordinationes dioecesanas. At vestis talaris coloris debiti tempore sacrificii Missae expresse praecipitur a Rubrica Missalis, *Ritus servandus in celebratione Missae, I*, 2°: « Quarum (vestium) exterior saltem talum pedis attingat » ; et plures episcopi addiderunt poenas latae vel ferendae sententiae sive in celebrantem etiam extraneum, sive in admittentem. Imo nonnulli expresse praecipiunt vestem talarem pertinere debere ad sacerdotem celebrantem, non vero ad sacrarium (1). At receptum in praxi est sufficere breviorem talarem vestem, quae ad renes alligata ad talos descendit.

418. Episcopi autem et vicarii apostolici, Missam celebrantes, non solum vestem talarem, ut supra, deferre debent, sed etiam rocchetum cum annulo et cruce episcopali, nisi graves et urgentes causae obsint. Revera ad dubium : « 1° Se alli vicarii apostolici sia permesso di celebrare senza rochetto, anello e senza la croce episcopale » (2); S. C. de Prop. Fide, *22 Martii 1669*, apud Collectaneam ejusdem S. C., *n. 119*, reposuit : « Posse cum gravi et urgenti causa ».

419. Praeterea sacerdos celebraturus deferre nequit comam fictitiam, pileolum, annulum, baculum. Ad comam fictitiam (vulgo *perruque, perrucca*), quod attinet, Benedictus XIV, *De syn., lib. XI, cap. IX*, erudite docet illius usum esse antiquissimum. Porro antiqui canones qui cum S. Paulo, *1ª ad Cor., XI, 14*, prohibent clericis comam veram et naturalem deferre longam et nutritam, a fortiori de fictitia intelligendi sunt, et episcopus ad removendos abusus statuere utique potest lege generali in sua dioecesi, ut nemo clericorum comam fictitiam deferat sine Ordinarii licentia ; quam tamen deinde Ordinarius, justis extantibus causis, non negabit. Cum quidam episcopus omnibus clericis prohibuisset usum comae fictitiae sub poena excommunicatio-

(1) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XXXIV*, *n.* 13.

(2) *Latine* : Utrum vicariis apostolicis liceat celebrare sine roccheto, annulo et cruce episcopali.

nis latae sententiae, S. C. C., die *20 Maii 1699*, hanc poenam pro clericis majoribus et beneficiatis admisit, pro aliis temperavit. At tempore sacrificii Missae usus comae fictitiae ipso jure communi prohibetur. Id Reiffenstuel, *lib. III Decret., tit. 1, n. 91*, merito deducit ex *can. 13* concilii Romani (an. 743) sub Zacharia, Romano Pontifice, qui canon, relatus in *can. 57, dist. 1, De consecr.*, in Decreto, praecipit : « Ut nullus episcopus, presbyter, aut diaconus ad celebranda Missarum solemnia praesumat cum baculo introire aut velato capite altari Dei assistere, quoniam et Apostolus prohibet viros velato capite orare in ecclesia ; et si temere praesumpserit, communione privetur ». Concordant Rubricae Missalis, *De defectibus in celebratione Missae occurrentibus*, § *10*, *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus, n. 1*, ibi : « Si celebret capite cooperto sine dispensatione ». Atqui per comam fictitiam caput velari seu cooperiri manifestum est. Nec episcopus dispensare potest ab hac lege generali, qua et ipse obligatur. Hinc Innocentius XII per suos Nuntios monuit locorum Ordinarios, ut contra abusum Missam celebrandi cum coma fictitia congrua adhiberent remedia, uti refert Reiffenstuel, *l. c., n. 93*. Necessarium igitur est apostolicum indultum pro usu comae fictitiae tempore sacrificii Missae (1) ; contraria sententia quae retinet et episcopos posse ordinaria potestate id permittere, ad examen, jussu Alexandri VIII, revocata fuit a peculiari Congregatione, quae nullo fundamento innixam esse declaravit.

420. Benedictus XIV, *l. c.*, haec addit : « Plures in hac civitate ac dioecesi circulo quodam ex capillis confecto ad caput utuntur, ne tempora, dum sacrum faciunt, frigore perstringantur : capitis vero partem ubi clericalis corona designatur, nudam relinquunt. Hujusmodi vero circuli per ultimum Romanum Concilium penitus interdicuntur (2). Cum tamen haec nostra civitas ac dioecesis provinciae Romanae terminis haud includatur, et cum post idem Conci-

(1) Reiffenstuel, *l. c., n. 92* ; Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XXXIV, n. 14*.

(2) Concilium provinciale Romanum sub Benedicto XIII, an. 1725, *tit. XXV, cap. III* : « Comamque fictitiam vulgo *perrucca* aut *cerchietti* numquam adhibeant ».

lium circuli ex capillis in Missae celebratione Romae retineantur, nihil super hac re novi constituimus, modo circuli modesti sint et necessitati solum accommodentur ; et si qui abuti hac humanitate voluerint, eamdem omnino consuetudinem abrogabimus ». Sed post Benedicti XIV tempora hujusmodi circuli, saltem Romae, in desuetudinem abierunt.

421. Ex dictis patet prohiberi quoque omnibus ipso jure communi pileolum cujuscumque coloris in Missae celebratione. Hinc Urbanus VIII in decreto quod initio Missalis habetur : « Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missae sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacumque contraria consuetudine ». Vide etiam *Veliternam, 24 Apr. 1626* (n. 624), aliasque plures. Cum vero apud Sinenses mos sit caput coopertum gerere in signum obsequii et reverentiae, aliqui missionarii in Sinis caput pileolo cooperiebant tempore celebrationis Missarum. S. C. S. Officii, *25 Aug. 1880*, reposuit hanc consuetudinem in locis ubi est abrogata, non esse iterum instaurandam ; ubi vero adhuc viget, vicarios apostolicos curare debere, ut illa sensim aboleatur, prout circumstantiae locorum temporumque id permitterent (1). Auctores conveniunt, pileolum, sine dispensatione apostolica, extra tempus a praefatione ad communionem inclusive, gestare in Missae celebratione, excluso scandalo et contemptu, esse peccatum leve, a quo rationabilis causa, e. g., repentinae brevisque infirmitatis, pro una aliave vice excusat (2). Cardinalis, episcopus, abbates et protonotarii sive participantes sive *ad instar* (*n. 677, 679*) possunt in divinis officiis, absque speciali indulto, deferre pileolum tantum tempore pontificalium sub mitra; ceterum in omni indulto excipi solet tempus lectionis evangelii, praesertim tempus a praefatione ad canonem, casus quo SSmum Sacramentum expositum est. Sacerdotes qui indultum habent pro Missae celebratione, pileolum adhibere nequeunt in Missis cantatis, praesente episcopo, in *Asculana, 21 Martii 1676* (n. 2769) ; nec dum agunt diaconum vel subdiaconum in Missa solemni, in *Nul-*

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 820, 823.*

(2) S. Alphonsus, *VI, n. 307* ; Lehmkuhl, *II, n. 245* ; Sylvius apud Benedictum XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. I, cap. IX, n. 3.*

lius, *2 Sept. 1679* (n. 2901) ; nec dum assistunt episcopo in sacris functionibus, sive ad altare sive in cathedra episcopali, si actu eidem ministrant, in *Baren.*, *20 Apr. 1822*, *ad 2um* (n. 4585) ; nec canonici dum episcopo pontificaliter celebranti porrigunt vestimenta sacra, aut in circulo recitant cum episcopo *Gloria*, *Credo*, *Sanctus*, etc., aut canonici assistentes, episcopo legente introitum, epistolam, evangelium, post-communionem, aut dum episcopus in ingressu ecclesiae accipit aspersorium et lustrat capitulum, in *Squillacen.*, *31 Aug. 1680* (n. 2925) ; *Nicien.*, *10 Jan. 1693* (n. 3302) ; *Alexandrin.*, *18 Febr. 1696* (n. 3381), etc. Etiam Missae assistentes qui pileoli usu gaudent, debent pileolum e capite auferre, canonici dum recitant una simul *Confiteor*, *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus*, *Agnus Dei* ; omnes dum recipiunt incensum vel aquam benedictam ; ad evangelium ; a *Sanctus* usque ad communionem inclusive ; recipientes aut dantes pacem ; in benedictione in fine Missae ; demum si SSmum Sacramentum expositum est. Extra divina officia nil prohibet quominus quis pileolum deferat coloris sibi convenientis ; notum est pileolum Romani Pontificis esse album ; Cardinalis, rubrum ; episcopi ex Pii IX concessione diei *17 Jun. 1867*, violaceum ; omnium aliorum, nigrum. De pileolo rubro infantium qui Missae inserviunt, vide *n. 651* ; et de pileolo dum ministratur aut recipitur sacra communio, *n. 1111*, *1132* ; et de mitra *n. 732*.

422. In cit. *cap. 15*, *De vita et honestate clericorum*, legitur : « Fibulas omnino non ferant (clerici) neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes, sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis ». Quoad fibulas aut corrigias, in aliquibus locis introducta est contraria consuetudo, quae legem abrogavit ; et ideo ibi fibulae et corrigiae, etiam aureae vel argenteae, deferri possunt (1). Annulos autem sive cum gemma sive sine gemma deferre possunt omnes qui in dignitate constituti sunt, aut in dignitate constitutis assimilati, quales sunt episcopi, abbates

(1) Episcopi nonnullarum dioecesium in Galliis, ut mores Romanos introducerent, praeceperunt fibulas in calceis. At si usus fibularum in dioecesi nullatenus existebat conformiter juri communi, haec lex dioecesana, utpote contraria juri communi, non sustinetur. Ceterum clerici Romae fibulas deserunt.

cum jure pontificalium, vicarius capitularis, vicarius generalis, canonici ecclesiae cathedralis, protonotarii participantes et ad instar aliique habentes usum *insignium pontificalium*, doctores creati in facultate canonice erecta aut collegio hoc privilegium habente (1). At privilegium deferendi annulum non aeque competit omnibus recensitis personis. Nam *a*) episcopi possunt annulum deferre sive in Missa aliisque ecclesiasticis functionibus (imo debent, *n. 418*), sive extra Missam et functiones ecclesiasticas ; sed de annulo episcopali vide *n. 733*. Idem repetas de protonotariis participantibus ; et etiam, ut putamus, de abbatibus cum usu pontificalium, cum in decreto an. 1659 de annulo mentio nullatenus fiat, et ideo nulla appareat restrictio (*n. 677*). *b*) Protonotarii ad instar et habentes usum insignium pontificalium possunt annulum cum unica gemma deferre tantum in Missa pontificali (*n. 678, 679*). *c*) Tandem omnes alii supra recensiti nequeunt annulum quemcumque gestare in Missa aliisque functionibus ecclesiasticis. Sufficiat nonnullas S. R. C. declarationes referre inter plures quae citari possent. In *Dalmatiarum, 4 Aug. 1663* (n. 2241), posito dubio : « 11° Utrum possint canonici cum annulo aureo, sed sine gemma seu aliqua effigie, Missam celebrare » ; S. C. reposuit : « Ad 11um : De rigore uti non debent ». In *Beneventana, 13 Sept. 1670* (n. 2514), ad dubium : « 2° Se le dignità e canonici possano portare l'anello con gioje, giacchè lo portano, anche quando celebrano ed assistono alle funzioni ecclesiastiche » (2) ; S.C. reposuit : « Ad 2um : Negative ». In *Hydruntin., 11 Apr. 1840* (n. 4882), eadem S. C. declaravit relato decreto in *Beneventana* annuli delationem in Missa vetitam esse omnibus sacerdotibus, etiamsi sint protonotarii titulares, dignitates et canonici cathedralis ; et in cit. *Hydruntin.* agebatur de annulo in genere, non autem de annulo cum gemma in specie. In *Senen., 30 Junii 1880* (n. 5878), posito dubio : « 7° An tolerari possit usus annuli in canonico doctore,

(1) Reiffenstuel, *lib. V Decret., tit. V, n. 6.*

(2) *Latine* : Num dignitates et canonici possint deferre annulum cum gemmis, quoniam illum jam deferunt, cum celebrant et assistunt ecclesiasticis functionibus ?

quando celebrat aut canit Missam » ; S. C. reposuit : « Ad 7um : Negative ». Tandem haec decreta rursus confirmavit eadem S. C. in *Neapolitana*, *12 Febr. 1892*, pro doctoribus, beneficiatis, canonicis et parochis, contrarias consuetudines abusus appellans. Et cum in *Piscien.*, *7 Martii 1894*, canonici putarent, non obstante decreto in *Neapolitana*, consuetudinem servari posse, eadem S. C. reposuit : « Standum esse omnino decreto supra citato ». Giraldi, *p. I, sect. 324, n.5*, putat S.R.C. relata responsione diei *4 Aug. 1663*, permisisse canonicis ecclesiae cathedralis usum annuli aurei sine gemma aut aliqua effigie tempore Missae ; sed id falsum esse apparet ex aliis ejusdem S. C. prohibitionibus.

453. Tandem ex relato *can. 13* concilii Romani (*n. 419*) patet sacerdotem non posse, baculo innixum, ad Missam celebrandam pergere ; et sacerdotem qui sine baculo nequit ad altare ire et stare, esse irregularem, diximus in nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione*, *n. 265*. Excipitur episcopus aliique qui habent usum baculi pastoralis ; sed de baculo pastorali vide infra *n. 734*.

424. 3° Rubrica Missalis, *De defectibus in celebratione Missae occurrentibus*, § *IX*, *De defectibus dispositionis corporis*, *n. 5*, docet : « Si praecesserit pollutio nocturna quae causata fuerit ex praecedenti cogitatione quae sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est (1) a communione et celebratione, nisi aliud confessario videatur. Si dubium est an in praecedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare et celebrare ; nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur (2) ». Similia jubent veteres canones poenitentiales. Clemens VIII in instructione super aliquibus Graecorum ritibus quae incipit *Presbyteri Graeci* haec habet : « Presbyter Graecus conjugatus ante sacrum

(1) Sub levi, recepta absolutione.
(2) Etiam in hoc casu celebrare licet ex justa causa.

sacrificium seu sanctam Missam celebrandam vel per hebdomadam vel per triduum abstineat ab uxore ».

425. 4° Tandem sacerdos debet a media nocte esse jejunus jejunio naturali. Necesse est ut fusius insistamus circa hanc jejunii naturalis legem, quae sumptionem sanctissimae Eucharistiae sive in celebratione Missae sive in simplici communione respicit.

426. Primis Ecclesiae temporibus lex jejunii naturalis ante Eucharistiae sumptionem non videtur adfuisse, ad exemplum Christi D. qui primam Missam celebravit, ac Apostolorum qui sanctam communionem receperunt post peractam paschalem coenam. Non solum enim in casu necessitatis Eucharistiam conficere et sumere poterat non jejunus, sed insuper Eucharistia aliquando conficiebatur et distribuebatur post agapas (*n. 6*, in nota) ideoque non jejunis, et etiam quando conficiebatur et distribuebatur ante agapas, si agapa sero celebrabatur, non est verosimile sacerdotem vel episcopum ac fideles fuisse jejunos. At extra casum necessitatis et agapas, jejunium naturale pro Eucharistiae sumptione sive in celebratione Missae sive in simplici communione, semper videtur fuisse custoditum. Unde S. Augustinus *Responsionum ad Januarium*, *cap. VI*, *n. 3*, relatus in *can. 54*, *dist. 2*, *De cons.*, in Decreto, docet hoc jejunium ubique terrarum servari et esse *ab Apostolis institutum*. Ut diximus cit. *n. 6* in nota, agapae brevi in desuetudinem abierunt. Concilium Hipponense (an. 393) *can. 37*, praescribens eucharisticum jejunium, tolerat illud non servari in agapa feriae V majoris hebdomadae, in memoriam institutionis Eucharistiae; quam exceptionem, ceteroquin fere obsoletam, deinde sustulit Concilium Constantinopolitanum (an. 692). Hoc modo lex jejunii naturalis pro sumptione sanctissimae Eucharistiae sive in Missa sive extra Missam evasit generalis et absoluta, uno excepto necessitatis casu : de quo infra. Haec lex gravis est, non admittens parvitatem materiae; et cum inducta sit propter reverentiam erga Christum D. sub speciebus sacramentalibus, qui eam violat, gravis sacrilegii reus est. Eam supponit etiam Innocentius III in *cap. 5*,

De celebratione Missarum, et recolunt Rubricae Missalis, *l. c.*, desumptae ex D. Thoma, *3 p., q. 80, a. 8, ad 5um*.

« 1° Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquae vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinae, et in quantacumque parva quantitate, non potest communicare nec celebrare.

« 2° Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat ; sed ob perturbationem mentis ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

« 3° Si reliquiae cibi remanentis in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae. Idem dicendum est, si, lavando os, deglutiatur stilla aquae praeter intentionem.

4° Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, et in ultima tantum percipiat purificationem ».

447. Haec lex urget a media nocte, ut diximus. Receptum est ut, inter plura horologia discordia, liceat sequi illud quod posterius horas indicat, quia, ait Sanchez, *De matrim., lib. II, disp. XI*, aequivalet doctori gravi reddenti opinionem probabilem, quam in praxi sequi possumus, nisi de errore horologii constet, aut horologium saepius erret. Sed num licet Missam celebrare aut sanctam recipere communionem, si aliquid cibi aut potus sumpsisti inter primum et ultimum horologii ictum ? Quaestio huc redit utrum primus, an ultimus horologii ictus indicit horam, in casu nostro mediam noctem. Sed vix aut ne vix quidem dubium est primum horologii ictum indicare horam : unde responsio negativa prono alveo fluit (1). At in dubio negativo, utrum transacta sit, necne, media nox, utrum post mediam noctem aliquid sumpseris, necne, etc., lex non urget (2). Num in computanda media nocte sequi possimus aut debeamus

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 282*, contra Salmanticenses, *De Euchar., cap. VII, n. 69*, aliosque.

(2) S. Alphonsus, *VI, n. 282*, cum aliis : *forte probabilius*. Doctrina autem Benedicti XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XII, n. 7*, nempe haec valere post Missae celebrationem ad efformandam conscientiam, non vero ante celebrationem, non videtur logica.

tempus medium ; et quomodo computanda sit media nox pro regionibus septentrionalibus polo nordico propinquis, vide *n. 105 sequ.* Ceterum determinato meridie, statim intelligitur media nox, seu melius hora aequivalens mediet*ati* nostrae noctis, nempe hora duodecima ante et post meridiem.

448. Porro ut jejunium naturale frangatur, necesse est ut aliquid, etsi minimum, *comedatur* vel *bibatur*, quia jejunium opponitur comestioni et potui. Hinc si aliquid in stomachum transiit, quin in communi loquendi usu comestum aut bibitum dicatur, jejunium non frangitur. Id verificatur :

449. *a*) Si quod in stomachum transit, provenit ab intrinseco. Proinde, e. g., jejunium non frangit qui deglutit, etiam ex industria, sanguinem e gengivis, vel naso, aut saniem ex pustula oris interius manantem (1). E contrario frangit jejunium qui in flumen demersus vel invitus aquam sumpsit, aut qui noctu in os misit saccharum et post mediam noctem aliquid trajecit, aut sanguinem e digito vel e naso exterius manantem, aut lacrymas ab oculis hausit et deglutivit. Quid si deglutivit ciborum reliquias quae in ore remanent ? Si id fecit involuntarie, certe non fregit jejunium : et huc saltem spectant Rubricae Missalis supra *n. 446* relatae. Si voluntarie, probabilis sententia negat pariter frangi jejunium (2) ; sententia communior, tutior, et omnino consulenda affirmat (3), licet in hoc scrupulose agendum non sit, ita ut « reliquiae a dentibus divulsae quae sensibiliter in lingua percipiuntur, equidem sint expuendae, non vero sit obligatio adhibendi diligentiam ad reliquias illas ex dentibus extrahendas, etiamsi praevideantur deglutiendae, si non extrahantur, et cum saliva deglutiantur ; alias enim haec obligatio esset innumeris scrupulis et perplexitatibus obnoxia, ad quod certe non praesumitur Ecclesiam voluisse obligare ». Ita S. Alphonsus, *l. c.* Eadem re-

(1) Alphonsus, *VI, n. 279* ; Suarez, *in 3 p. D. Thomae, disp. LXVIII, sect. IV, v. Quaeres.*

(2) Suarez, *l. c.*

(3) S. Alphonsus, *l. c.* ; Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio lib. III, cap. XII, n. 5* ; De Lugo, *disp. XVI, n. 36.*

petas de guttulis aquae, qua os abluitur, lactis, jusculi degustati, etc. : uti Rubricae Missalis superius relatae monent.

430. *b*) Si quod in stomachum transit, provenit quidem ab extrinseco, sed non transit in stomachum per actionem comestionis et potationis. Hinc. e. g., non frangit jejunium nec fumus, nec pulvis tabaci naribus attractus, licet in stomachum ex parte transmittatur. De legibus particularibus quae olim vetabant in nonnullis ecclesiis tabaci usum, vide Benedictum XIV, *De syn., lib. XI, cap. XIII, n. 1 sequ.* At infra Missarum solemnia tabaci pulverem naribus sumere, et multo magis fumum ore attrahere et rejicere, peccato non vacat, non quidem ratione jejunii, sed ob indecentiam. Sed num jejunium naturale frangit qui tabaci folium dentibus terit? Nonnulli affirmant, quia semper aliquid in stomachum trajicitur ; plerique probabiliter negant, quia id quod deglutitur praeter intentionem, habet rationem salivae, dummodo nil folii ejusdem deglutiatur. At hanc manducationem ante Missam aut sanctam communionem esse indecentem, ideoque a culpa levi non excusari, nisi aliqua subsit causa, evidens est. Haec repetas de aliis materiis quae forte per respirationem in stomachum transmittuntur, e. g., musca, pluvia, culix, etc. ; scilicet non solvunt jejunium, quia non transmittuntur per actionem comestionis et potationis. At *ex proposito* in stomachum aliquid transmittere per nares, respirationem, tubum, etc., moraliter et in communi aestimatione habet rationem comestionis et potus, ac proinde frangit jejunium (1).

431. Exinde solvi debet casus artificialis stomachi lavaminis. Sacerdos P. exposuit se medicorum consilio qualibet die stomachum artificialiter lavare. Prius post celebratam Missam lavabat : sed cum ipsi visum fuisset quasdam specierum sacramentalium nondum corruptarum partes inter detritus distinguere, licet lavamen duabus horis a Missae celebratione perficeret, abstinuit. Sed cum ex alia parte ipse nequiret post Missam diu expectare, petiit ut stomachum ante Missam lavare eidem permitteretur. S. C. S. Officii reposuit die *23 Apr. 1890* : « Supplicandum SSmo pro gratia juxta preces ». *Il Monitore Ecclesiastico, Ott.*

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 279, 280* ; De Lugo, *disp. XV, n. 36*.

1896, putat hoc lavamen jejunium non frangere, nisi forte tubus qui per gulam in stomachum immittitur, oleo inunctus sit. Huic opinioni minime subscribimus. Nam 1° obstat ratio allata; si quis, e. g., lac per tubum in stomachum immitteret ad nutrimentum, quis non diceret lac bibisse ? Secus nimis facile foret jejunii naturalis laborem evitare. Neque dicas eum qui hoc modo lac sumeret ad evitandum laborem jejunii naturalis, agere in fraudem legis; nam si lex nullo modo prohibet nutrimentum hoc modo sumptum ante Eucharistiae receptionem, ipse non agit in fraudem legis, sed utitur jure suo. Neque addas in stomachi lavamine aquam in stomachum immitti ut inde retrahatur; nam id non impedit quominus per immissionem jejunium naturale fractum sit; et praeterea aliquae guttae in stomacho profecto remanebunt. 2° Quidquid dicit optima ephemeris, verba S. C. sonant dispensationem a lege, ideoque legem vetantem subaudiunt.

432. *c*) Tandem si id quod in stomachum ab extrinseco transit per actionem comestionis aut potationis, non habet rationem cibi aut potus, seu non est digestivum. Hinc non frangit jejunium qui comedit capillos, ungues, metalla, ossa fructuum omnino depurata, etc., quia haec et similia non sunt digestiva. E contrario solvit jejunium qui comedit chartam, paleam, filum lineum, ceram, aut sumit medicinam, quia haec omnia sunt digestiva, seu a stomacho alterantur, licet non sint nutritiva.

433. Sedem Apostolicam, ipsamque solam, posse ab hac jejunii naturalis lege dispensare, evidens est; sed aliquando lex per se cessat, urgente potiori juri. De hujus legis dispensatione consule Benedictum XIV, *De Syn.*, *lib. VI*, *cap. VIII*; de dispensatione aut cessatione ejusdem legis pro sancta communione confer *n. 1128 sequ.* Modo videamus quandonam haec lex pro Missae celebratione cesset absque formali dispensatione.

434. *a*) Sacerdos qui in periculo mortis versatur et viaticum aliunde habere non potest, licite Missam celebrat ad viaticum sumendum (1). Hic casus, ut patet, vix practicus est. Sed numquid poterit sacerdos non jejunus sacrum facere,

(1) S. Alphonsus, *VI*, *n. 286*, cum communi.

ne infirmus careat viatico ? Communior sententia negat (1), quia ex una parte infirmus praecepto divino non tenetur ad viaticum recipiendum, quando illud non potest cum debita reverentia recipere et juxta ritum Ecclesiae ; et ex alia sacerdos adstringitur lege jejunii naturalis. Sententia minus communis, sed vere probabilis affirmat (2), quia Ecclesia viatici ministrationem praefert observantiae legis jejunii naturalis, et ideo sicuti observantiam hujus legis non urget pro infirmo, ita nec praesumitur urgere pro sacerdote in his extraordinariis circumstantiis. Ceterum cum haec sententia sit probabilis, sacerdos in praxi eam sequi poterit. S. Alphonsus hanc alteram sententiam uti certam habet in his circumstantiis vix practicis, nempe « si moribundus non posset sacramento poenitentiae vel extremae unctionis muniri ; nam eo casu Eucharistia poterit esse sacramentum necessitatis, ut ille ex attrito fiat contritus ». Quod si sacerdos non jejunus pro viatico ad infirmum deferendo deberet alteram celebrare Missam, sententia affirmativa specialem haberet difficultatem ; nam tunc duplex lex simul obstaret celebrationi Missae, nempe lex de non iteranda Missae celebratione et lex de non celebranda Missa, fracto jejunio naturali. Et si ratio ministrandi infirmo viaticum dispensat a singulis legibus, exinde per se non sequitur dispensare quoque a simul unitis. Igitur in hoc casu difficilius in praxi recedendum erit a prima sententia.

435. *b*) Quaeritur num sacerdos non jejunus celebrare possit ne populus careat Missa. Haec sola ratio non est sufficiens, quia populus aut aliam opportunitatem habet, aut certe non tenetur Missam audire. Si insuper adesset ratio scandali gravis, quia facile praevidetur gravis populi offensio et periculum gravis suspicionis et dicterii contra sacerdotem, haec ratio posset esse sufficiens. Sed in concreto hoc grave scandalum raro verificabitur ; quia si sacerdos populo jam congregato in ecclesia dicat se non esse jejunum, quia, e. g., in prima Missa sumpsit ablutiones, aut noctu paulu-

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XII, n. 8*; De Lugo, *l. c., n. 67 sequ.* ; S. Alphonsus, *l. c.*, citans plures alios.

(2) S. Alphonsus et De Lugo, *l. c.*, pro hac sententia plures referunt auctores.

lum aquae bibere debuit, et ideo non posse Missam celebrare, non apparet seria et fundata ratio scandali, praesertim si sacerdos non debebat Missam celebrare. Multo magis id illicitum videtur si sacerdos non jejunus deberet secundam celebrare Missam, ob rationem supra allatam. Benedictus XIV in const. *Significasti*, § *Quod si* (*Allegat. I*). refert statutum concilii Nemausani (an. 1284) quod id prohibet omnino : « Si omnes parochiani ad unam Missam simul non possint convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab ecclesia et remotis, sicut est in montanis, nec sunt in ecclesia duo sacerdotes, et, dicta prima Missa, postmodum parochiani venientes postulent Missam aliam sibi dici, poterit tum sacerdos Missam aliam celebrare. *Tamen si in prima Missa post receptionem Corporis et Sanguinis profusionem acceperit, non debet secundam Missam in praedictis casibus celebrare* ». Exinde sequitur in casu sacerdotem non jejunum non posse alteram celebrare Missam ob periculum ne, hac Missa deficiente, complures culpabiliter negligant ad aliam audiendam Missam se conferre : quod Lehmkuhl, *l. c.*, *n. 162*, videtur admittere.

436. *c*) Si sacerdos ante consecrationem recordatur se non esse jejunum, si exinde nullum periculum suspicionis, diffamationis et scandali timeri potest, e. g., quia sacerdos solus cum ministro rei bene conscio celebrat, recedere debet ; secus potest aut etiam debet pergere. Si post consecrationem, pergere omnino debet, quia lex divina perficiendi sacrificium praevalet. Haec eadem ratio a lege jejunii dispensat in sequentibus casibus, quos Rubricae Missalis, *De defectibus in celebratione Missae occurrentibus*, § *3*, *De defectu panis*, enumerant : « 5° Si id adverterit (sacerdos hostiam esse corruptam aut non esse triticeam) post consecrationem, etiam post illius hostiae sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis : *Qui pridie quam pateretur*, et illam priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel aliis sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam quam consecravit, quia praeceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod a jejunis suma-

tur ; 6° Quod si hoc contingat post sumptionem sanguinis, apponi debet rursus novus panis et vinum cum aqua ; et, facta prius oblatione, ut supra, sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis : *Qui pridie*, ac statim sumat utrumque et prosequatur Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum et ut debitus servetur ordo ». Et infra § *4, De defectu vini* : « 5° Si hoc advertat (sacerdos vinum non fuisse positum in calice, sed aquam) post sumptionem corporis vel hujusmodi aquae, apponat aliam hostiam iterum consecrandam et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque et consecret et sumat, quamvis non sit jejunus. Vel, si Missa celebratur in loco publico ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et, facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere et prosequi cetera ; 6° Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum vel alias corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice ».

437. *d)* Si metu mortis sacerdos non jejunus cogitur celebrare, celebrans non peccat, dummodo celebratio non exigatur in contemptum religionis, Ecclesiae et praeceptorum ejus. Id plures doctores admittunt, nec reprehendit S. Alphonsus, *VI, n. 289*, licet adaequate explicare deinde non valeat curnam ex metu mortis celebrare non liceat sine vestibus sacris.

438. In sacerdotem qui non jejunus celebrat praeter casus necessitatis supra relatos, poenae latae sententiae in jure statutae non sunt ; at gravissimum sacrilegii peccatum superior ecclesiasticus plectere potest et debet poenis quas opportunas judicaverit. Utrum infamiam et exinde irregularitatem contrahat, vide nostrum *Tractatum canonicum de sacra ordinatione, n. 318*, ubi citavimus responsionem S. C. C. in *Toletana, Irregularitatis, 25 Jan. 1772*.

§ 2. — *Ex parte animi.*

439. Dispositiones ex parte animi necessariae ut sacer-

dos licite offerat eucharisticum sacrificium, ad sequentes revocari possunt :

1° In primis requiritur ut sacerdos immunis sit a quacumque censura, irregularitate et impedimento simplici quo ab exercitio ordinis presbyteralis impediatur. Ad rem Rubricae Missalis, *De defectibus in celebratione Missae occurrentibus*, § *VIII*, *De defectibus dispositionis animae*, *n. 1* : « Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis vel alias canonice impeditus celebret, conficit quidem sacramentum, sed gravissime peccat tum propter communionem quam inique sumit, quum propter executionem ordinum quae sibi erat interdicta ». Insuper innodatus censura vel homonyma poena, celebrans Missam, contrahit irregularitatem. Haec omnia fusius habes explicata in nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione*, *n. 353 sequ.* Quid vero si sacerdos, dum est in altari, recordatur se censura aut homonyma poena, irregularitate vel simplici impedimento detineri ? Praescindimus a peccato mortali quo forte maculatur. Jamvero si recordatur post consecrationem, pergat ; si ante consecrationem, si nullam scandalum rationabiliter timeri potest, recedat ; sed in praxi hoc scandali periculum fere semper aderit, et tunc pergat, quia Ecclesia in his circumstantiis suam prohibitionem non urget. Idem repetas si sacerdos id recordatur paulo ante Missam, a qua tamen sine magno fidelium scandalo abstinere nequit.

440. 2° Debet esse in statu gratiae, secus immane sacrilegium committit, imo juxta nonnullos duplex aut etiam triplex una simul ; de qua re vide citatum nostrum *Tractatum*, *n. 1145.* « Indignum, ait Benedictus XIV, const. *Etsi pastoralis*, *VII Kal. Julii 1742*, § *VI*, *De sacramento Eucharistiae et Missae sacrificio*, *n. 1*, et auribus plane horrendum est ut qui animam habet aliquo scelere foedatam, Sanctum Sanctorum impuris manibus contrectet, et placare Deum attentet, qui in peccato existens, ipsius Dei furorem et iracundiam provocat ». In *cap. 7*, *De celebratione Missarum*, agitur de presbytero qui cum conscientiam peccato mortali gravatam haberet, ad evitandum sacrilegium per-

egit quidem omnes Missae caeremonias, sed verba consecrationis non protulit. Innocentius III sapienter respondet : « Licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud praesumpserit simulare, cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste vero non solum Deo (cui non veretur illudere) sed populo quem decipit, se astringat ».

441. Qui in peccato mortali reperitur, pro licita Missae celebratione satis non est ut actum perfectae contritionis eliciat, sed debet praemittere sacramentalem confessionem. Id tradit Conc. Trid., *sess. XIII*, *cap. VII*, his verbis : « Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas caelestis hujus sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini*. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus praeceptum : *Probet seipsum homo*. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat ; quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris : quod si, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur ». Deinde Concilium sub *can. XI*, eamdem doctrinam confirmat et sanctione munit : « Et ne tantum sacramentum indigne atque in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus illis quos scientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium

docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat ». Hinc Rubricae Missalis, *l. c.* : « 2° Si quis, habens copiam confessarii, celebrat in peccato mortali, graviter peccat ».

442. Quaeri solet utrum haec lex qua illis qui in peccato mortali reperiuntur, praecipitur sacramentalis probatio ante Eucharistiae sumptionem, sit humana, an divina. Communis et vera sententia est hanc legem esse divinam : nam lex divina praecipit probationem in genere ante Eucharistiae sumptionem : *Probet seipsum homo* ; insuper eadem lex divina praecipit probationem per sacramentalem confessionem in specie, quia ex Conc. Trid., *l. c.*, ecclesiastica consuetudo *declarat* (igitur non *statuit*) eam probationem esse necessariam, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat, extra casum necessitatis et extante copia confessoris (1).

443. Certum non est hanc legem confessionis praemittendae comprehendere et casum quo quis peccata confessus et absolutus, unum peccatum bona fide in confessione praetermisit, cujus meminit ante Eucharistiae sumptionem. Antiquorum theologorum communissima sententia erat etiam in hoc casu esse praemittendam sacramentalem confessionem, ob illa Conc. Trid. verba : « Ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere audeat ». Sed sententia contraria S. Alphonso, *VI, n. 257*, cum aliis, videtur omnino rationi consentanea. Nam in decreto Tridentino id unum exigitur, nempe ut qui peccatum mortale commisit, ad Eucharistiam accedat justificatus non per simplicem contritionis perfectae actum, sed per sacramentalem confessionem : atqui id in casu verificatur, cum et peccatum in confessione omissum indirecte per sacramentalem absolutionem remissum sit. In casu quis non est *sibi conscius mortalis peccati* actualiter

(1) De Lugo, *De Euchar., disp. XIV, n. 69 ;* Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXVI, sect. III* ; S. Alphonsus, *VI, n. 256.*

animam maculantis, de quo loquitur Tridentinum. Neque in hoc casu sumptioni Eucharistiae debet necessario praemitti actus contritionis perfectae, cum, ut dictum est, peccatum omissum sit remissum, saltem indirecte, per sacramentalem confessionem.

444. Quid vero si quis dubitet num peccatum mortale commiserit? teneturne ante Eucharistiae sumptionem ad sacramentum poenitentiae accedere? In primis communiter ex aliis circumstantiis, habituali statu et praesumptione moralis quaedam certitudo de peccato mortali commisso aut non commisso adest, et secundum illam obligatio confessionis urgenda est vel non. Quod si fundatum dubium remanet, in genere confessio sacramentalis consulenda est, sed non imponenda. Diximus *in genere*; quia ex una parte si agitur de homine scrupuloso et nimis timorato, ejusmodi dubia sperni debent, imo quandoque nec ejus confessio est admittenda; ex alia parte, si agitur de ordinariis fidelibus qui sibi rationem reddere et conscientiam efformare nesciunt, confessio est potius exigenda. Ceterum qui dubius de peccato mortali accedit ad Eucharistiae sumptionem, non praemissa sacramentali confessione, debet praemittere, quantum potest, actum contritionis perfectae (1). E contrario si quis certus est de peccato mortali commisso, sed, omnibus inspectis circumstantiis, serio dubitat num illud confessus sit, vel rite confessus; item si peccatum dubium confessus est uti dubium, et modo apparet esse certum, juxta plures tenetur praemittere confessionem (2); sed haec doctrina in ultimo casu minime certa est, quia ipse peccatum dubium confessus est et absolutionem obtinuit veluti conditionate in hypothesi quo peccatum reipsa commissum fuerit.

445. Porro qui peccatum mortale commisit, ex ipsomet Conc. Trid. excusatur a lege praemittendae confessionis, si haec duo simul concurrant; nempe desit copia confessarii, et urgeat necessitas celebrandi Missam aut recipiendi sanctam communionem; in hoc autem casu, ad evitandum sa-

(1) Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, *vol. II*, *n. 150.*
(2) S. Alphonsus, *VI*, *n. 473 sequ.*; Scavini, *Theol. Mor.*, *vol. III*, *n. 360.*

crilegium, debet praemittere actum contritionis perfectae, qui semper est possibilis, cum ex una parte serium conatum adhibenti Deus gratiam suam, instante necessitate, non deneget, et ex alia non agatur de actu, comitante divina gratia, adeo difficili et longo, nec necessaria sit omnimoda certitudo, sed prudens opinio seu persuasio contritionis factae (1).

446. Ad primum quod attinet, confessarii copia deesse censetur non quidem si consueti confessarii facultas desit, sed si nullus confessarius approbatus adiri possit, aut si confessarius approbatus adiri non possit sine nimia difficultate. Id verificatur in primis si confessarius est nimis distans, quod varie metiri debet ex personis, tempore, locis et aliis rerum adjunctis, quibus interdum vel sola quinquaginta passuum distantia poterit excusare (2), e. g., si sacerdos celebraturus est, populo jam expectante in ecclesia. Si vero desint speciales circumstantiae quae difficultatem augeant, distantia unius horae vel unius cum dimidio censetur sufficiens ut copia confessarii dicatur deesse. Id verificatur etiam si confessarius adest, sed nolit confessionem audire; aut adest et vellet confessionem audire, sed non potest vel facto, quia, e. g., est surdus aut ignorans linguam poenitentis, vel jure, quia, e. g., est suspensus, vel non approbatus. Quid vero si confessarius non est approbatus pro peccatis reservatis, et poenitens habet reservata et non reservata? Communissima sententia est praeceptum praemittendae confessionis urgere; poenitens autem potest confiteri sola peccata non reservata quae directe remittuntur per absolutionem, dum cetera reservata remittuntur indirecte (3). Eadem repetantur, si poenitens habet excommunicationem reservatam (4). Item id verificatur si confessarius est praesens, vult et potest confessionem audire, sed poenitens nequit illum adire sine periculo magni incommodi, scandali, diffamationis. Adest periculum magni in-

(1) Lehmkuhl, *l. c.*, *n. 152*.
(2) S. Alphonsus, *VI*, *n. 264*; D'Annibale, *Summula etc.*, *vol. III*, *n. 408*, *not. 4*.
(3) S. Alphonsus, *VI*, *n. 265*, *266*.
(4) S. Alphonsus, *l. c.*

commodi, si poenitens, e. g., rationabiliter timet « revelationem sigilli, vel malum grave a confessario inferendum ; tunc tamen debet poenitens confiteri alia peccata mortalia, si quae habet, omissis illis propter quae timet sibi tale detrimentum ». Ita De Lugo. *De sacram. Euchar., disp. XIV, n. 82.* Lehmkuhl. *Theol. Mor., II, n. 151*, censet : « Difficultas autem illa numquam excusat quae confessioni quodammodo intrinsecus inhaeret, neque ulla repugnantia contra hunc vel illum confessarium ; sed sola ea difficultas attenditur quae confessioni est prorsus extranea, ut nimia confessarii distantia, poenitentis infirmitas, necessaria occupatio ».

447. Quoad alterum, necessitas celebrandi Missam aut recipiendi Eucharistiam debet esse gravis, quia versamur in materia gravi. Hinc ex parte sacerdotis celebraturi a praecepto praemittendae confessionis non excusat ratio recipiendi stipendium, nisi paupertas sacerdotis esset valde gravis, lucrandi indulgentias, etc. At necessitas gravis esset, si, non celebrata Missa, infirmus careret viatico : quod omnes admittunt. Item si, non celebrata Missa, populus die festo Missa careret ; quod certum est, si sacerdos est parochus, secus est probabile. Item si, non celebrata Missa, sacerdos non impleret praeceptum communionis annuae, aut Missam non audiret die festo : quae probabilis sententia est. Item si, non celebrata Missa, adesset periculum scandali aut diffamationis : quod non imaginario timore, sed fundata prorsus ratione dijudicari debet. Ex parte laici communicaturi haec necessitas verificatur, si, non recepta communione, adesset periculum scandali vel diffamationis : item si communio necessaria esset ad sacram Eucharistiam salvandam e manibus impiorum.

448. Ex dictis sequitur in praxi sacerdotem qui, Missa incepta, recordatur peccati mortalis commissi, aut peccatum mortale committit, non teneri lege confessionis praemittendae et posse pergere cum solo actu contritionis perfectae ; nam ex una parte, ipse nequit sine periculo scandali vel diffamationis confessarium adire, licet hic sit praesens, vellet et posset ipsum audire, ideoque ipsi deest moraliter

copia confessarii ; ex alia autem parte ipse nequit sine periculo scandali vel diffamationis Missam interrumpere, etsi nondum ad consecrationem pervenerit, et ideo versatur in necessitate celebrandi. Quod si consecrationem peregit, ipse nequit recedere, etiam jure divino quod praecipit sacrificium perficere. Distinctiones quas auctores passim habent hac de re, sunt potius theoreticae quam practicae ; et quod diximus de sacerdote celebrante, applica, servatis servandis, laico communicanti, qui dum scamno communicantium coram aliis assidet, recordatur peccati mortalis, vel peccatum mortale committit. Rubricae Missalis, *l. c.*, *n. 4*, *sequ.*, haec habent : « 4° Si in ipsa celebratione Missae sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi et satisfaciendi. 5° Si recordetur se esse excommunicatum vel suspensum aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere ».

449. Sacerdoti qui, non habens copiam confessarii, necessitate urgente, Missam celebravit, non praemissa sacramentali confessione, Conc. Trid., *l. c.*, praecipit ut *quam primum* confiteatur. Alexander VII sub. *n. 38*, damnavit hanc propositionem : *Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi* QUAM PRIMUM *est consilium, non praeceptum.* Si autem quaeras quomodo intelligendum sit illud *quam primum*, respondemus eumdem Alexandrum VII sub *n. 39*, damnavisse hanc aliam propositionem : *Illa particula* QUAM PRIMUM *intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.* Communiter autem doctores putant satis esse, si sacerdos confiteatur infra triduum, quia haec lex est tantum ecclesiastica et non praesumitur Ecclesiam velle illam urgere cum tanto rigore, praesertim cum eadem particula *quam primum*, *statim*, *continuo*, alias in jure eadem benigna interpretatione intelligatur (1). At per accidens sacerdos potest obligari ad confitendum ipso die et forte eadem hora,

(1) S. Alphonsus, *VI*, *n. 266*, cum aliis.

puta si tunc confessarium haberet, quo postea per plures dies careret, vel si cras eadem necessitas urgeret celebrandi, nec posset confiteri. Si vero infra triduum copia confessarii quae habebatur, deficiat, et rursus celebrandi necessitas urgeat, sacerdos rursus excusabitur.

450. Hoc praeceptum confitendi *quam primum*, mere ecclesiasticum, a Conc. Trid. impositum, non afficit laicos, qui non habentes copiam confessarii, urgente necessitate, sacram communionem receperunt, quia evidenter Tridentinum loquitur tantum de sacerdote celebrante. Hinc nec afficit sacerdotem communicantem more laicorum; imo probabilius nec sacerdotem celebrantem Missam *Praesanctificatorum*, quae Missa in stricto sensu non est. Ex communi sententia haec lex nec afficit sacerdotem qui, post peccatum mortale, habens copiam confessarii et necessitate minime coactus, sacrilege celebravit (1), cum verba Tridentini ad ipsum non spectent. At hic sacerdos tenetur profecto confiteri ante celebrationem futurae Missae. Tandem probabiliter haec lex nec afficit sacerdotem qui, dum Missam celebrat, recordatur peccati mortalis, cum Rubricae Missalis *n. 448* relatae illud *quam primum* non habeant.

451. 3° Ulterius sicuti laicus frequenter communicans, praeter statum gratiae, debet habere habitualem moralem perfectionem eo majorem quo communio est frequentior, de qua re in *cap. ult.*, ita sacerdos Missam celebrans ; imo quo excelsius est sacerdotis celebrantis officium, eo excelsior esse debet ejus sanctitas. Si in V. T. in quo nostri sacrificii umbra et typus erat, a sacerdotibus vitae puritas requirebatur ut vasa sacra portarent: *Mundamini qui fertis vasa Domini* (*Ps. LII, 1*), quanto mundiores N. T. sacerdotes esse oportet? At a peccato veniali irreverentiae ob defectum hujus moralis perfectionis longe facilius sacerdos celebraturus excusatur, eo quod publicum munus ad communem Ecclesiae utilitatem gerit : imo propter hanc ipsam rationem publicae et communis utilitatis suadendum omnino est, ut cum minori animi puritate potius celebret, quam ut sacrum omittat, modo tamen pro sua parte aliquatenus in-

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 266.*

cumbat in puritatem non a solis mortalibus, sed etiam a levioribus culpis conservandam, vel quantocius sibi restituendam (1). Exinde sequitur sacerdotem cum pari dispositione posse frequentius celebrare, quam laicum communicare, quia defectus personalis puritatis compensatur publico munere et majori obligatione quam ex officio habet, offerendi sacrificium ; puritas et sanctitas Ecclesiae cujus minister est, ejus defectum quodammodo supplet atque ipsum Deo reddit magis acceptum. At sacerdos communiter facilius etiam vincere potest dispositionis defectum, cum ex statu suo et quotidianis laboribus separatus sit a saecularibus curis, et spiritualibus rebus sit intentus. Quod si periculum irreverentiae et negligentiae ex frequenti celebratione oritur, expedit ut celebratio interrumpatur, et sacerdos sese colligat et ad majorem reverentiam et devotionem disponat (2).

452. 4° Tandem necesse est ut sacerdos celebraturus, sicuti laicus communicaturus, actuales emittat actus fidei, amoris, doloris, humilitatis, aliosque similes : quod obtinet praeparatione. Praeter animi puritatem et perfectionem, de qua supra, praeparatio ad Missam alia est remota, alia proxima.

Praeparatio remota consistit in praevia recitatione matutini cum laudibus : hinc Rubrica Missalis, *De defectibus in celebratione Missae occurentibus*, § *10*, inter *defectus in ministerio ipso occurrentes*, recenset : « Si celebrans saltem matutinum cum laudibus non dixerit ». Vide etiam ejusdem Missalis Rubricam, *Ritus servandus in celebratione Missae privatae*, § *1*, *De praeparatione sacerdotis celebraturi*, infra citandam ; et Rubricam relatam *n. 99*. Romani Pontifices saepe hoc praeceptum repetierunt sive pro Occidentali sive pro Orientali Ecclesia ; ita, e. g., Benedictus XIV in const. *Etsi pastoralis*, *VII Kal. Julii*, *1742*, § *V*, *De sacramento Ordinis*, *n. 5* : « Sacerdotes... priusquam Missam celebrent, officium matutinale recitare curent ». Grave profecto est celebrare Missam conventualem, antequam officium nocturnum, idest matutinum cum laudibus, fuerit a cano-

(1) Lehmkuhl, *l. c.*, *n. 157.*
(2) Lehmkuhl, *l. c.*, *n. 193* ; De Lugo, *disp. XVII*, *n. 45.*

nicis in choro solemniter persolutum ; de qua re vide infra *n. 633*. Celebrare autem Missam privatam ante privatam recitationem matutini cum laudibus, juxta nonnullos est peccatum grave ; juxta alios nullum est peccatum, quibus non obscure assentitur Ballerini ad Gury, *II, n. 381, 382* ; tandem juxta sententiam hodie communiter receptam est peccatum, sed leve, a quo mediocris causa totaliter excusat, e. g., si dans eleemosynam postulet ut Missa statim celebretur, si expectet populus aut aliqua persona gravis, si superior praecipiat, tempus celebrandi transeat, instet commoditas studii, itineris et similia (1). Id verum est, etsi sacerdos habitualiter absque ulla causa recitationem matutini cum laudibus ante Missae celebrationem praetermittat, licet in casu peccatum veniale gravius sit ; et contraria sententia Benedicti XIV, *l. c.*, putantis habitualem praetermissionem secumferre peccatum mortale, posthaberi potest.

Praeparatio autem proxima consistit in oratione per aliquod tempus ante Missae celebrationem. Unde Rubricae Missalis, *Ritus servandus in celebratione Missae privatae*, § *1*, *De praeparatione sacerdotis celebraturi*, tradunt : « Sacerdos celebraturus Missam, praevia confessione sacramentali, quando opus est, et saltem matutino cum laudibus absoluto, *orationi aliquantulum vacet*, et orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat ». Exinde patet has orationes Missalis non esse obligatorias. Oratio igitur praemittenda celebrationi Missae remittitur arbitrio sacerdotis ; sed nisi causae extraordinariae et inculpabiles aliud exegerint, valde reprehendendus esset sacerdos qui, a profanis occupationibus vel e lecto surgens, accedit ad altare, quin prius aliquo temporis spatio mentem ad Deum elevet, recogitans suam indignitatem, bonitatem Dei et tremendam sacrificii eucharistici majestatem. S. Alphonsus quoties de hac praeparatione loquitur, non sufficere repetit sacerdotem aliquas preces ex libro dicere, sed ante omnia orationi mentali, saltem per quartam horae partem,

(1) Benedictus, XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XIII, n. 4* ; S. Alphonsus, *VI, n. 347*, Lehmkuhl, *l. c., n. 219* ; Gury, *l. c.*, aliique passim.

praesertim de passione Domini, incumbere debere (1). Tandem instante Missae celebratione, sacerdos efformet intentionem pro Missae applicatione, et, ad vanas conversationes minime divergens, mentis oculos defixos habeat in sacrificium quod jamjam oblaturus est. S. Laurentius Justinianus, *Serm. De Corp. Christi*, haec habet : « Accedat sacerdos ad altaris tribunal ut *Christus*, assistat ut *angelus*, ministret ut *sanctus*, populorum offerat vota ut *pontifex*, interpellet pro pace ut *mediator*, pro se autem exoret ut *homo*. Eximia sunt haec et admiratione dignissima quae solum hominibus congruunt ambulantibus in spiritu, sanctificatis corde et praeelectis a Domino ».

SECTIO II

De intentione sacerdotis.

Articulus I

De intentione sacerdotis pro validitate consecrationis.

453. In nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione, n. 966*, breviter exposuimus doctrinam generalem de intentione ministri pro valida sacramentorum confectione ; quae doctrina applicari etiam debet sacerdoti Missam celebranti, quia sacerdos, dum consecrat, offert quidem sacrificium, sed simul conficit sacramentum.

454. Ex hac doctrina sequitur in primis pro validitate consecrationis requiri in sacerdote intentionem *faciendi quod facit Ecclesia,* idest consecrandi seu conficiendi corpus et sanguinem D. N. J. C., et non sufficere, absque hac intentione, intentionem serio ponendi ritum seu pronuntiandi verba. Dummodo vero habeatur illa intentio faciendi quod facit Ecclesia, non requiritur alius actus voluntatis explicitus *offerendi sacrificium*, *conficiendi sacramentum*, *faciendi quod facit Ecclesia Romana*, *reddendi praesen-*

(1) S. Alphonsus, *La Messa strapazzata, p. I, § I ; Apparecchio alla Messa, Introd.*

tem Christum D. sub speciebus sacramentalibus, convertendi substantiam panis et vini in corpus et sanguinem Christi, etc., quia haec omnia continentur in generaliori voluntate faciendi in consecratione quod facit Ecclesia Christi, licet optandum sit quod sacerdos magis explicitam habeat intentionem. Imo consecratio valet etiam in casu quo sacerdos consecrans intendit quidem facere in consecratione quod facit Ecclesia, sed simul putat *verba consecratoria inania esse, Missâ non offerri sacrificium, Christum D. non fieri praesentem sub speciebus sacramentalibus, Ecclesiam Romanam non esse veram Ecclesiam Christi*, etc., quia in casu est unicus voluntatis actus faciendi quod facit Ecclesia Christi in consecratione, quem non destruit error concomitans. E contrario consecratio foret nulla, si sacerdos consecrans, intendens facere in consecratione quod facit Ecclesia, simul actu positivo mentis dicat : *Sed nolo his meis verbis offerre sacrificium, conficere sacramentum*, etc., quia hoc in casu in mente sacerdotis forent duo actus voluntatis positivi et contrarii quorum posterior priorem destruit, vel potius qui mutuo eliduntur, et ideo sacerdos revera non vult facere in consecratione quod facit Ecclesia. Quod si sacerdos actu positivo voluntatis non dixit : *Sed nolo his meis verbis offerre sacrificium, conficere sacramentum*, etc., quia de hoc non cogitavit, sed dixisset profecto, si cogitavisset, consecratio valet, quia hic actus voluntatis interpretativus in rerum natura numquam extitit et ideo recidimus in praecedentem casum erroris mere concomitantis.

455. Praeterea ex eadem doctrina sequitur ad validitatem consecrationis non sufficere intentionem de qua supra, *habitualem* : unde consecratio est nulla si sacerdos, dum verba profert, usum rationis non habet, e. g., quia amens, ebrius, dormiens est, licet antea habuerit usum rationis et intentionem non retractatam celebrandi Missam. Proinde pro validitate consecrationis requiritur in sacerdote intentio aut *actualis* aut saltem *virtualis*. Quamquam vero intentio virtualis sufficiat pro validitate consecrationis, tamen curare debet sacerdos ut actualem, quantum potest, habeat tum in aliis Missae caeremoniis, tum praesertim momento

consecrationis. Ad rem Rubricae Missalis, *De defectibus in celebratione Missae occurrentibus*, § *VII*, *De defectu intentionis* : « 4° Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad altare intendat facere quod facit Ecclesia, conficitur sacramentum, etsi curare debeat sacerdos ut etiam actualem intentionem adhibeat ». Distractio voluntaria in aliis Missae partibus peccatum veniale non excedit ; S. Alphonsus, *VI, 14*, probabile putat distractionem voluntariam in confectione Eucharistiae, idest in consecratione, esse peccatum mortale, dum alii censent etiam hanc voluntariam distractionem esse veniale. Quae cum ita sint, peccatum mortale urgendum non est, ita ut obligatio non sit hanc distractionem accusandi in confessione ; sed eamdem enixe vitare debemus, praesertim per sedulam praeparationem. Distractionem involuntariam nullum peccatum secumferre, evidens est ; at si sacerdos ideo has distractiones involuntarias patitur, quia praeparationem debitam neglexit, eae distractiones forent eidem imputabiles aliquo modo, scilicet in causa.

456. Haec in theoria satis clara ac certa sunt ; sed deinde, dum volumus theoriam praxi applicare, non leves difficultates occurrunt, quia non semper de existentia aut non existentia actualis vel virtualis intentionis in sacerdote constat.

457. Ut aliquem casum practicum ad examen revocemus, quaeritur in primis utrum guttae vini calici adhaerentes sint consecratae, necne. Nisi aliud constet, guttae externae non sunt consecratae, quia intentio sacerdotis, verba proferentis super calicem, ad easdem certe non dirigebatur ; at si sacerdos de facto voluit illas consecrare, essent dubio procul consecratae. De guttis autem internis maxime variant doctores, alii negantes eas consecrari, alii affirmantes, alii affirmantes de propinquioribus, negantes de remotioribus. Quaestio huc redire debet, utrum scilicet sacerdos, intendens consecrare vinum, in hac sua intentione includat illas guttas, necne. Nisi aliud constet, nobis videtur pure et simpliciter affirmandum, quia intentio sacerdotis dirigitur ad totum vini quod est in calice super quem verba profert :

Hic est calix, etc. Ceterum si sacerdos illas guttas advertit ante consecrationem, vicinas admisceat, remotas abstergat (1). Nonnulli auctores suadent ut eae positive excludantur ab intentione, et tunc certe non essent consecratae ; vel positive includantur, et tunc certe essent consecratae ; sed melius est ut abstergantur ante consecrationem.

458. Rubricae Missalis, *l. c.*, haec habent : « 1° Si quis non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere ; item si aliquae hostiae ex oblivione remaneant in altari vel aliqua pars vini vel aliqua hostia lateat, cum non intendat consecrare nisi quas videt ; item si quis habeat coram se undecim hostias et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit ; in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio (2). Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare quas coram se habebat ; nam tunc omnes erunt consecratae ; atque ideo quilibet sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes quas ante se ad consecrandum positas habet ». Ex dictis solvi potest casus quo sacerdos, proferens verba consecratoria, putat esse unam hostiam, dum sunt duae. Nam si hostias prae manibus habet, ambae sunt consecratae, quia, nisi aliud constet, dicendum est ipsum voluisse consecrare id quod prae manibus habet. Si hostias non prae manibus, sed prae oculis tantum habet, consecratio hostiae quam videt, certa est ; alterius est dubia, quia probabilius voluit consecrare quod illic est, sed dici etiam potest voluisse consecrare quod prae oculis est.

459. Ciborium extra corporale positum (in genere materia extra corporale) valide consecratur, dummodo debitam sacerdos habeat intentionem ; non enim praesentia materiae in corporali necessaria est ad validitatem consecrationis. Si sacerdos scienter consecrat ciborium ex negli-

(1) Scavini, *tom. III, n. 278*, citat etiam responsionem S. R. C., *7 Sept. 1716* ; sed haec responsio in collectione Gardelliniana non reperitur.

(2) Sed si determinat decem hostias quas vult consecrare et undecimam quam vult non consecrare, decem illae forent consecratae, haec undecima non foret consecrata.

gentia relictum extra corporale, consecratio est graviter peccaminosa; si ex errore, e. g., quia illud assumpsit et in corporali supra sacrum lapidem collocare putavit, licet de facto ciborium extra corporale remanserit, consecratio est quoque sine culpa. Quid vero si sacerdos praecedenter formavit intentionem non consecrandi id quod est extra corporale, aut in genere id quod non est licite consecrabile? Si sacerdos scienter consecrat ciborium extra corporale, consecratio est valida, etsi graviter illicita, quia sacerdos praecedentem intentionem revocat vel explicite, si, dum consecrat, illius memor est, vel implicite, si immemor. Si ex errore consecrat ciborium extra corporale, putans illud esse in corporali, censemus consecrationem ad minus dubiam esse, quia vi praecedentis intentionis, virtualiter perdurantis, intentio sacerdotis dum consecrat, est conditionata: *Intendo consecrare ciborium, si est in corporali*; quae conditio non verificatur. In simili casu, quoad matrimonium, vide quae diximus in nostro *Tractatu canonico de matrimonio, n. 868 sequ.* Proinde ad anxietates de ciborii consecratione evitandas non expedit ut sacerdos formet negativam intentionem: *Non intendo consecrare materiam, si non est in corporali*; sed potius, absque illa intentione, attente caveat ut Rubricas sedulo servet. Similia disputari et repeti possunt de consecratione ciborii clausi momento consecrationis, de consecratione ciborii super corporale non benedictum, de consecratione sanguinis in calice non consecrato, etc.

460. Quaeritur num sint consecratae parvae hostiae in ciborio, si sacerdos, verba consecratoria proferens super magnam hostiam, ciborium non advertit et de illo ne cogitavit quidem. Quaestio huc redit, utrum sacerdos habuerit, necne, virtualem intentionem consecrandi parvas hostias; quod quidem ex circumstantiis definiri debet et aliunde definiri omnino non potest. Distinguamus in primis utrum ciborium in corporali reperiatur, an extra corporale.

461. Si ciborium est in corporali, in genere de hostiarum consecratione dubitandum non est. Nam sacerdos illud advertit, praesertim tempore offertorii, et, illud advertens,

habuit intentionem consecrandi, et ideo consecratio valida est, etsi momento consecrationis illius non meminerit, aut illud ad oblationem non detexerit. Ut patet, haec solutio duplici innititur facto, nempe sacerdotem ciborium in corporali positum advertisse, et, dum illud advertit, habuisse consecrandi intentionem ; quod duplex factum plerumque quidem verificabitur, sed potest etiam non verificari. Videamus quid juris, si alterutrum defuit.

462. In primis dari potest casus, quo sacerdos ciborium cum parvis hostiis in corporali positum materialiter advertit, e. g., tempore offertorii, sed distractus de eodem consecrando ne cogitavit quidem, et ita consecrandi intentionem non habuit. Hoc in casu putamus consecrationem esse certe invalidam, quia ad ejus validitatem non sufficit simplex advertentia quae est actus intellectus, sed requiritur intentio quae est actus voluntatis ; et licet sacerdos, ciborium in corporali positum advertens, plerumque hanc intentionem habuisse dicendus sit, tamen si de facto illam non habuit, praesumptio defectum intentionis nequit supplere.

463. Difficile est quod sacerdos ciborium in corporali positum non advertat, nec offertorii tempore ; sed facile est quod non advertat parvas aliquas hostias, super corporale positas, sine ciborio ; de quibus tamen, ut supra diximus, eadem quaestio est.

Jam vero si ciborium cum parvis hostiis (aut parvas hostias sine ciborio) ipse sacerdos posuit in corporali, aut jussit ad altare deferri, de consecrationis validitate dubitari non potest, etsi sacerdos deinde de ciborio consecrando non amplius cogitaverit illudque non adverterit. Ratio est quia patet sacerdotem habuisse consecrandi intentionem, quae actu quoque externo manifestata est quaeque virtualiter perseverat, dum sacerdos verba consecratoria profert.

Idem in genere repetendum est, si sacerdos ipse nec posuit ciborium super corporale, nec jussit afferri, sed ante sacrificium monitus fuit de consecrando ciborio jam super corporale posito, vel aliquo modo advertit ciborium ab aliquo afferri ad altare ut consecretur ; nam audiens monitio-

nem, aut advertens ciborium ad altare deferri pro consecratione, dicendus est habuisse intentionem illud consecrandi. Quod si hanc intentionem, non obstante monitione et advertentia, de facto non habuit, consecrationem invalidam esse, patet ex dictis *n. praec.*

Tandem si ciborium ab alio positum fuit in corporali, sacerdote prorsus inscio illudque nullatenus advertente, alia distinctione opus est. Si sacerdos aliquando, semel pro semper, uti aiunt, habuit intentionem non retractatam semper in posterum consecrandi hostias in corporali positas, licet non visas, consecratio videtur certa, quia adest intentio virtualis easdem consecrandi. Si sacerdos illam intentionem numquam efformavit, aut efformavit, sed postea retractavit, consecratio est nulla, quia, juxta Rubricas citatas *n. 458*, sacerdos non intendit consecrare, nisi hostias quas videt, cum in ignotum voluntas non feratur. Hinc plures sacerdotes, ad anxietates de ciborii consecratione evitandas, non praetermittunt efformare illam positivam intentionem consecrandi quidquid est in corporali, etsi non visum.

464. Etiam si ciborium cum parvis hostiis est in altari extra corporale, variae hypotheses fingi possunt.

Nam si alius ciborium ad altare detulit et extra corporale posuit, sacerdote inscio illudque nullatenus advertente, consecratio est certe invalida.

Si sacerdos extra Missam, e. g., sero, aut immediate ante Missam, voluit ciborium consecrare, illudque detulit ad altare, aut afferendum jussit, aut vidit afferri voluitque consecrare, sed deinde illud extra corporale positum non advertit, nec de illo amplius cogitavit; quaestio elegans est inter doctores, utrum consecratio valeat, necne. Plerique negant, quia cum intentio consecrandi extra corporale fuisset peccatum mortale, illam tu habuisse non praesumeris (1): proinde dicendum est te habuisse intentionem consecrandi ciborium, sed positum in corporali; quae restrictio non verificatur. Alii affirmant, quia intentio consecrandi ciborium adfuit, et non apparet sacerdotem eamdem limi-

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 217*; Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XVIII.*

tavisse ad ciborium in corporali positum ; limitavisset, si hac de re cogitavisset, sed haec est voluntas interpretativa quae in rerum natura non existit. Nos distinguimus (1). Si sacerdos praecedenter habuit intentionem non consecrandi id quod est extra corporale, aut in genere id quod non est licite consecrabile, adhaeremus primae sententiae, quia haec praecedens virtualis intentio videtur limitare consecrandi intentionem ad ciborium in corporali positum (*n. 459*). Si sacerdos praecedentem illam intentionem non habuit, adhaeremus alterae ob allatam rationem. In praxi igitur consecratio in casu habenda erit uti dubia (2).

465. In dubio de consecratione parvarum hostiarum sacerdos duplicem viam sequi potest. Nempe vel eas reponat in ciborio, et in alia Missa alius sacerdos eas super corporali positas consecret sub conditione : *Nisi consecratae fuerint*. Vel eas sumat post sumptionem sanguinis, et melius post ablutionem, sed ante purificationem, quia reliquiae sanguinis sunt certe sacramentum, dum hostiae illae in ciborio sunt dubiae. Hanc alteram viam praefert S. Alphonsus, *VI, n. 217* ; et merito quia secus hostiae dubie consecratae venerationi fidelium aliquo modo exponerentur. At si hostiae dubie consecratae forent in magna quantitate, primam viam sacerdos sequi necessario deberet.

Articulus II

De applicatione Missarum.

§ 1. — *De applicatione Missarum in se.*

466. Ex dictis *n. 34*, habes Missae applicationem esse actum voluntatis quo sacerdos celebrans intendit sacrificium eucharisticum offerre pro aliquo sive pure et simpliciter, sive ad determinatum finem ; qui exinde specialem fructum propitiatorium percipit, absente obice, praeter adorationem et gratiarum actionem nomine ejus specialiter factam. Id

(1) D'Annibale, *I*, § *136, not. 27*.
(2) Lehmkuhl, *op. cit.*, *n. 125* ; Benedictus XIV, *l. c.* ; S. Alphonsus, *l. c.*

sacerdotem posse, in confesso est apud omnes ; sicut enim Christus D. consecrat ministerio sacerdotis, sui repraesentantis, ita etiam sacerdoti applicationem faciendam commisit. Hinc doctrinam pseudo-synodi Pistoriensis « qua dum profitetur *credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis*, dein continuo subjicit : *Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult et secundum mensuram quae ipsi placet* ; unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum quod illi qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant* », Pius VI in const. *Auctorem fidei, 28 Aug. 1794*, sub *n. 30*, sequenti censura percellit : « Sic intellecta, ut, praeter peculiarem commemorationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii quae fit a sacerdote non magis prosit (ceteris paribus) illis pro quibus applicatur, quam aliis quibusque ; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte est expressum (*Sess. XXIII, cap. I, de ref.* — Benedictus XIV, const. *Cum semper oblatas*, § *2*), falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Vicleffo » (1). Vide etiam infra, *n. 538*. Imo sacerdos valide et per se etiam licite potest quoque sacrificii fructus dividere, uni, e. g., applicans latreuticum, idest adorationem nomine ejus specialiter factam, alii eucharisticum, alii satisfactorium, etc. Praestat hanc Missae applicationem melius declarare.

(1) Error in Wicleffo alias damnatus habetur in propositione 19 : *Speciales orationes, applicatae uni personae per praelatos vel religiosos non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus.*

467. In primis Missae applicatio, ut patet ex definitione data, essentialiter consistit in actu voluntatis seu in intentione celebrantis. Recepta autem sententia est non sufficere intentionem interpretativam, quae reipsa in rerum natura non existit; non esse necessariam intentionem actualem aut virtualem, sed sufficere habitualem, idest aliquando habitam et non revocatam, licet hic et nunc neque actu neque virtute existat, dum, ut diximus *n. 155*, pro validitate consecrationis intentio habitualis satis non est. Haec est sententia communis contra Vasquez, *disp. XXXVIII, cap. VI, n. 74*, et paucos alios; quam amplectitur et declarat De Lugo, *De sacram. in genere, disp. VIII, n. 93*, his verbis: « Quod mihi etiam magis probatur, quia videtur esse magis juxta sensum et praxim omnium, qui putant se satis valide applicare fructum sacrificii, si praecedenti die applicent, licet postea non recordentur, dum tamen illam voluntatem non retractent. Nam sicut possunt aliqua ex nunc donari sub conditione: *Si crastina die venerint in meam potestatem*, qua conditione cras posita, voluntas praeterita transit in absolutam et habet effectum, sic dicendum videtur de fructu sacrificii, cujus sacerdos est quasi dominus vel dispensator ex Christi commissione. Poterit ergo donare vel dispensare illum fructum sub conditione: *Si ponatur sacrificium*, quae voluntas habebit effectum, posita conditione, cum sit legitimi dispensatoris et non retractata ». Exinde satis intelligitur ad Missae applicationem satis esse intentionem habitualem etiam habitam ante receptum sacerdotium; e. g., si diaconus, crastina die presbyteratum recepturus, dicat: *Intendo primam Missam applicare pro patre meo;* quod fusius et sapienter explicat idem De Lugo, *l. c., n. 97 sequ.* Quamquam vero intentio tantum habitualis sufficiat, tamen melior foret intentio virtualis, et omnium optima actualis ac fervens, quia quo fuerit expressior ac ferventior intentio sive sacerdotis celebrantis, sive illius pro quo Missa applicatur, eo abundantior fructus placatorius et impetratorius obtinebitur.

468. Ex his sequitur, si sacerdos initio mensis Missas applicare intendit per integrum mensem, e. g., pro anima-

bus in purgatorio, licet deinde de hac re non amplius cogitet, valide applicare ex intentione habituali, dummodo intentionem non mutaverit. Quid si intentionem mutavit? Valebit ne prior, an posterior? Respondet Lehmkuhl, *vol. II, n. 188:* « *a*) Si sacerdos prioris intentionis memor aliam facit, posterior intentio certo praevalet. *b*) Si vero immemor prioris intentionis eam in aliam mutat, per se quidem idem dicendum est, etsi illius memor mutationem non fecisset. *c*) At si priorem intentionem ita fecit, ut voluerit eam prorsus valere, etsi forte ex oblivione eam mutaturus sit, prior praevalebit (1). *d*) Quod si non constat, nil restat nisi ut sequenti die pro illa ex duabus intentionibus Missam dicat, quam Deus sciat invalidam mansisse: alterutra enim, etsi sacerdos ipse id disjudicare nequeat, valida certo erit ». Liceat aliquid animadvertere circa solutionem in tertia hypothesi, etsi a gravissimis auctoribus datam. Scilicet solutioni plene subscribimus, si altera intentio est habitualis et non habet illam clausulam derogatoriam; e. g., sacerdos pro Titio applicare vult cum illa clausula; deinde, oblitus prioris intentionis, pro Sempronio absque illa clausula; tandem, oblitus praecedentium intentionum, celebrat, applicans pro nemine; putamus priorem intentionem praevalere et medium sacrificii fructum obvenire Titio. Insuper solutionem non admittimus, si altera intentio, sicuti prima, est habitualis et habet illam clausulam derogatoriam; e. g. sacerdos pro Titio applicare vult cum illa clausula; deinde, oblitus prioris intentionis, pro Sempronio pariter cum illa clausula; tandem, oblitus praecedentium intentionum, celebrat, applicans pro nemine; putamus alteram intentionem praevalere et applicationem cedere Sempronio. Sane duae intentiones sunt prorsus aequales et ideo non apparet cur altera praevalere non debeat juxta regulam generalem in mutatione voluntatis; et assentitur De Lugo, *l. c., n. 124*. Tandem solutionem habemus dubiam, si altera intentio non habet illam clausulam, sed est actualis; e. g., sa-

(1) Ita etiam De Lugo, *De sacram. in genere, disp. VIII, n. 121 sequ.* Ballerini ad Gury, *vol. II, n. 355*; Haine, *Theologiae Moralis elementa tom. III, q. 98*; aliique.

cerdos pro Titio applicare vult cum illa clausula, et deinde de facto, oblitus prioris intentionis, applicat pro Sempronio; putamus probabilius alteram intentionem actualem praevalere et Sempronium obtinere applicationem. Ratio quae nos movet, est quia prima intentio habet quidem clausulam derogatoriam, sed alteram comitatur *traditio*; et sicuti si quis Titio rem donaret sub conditione : *Si venerit in meam potestatem*, etiam cum illa clausula, ac postea rem, dum venit in suam potestatem, oblitus prioris donationis, tradit et donat Sempronio, dominium rei potius Sempronio acquisitum videtur quam Titio; ita et in casu nostro. Proinde licet constet sacerdotem praedicto modo fecisse intentionem, melius est, ut, celebrata Missa cum posteriori intentione actuali, adhibeat remedium ultimo loco a clarissimo auctore indicatum.

469. Quod si sacerdos neque habitualem, neque virtualem, neque actualem intentionem habet, Missa nemini applicatur, et specialis propitiatorius fructus remanet in thesauro Ecclesiae. Auctores passim animadvertunt in praxi numquam abesse applicationem, quia videtur sacerdos celebrans semper hanc confusam, generalem, implicitam, habitualem voluntatem gerere, ut si omnis applicatio desit aut impossibilis facta sit, sibi specialis fructus obveniat (1). At, seposita intentione interpretativa quae non sufficit, quaestio est facti. Si sacerdos celebrans hanc intentionem neque habitualem habet, quia, e. g., de hac re numquam cogitavit, Missam sibi non applicat et specialem fructum non obtinet; si hanc intentionem saltem habitualem habet, Missam certe sibi applicat et fructum specialem obtinet. Igitur si volumus Missae applicatione in casu gaudere, debemus semel efformare illam intentionem eamdemque deinceps non revocare. Ceterum expedit ut Missam applicemus, idest ut fructum pretiosissimum quem Deus in

(1) Franzelin, *op. cit.*, *thesi XIII*, circa finem; Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXXIX, sect. 9;* De Lugo, *De sacram. Eucharist., disp. XIX, n. 226 sequ.*; Lehmkuhl, *l. c.*.

nostris manibus posuit, distribuamus; licet proprie dicta obligatio non adsit (1).

470. Et quidem pro certa applicationis validitate intentio sacerdotis celebrantis existere debet saltem ante consecrationem specierum. Scilicet si presbyter, nonnisi post expletam Missam, aut post communionem, format intentionem, applicatio est certe nulla, ut cum communi probat, contra nonnullos, Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXXIX, sect. IX, n. 6*. Si post consecrationem calicis, sed ante communionem, applicatio est probabilius nulla, quia sacrificium producit fructus quando offertur et offertur probabilius sola utriusque speciei consecratione (*n. 24*). Si ante consecrationem calicis, sed post consecrationem panis, applicatio habetur communius valida, quia consecratione panis sacrificium inceptum quidem est, sed nondum oblatum, et adhuc dici potest applicationem fieri dum sacrificium perficitur (2). Quoniam vero non desunt graves auctores, contrarium docentes, dicendum applicationem in casu dubiam esse. Tandem si ante consecrationem panis, licet immediate ante, applicatio est certe valida, quia omnes actiones precesque quae praecedunt, sunt praeparatoriae ad sacrificium quod certe nondum oblatum est. Sacrificium autem suos effectus producere post expletam sanguinis consecrationem, diximus *n. 37*. Ceterum expedit omnino ut sacerdos applicationem determinet, antequam Missam incipiat. Ad rem Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XVI, n. 9*: « Sacerdos, se ut omnibus expediat difficultatibus, in praeparatione ad Missam, antequam sacris se vestibus induat, ne omittat sacrificii fructum applicare ».

471. Ex dictis apparet quid dicendum de Missae applicatione sub conditione. Nam applicatio sub conditione *de praeterito*, e. g., applico pro Titio, si mortuus est, aut *de*

(1) Nonnulli obligationem affirmare videntur: Gury, *vol. II, n. 354*; Billuart, *De almo Eucharistiae sacramento, disp. VIII, art. IV*, circa finem; sed solidis argumentis haec obligatio non adstruitur.

(2) Busembaum, *De sacram., n. 125*: Gury, *vol. II, n. 355*, Lehmkuhl, *vol. II, n. 187*.

praesenti, e. g., applico pro Titio, si est in itinere, licita per se est; insuper est valida, si conditio momento consecrationis jam impleta est, licet illius implementum nos ignoremus, quia intentio sacerdotis existit et Deus cognoscit implementum conditionis; est invalida, si momento consecrationis conditio nondum existit. Applicatio sub conditione de *futuro contingenti*, e. g., applico pro judice, si sententia ab eodem crastina die proferenda erit mihi favorabilis, est invalida, si intentio sacerdotis alligata est facto verificationis conditionis futurae, quia hoc in casu intentio non existit quando Missa celebratur, et effectus sacrificii non potest remanere in suspenso (*n. 37*); imo per se est etiam illicita, si nempe sacerdos invaliditatem applicationis dignoverit. Quod si sacerdos applicet pro judice, si Deus praevidet sententiam fore favorabilem, recidimus in conditionem *de praesenti*. Applicatio sub conditione *de futuro necessario*, e. g., applico pro Titio, si crastina die sol orietur, est valida, quia conditio pro non adjecta habetur et ideo applicatio censetur inconditionata, nisi sacerdos verificationi conditionis suam intentionem revera alligatam voluerit; insuper est illicita, utpote jocosa. Tandem applicatio sub conditione de futuro *impossibili*, e. g., applico pro Titio, si digito coelum tetigerit, est invalida et illicita (1).

472. At simplex error circa aliquam circumstantiam, etsi dans causam applicationi, intentionem non excludit, et ideo applicationem per se non reddit invalidam, nisi applicatio facta fuerit sub vera et proprie dicta conditione illius circumstantiae. Ratio est quia sacerdos habet intentionem, quae applicationem determinet, necesse est: utique, cognita veritate, sacerdos non habuisset intentionem, sed haec est voluntas interpretativa quae in rerum natura non extitit, et ideo nil operatur. Vide quae de hoc errore relate ad consensum matrimonialem disputavimus in nostro *Tractatu canonico de matrimonio*, *n. 786*. Hanc doctrinam nonnullis casibus particularibus applicantes, dicimus applicationem valere, si sacerdos applicavit pro Titio, putans

(1) Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio*, *n. 843*, *844*.

Titium esse sanum, dum est infirmus, etsi, cognita Titii infirmitate, sacerdos pro eodem non applicavisset ; item si, e contrario, sacerdos applicavit pro Titio, putans Titium esse infirmum, dum est sanus, nisi sacerdos applicaverit praecise ad impetrandam Titio sanitatem ab infirmitate, qua laborare falso putat (*n. 474*). Pariter valida est applicatio, si sacerdos applicavit pro Titio, putans Titium esse vivum, dum est mortuus, licet cognita Titii morte, sacerdos pro Titio non applicavisset. Non dignoscimus auctores ab hac solutione dissentientes ; sed quid si, e contrario, sacerdos applicavit pro Titio, putans esse mortuum, dum est vivus ? Gury, *tom. II, n. 358*, putat applicationem esse nullam ; rectius Ballerini in nota censet applicationem validam esse « quia satisfactorius sacrificii fructus etiam vivo prodesse potest et a purgatorii poenis eximere. Praeterea vivus capax est et particeps fit eorum quoque fructuum, quorum capaces mortui non sunt. Et exinde est quorumdam usus, qui, hoc praesidium sibi sollicite quaerentes, praestitutas a se Missas vel omnes vel magna ex parte praemittere satagunt, dum in vivis degunt ».

473. Porro, ut ex definitione applicationis apparet, sacerdos sua intentione vult offerre sacrificium *pro aliquo*, idest pro persona certa ac determinata saltem momento consecrationis. Si persona pro qua Missa applicatur, tunc est incerta ac indeterminata, applicatio foret nulla. Hinc, e. g., est invalida applicatio pro uno vel duobus ex communitate. Auctores passim docent nullam quoque esse applicationem, si sacerdos, receptis decem Missis a decem personis, intendit singulas celebrare pro singulis indeterminate, seu primam, e. g., celebrare non pro illo qui illam Missam obtulit, aut pro omnibus decem, sed pro uno ex decem offerentibus indeterminate, et ita de ceteris, quia revera hoc in casu persona pro qua offertur, est incerta (1). Pariter est irrita applicatio pro illo cui Titius interrogatus voluerit ; item, ut putamus, pro illo, cui Deus applicabit, quia Deus nulli determinate applicat, relinquens hoc sacerdoti. Benedictus

(1) Lehmkuhl, *vol. II, n. 189* ; Marc, *vol. II, n. 1599* ; S. Alphonsus, *VI, n. 335*.

XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XVI, n. 8*, hanc ultimam quaestionem ponit, sed non solvit.

474. Imo ad validitatem applicationis non solum requiritur ut persona sit certa ac determinata, sed ulterius, si Missa applicatur ad aliquem finem seu causam particularem, necesse est ut haec causa tempore consecrationis obtineri valeat. Hinc, e. g., foret invalida applicatio ad obtinendam Titii liberationem a carcere, vel ad obtinendam sententiam favorabilem in tali causa, vel ad obtinendam Sempronii sanitatem a tali infirmitate, si Titius jam a carcere liberatus est, vel sententia seu favorabilis seu contraria jam prolata, vel Sempronius jam convaluit, aut illam infirmitatem numquam habuit, aut mortuus est. Quod si causa pro qua Missa applicatur, nunc quidem non existit, sed existet in posterum, Missae applicatio non est inutilis, quia non repugnat ut gratia obtineatur *nunc pro tunc*, seu nunc impetretur gratia, quae tamen a Deo concedetur, postquam causa extiterit; hinc, e. g., nil prohibet quominus Missa nunc applicetur ad impetrandam Titio sanitatem ab infirmitate quam primo habebit, vel ab infirmitatibus quas habebit usque ad majoritatem filiorum (*n. 37*).

475. Ceterum non est necesse pro applicationis validitate applicare nominatim pro Titio aut Sempronio. Sufficit, e. g., applicare pro maximo peccatore; pro anima graviori tentatione afflicta; pro anima purgatorii ceteris magis derelicta, vel magis Deo grata; pro illo cui Deus desiderat Missam a me applicari; pro illo pro quo tibi propositum fuit applicare; pro quo hodie applicandum est; ad intentionem dantis stipem aut superioris; si plures seorsum stipem dederunt, pro eis juxta ordinem quo dederunt, etc., quia in omnibus his et similibus casibus persona pro qua Missa applicatur, est certa et determinata objective seu coram Deo. Si plures eodem vel diverso tempore plures Missas commiserunt, sufficit etiam singulas applicare pro omnibus, quia ex una parte personae pro quibus applicatur, sunt certae ac determinatae, et ex altera, completo numero Missarum, nemo defraudatus est, quamcumque demum sententiam retineas

circa quaestionem, de qua *n. 492* (1). Hic autem referre juvat verba Card. Bona, *De sacrif. Missae, cap. I, § 5*, quae citat etiam Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. XVI, n. 9* : « Optimum quoque aliquibus visum est, quod sacerdos qui pro pluribus offerre intendit, eos specialiter et nominatim exprimat, non generaliter et in confuso, quia singulis minus prodesset ; suum enim effectum producit secundum modum quo applicatur ; perfectior autem applicatio est, cum omnes singillatim nominantur ».

476. Praeterea aliquando persona pro qua Missa applicatur, obvia non est, sed nihilominus est certa ac determinata, et applicatio valet : quod nonnullis exemplis declaramus. Ita si fidelis petit Missae applicationem ad obtinendum aliquod beneficium, e. g., *pro felici exitu futuri examinis*, sacrificium, praevalenter impetratorium, applicatur non fideli petenti, sed candidato, si candidatus est a petente distinctus, ut scilicet Deus, intuitu sacrificii, illum illuminet et juvet in periculo subeundo. Si fidelis petit Missae applicationem ad gratias agendas pro beneficio recepto, e. g., *pro felici exitu examinis praeteriti*, sacrificium, praevalenter eucharisticum, applicatur non candidato, sed fideli petenti (2), si petens est a candidato distinctus. Si fidelis petit Missae applicationem *in honorem Spiritus Sancti*, sacrificium, praevalenter latreuticum, applicatur non Spiritui Sancto et nec exclusive fideli petenti, sed omnibus hominibus, ut gratiis intuitu sacrificii a Deo concessis homines Spiritum Sanctum melius cognoscant et ament, unde aliquis honor et gloria accidentalis eidem Spiritui Sancto provenit ; cujus honoris et gloriae meritum ipsi petenti obvenit. Si petit Missae applicationem *in honorem B. M. V., aut alicujus Sancti*, sacrificium, praevalenter eucharisticum propter beneficia a Deo concessa B. M. V. aut illi Sancto, applicatur omnibus hominibus, ut supra. Quod si

(1) D'Annibale, *Summula etc., vol. III, § 189, not. 3* ; Lehmkuhl, *l.c.* ; Marc, *l.c.* ; S. Alphonsus, *l. c.* ; Gury, *vol. II, n. 356.*

(2) De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XIX, n. 193* ; Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXXVIII, sect. I, n. 1.*

sacrificium applicatur una simul in honorem Spiritus Sancti, aut B. M. V., aut alicujus Sancti, et ad beneficium obtinendum, vel ad gratias agendas pro beneficio recepto, ex dictis facile intelliges cuinam Missa applicetur.

477. Ut vero melius declaremus ea quae dicta sunt, quaerimus num valeat applicatio pro persona quae primo moritura est. Hoc modo proposita quaestione, persona pro qua fit applicatio, videretur incerta ac indeterminata, ideoque applicatio invalida. Sed perperam ; nam persona primo moritura est certa ac determinata ; utique eam nos non cognoscimus, sed Deus cognoscit, idque satis superque est pro applicationis validitate. Proinde absque ullo dubio tenendum est applicationem in casu validam esse (1) ; et mirum est nonnullos de validitate hujus applicationis dubitavisse. Haec applicatio, cessante obice, obtinebit personae primo moriturae, praeter alia, gratiam pretiosissimam bene moriendi. In unico casu nos hanc applicationem habemus invalidam, aut saltem valde dubiam, nempe si eodem temporis momento plures personae una simul primo moriturae sint ; nam hoc in casu persona primo moritura (in numero singulari) reipsa non existit. Haec eadem repetantur de aliis similibus casibus ; de applicatione vero pro eo qui postea Missam petiturus est et stipendium praebiturus, infra *n. 537* redibit sermo.

478. In genere Missa applicari potest pro omnibus seu vivis seu defunctis qui non prohibentur vel ex ipsa natura rei, quia scilicet constat in foro externo esse incapaces cujuscumque fructus propitiatorii, vel ex positivo superioris praecepto. Ecclesia de facto positive prohibuit ne pro aliquibus personis publicae preces fierent et a fortiori nomen earum pronuntiaretur in Missa, idest in canone aut in orationibus, ut alias videbimus ; sed putamus has positivas Ecclesiae prohibitiones non respicere solam, secretam privatamque Missae applicationem, de qua sola hic sermo est. Imo nec omnibus certum est Ecclesiam in foro externo posse suis positivis legibus afficere solam, secretam, pri-

(1) De Lugo, *De sacram. Eucharistiae, disp. XIX, n. 209* ; et *De sacram. poenitentiae, disp. XIII, n. 136*.

vatamque Missae applicationem, cum haec videatur esse actus mere internus ; quam opinionem nos suo loco rejiciemus. Sed jam singulas personarum classes percurramus.

479. In primis ex ipsa rei natura Missa applicari nequit pro illis quos constat in foro externo esse damnatos, sive in inferno tortos, sive in parvulorum limbo reclusos. Hinc, e. g., Missam applicare non possumus pro infantibus, qui ante omnem rationis usum mortui sunt sine baptismate, cum certum omnino sit eorum animas esse in limbo. Item nec pro fidelibus baptizatis qui in peccato mortali aperte decesserunt, e. g., in actu adulterii interfecti, absque ullis positivis et probabilibus poenitentiae signis ante mortem, cum pro foro externo certum sit eorum animas esse in inferno. Item nec pro excommunicato sive tolerato sive vitando, qui ex hac vita discessit, quin probabiliter constet fuisse in bona fide, aut ante mortem resipiscentiae signa dedisse, ob eamdem rationem. Item nec pro haeretico, aut schismatico, in haeresi et schismate defuncto, si non adsunt positiva et probabilia indicia quod defunctus vel bona fide in haeresi aut schismate vixerit, vel poenitentiae ac resipiscentiae signa ante mortem dederit, quia pro foro externo ipsius animam esse in inferno, certum est ex theologico axiomate : *Extra Ecclesiam non datur salus*, in quod sacerdos, Missam applicans, offendere videtur. Hinc propositis dubiis : « 1° An liceat Missam offerre pro illis qui in manifesta haeresi moriuntur, praesertim quando hujusmodi applicatio nota esset ; 2° An liceat etiam in casu quo hujusmodi applicatio Missae tantum sacerdoti et illi qui dat eleemosynam nota esset » ; S. C. S. Officii die *7 Apr. 1875*, reposuit : « Ad 1um et 2um : Negative » (1). Gregorius XVI in epist. ad episcopum Augustanum die *16 Febr. 1842* data, docet Missae applicationem in casu illicitam esse etiam sub conditione : *Si in gratia Dei mortui sunt ob bonam fidem aut conversionem in ultimo instanti*, quia, ut ait Pontifex, secretiora haec divinae gratiae mysteria ad externum Ecclesiae judicium minime pertinent. Item nec pro apos-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 1891.*

tata, qui in apostasia mortuus est absque resipiscentiae et poenitentiae probabilibus argumentis (bona fides supponi non potest). Haec vera sunt etiam de illis qui in statu simulatae apostasiae vivunt et moriuntur; de quibus agit S. C. de Prop. Fide, in instructione data die *16 Junii 1817*, ad missionarios Sutchuen, docens hos simulatos apostatas nec ecclesiasticas exequias habere posse, nec ecclesiasticam sepulturam (1). Tandem nec pro infideli defuncto, quin positiva ac particularia conversionis signa ante mortem dederit. Hinc ad dubium : « Si in illo regno (Sinarum) licebit Christianis orare et sacrificium facere Domino Deo nostro pro suis defunctis qui in sua infidelitate ab hac vita discedunt » ; S. C. de Prop. Fide, die *12 Sept. 1645*, reposuit : « Si vere in infidelitate decedunt, omnino non licere » (2). S. Augustinus, *De orig. anim., lib. III, cap. XII*, ait : « Noli credere, nec dicere, nec docere sacrificium christianorum pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse catholicus ».

480. Pariter ex ipsa rei natura Missa applicari nequit pro illis, quos constat in foro externo esse in paradiso. Hinc Missam applicare non possumus pro infantibus baptizatis qui ante omnem rationis usum e vita migrarunt, cum sit de fide eorum animas esse in paradiso. Item nec pro Deo, pro SSma Trinitate, aut aliqua ejusdem persona, pro Angelo, pro Sancto. Ita Innocentius III in *cap. 6. De celebratione Missarum*, ubi illud : *Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre*, omnibus Sanctis merito applicat (3) : et exinde explicat curnam verba quae olim legebantur in secreta beati Leonis : *Annue, quaesumus, Domine, ut animae famuli tui Leonis haec prosit oblatio*, fuerint mutata in sequentia : *Annue, quaesumus, Domine, ut intercessione beati Leonis haec nobis prosit oblatio*. Quod si aliquando verbis impropriis et inusitatis dicitur

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 1598*.
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 1801*.
(3) At immerito illud tribuit Sacrae Scripturae, cum desumptum sit ex S. Augustino, *Serm. 17, De Verb. Apost.*, et *Tract. 84 in Joannem*.

Missam applicari *pro B. M. V.*, aut *pro aliquo Sancto*, id intelligi debet sensu quem exposuimus *n. 475*.

481. At sine dubio Missa applicari potest pro anima in purgatorio manente, ut definit Conc. Trid., *Sess. XXII, cap. II* et *can. II*; ac rursus *Sess. XXV*, in decreto de purgatorio, ubi docet animas ibi detentas « fidelium suffragiis, *potissimum* vero acceptabili altaris sacrificio juvari ». Animae baptizatorum in statu gratiae defunctorum in purgatorio detentae juvantur hoc sacrificio per fructum satisfactorium (*n. 28*), per fructum placatorium (*n. 31*) et etiam indirecte ac mediate per fructum impetratorium (*n. 29*, in fine). Quoad vero animas non baptizatorum, in statu gratiae defunctorum, in purgatorio detentas, vide infra *n. 488*.

482. Pariter Missa applicari potest pro fidelibus baptizatis viventibus, etiam energumenis, infantibus, peccatoribus; item et pro defunctis, quorum aut gloria in paradiso, aut cruciatus in gehenna non constat in foro externo. Hinc, e. g., nos possumus Missam applicare in suffragium infantium defunctorum, si probabile est eos, aliqualem rationis usum adeptos, peccati alicujus fuisse capaces. Pariter pro illis qui mortui sunt in odore sanctitatis, aut vitam pro confessione verae fidei dederunt, donec Sedis Apostolicae decreto in album *Sanctorum* relati non fuerint. Id declaravit etiam S. C. de Prop. Fide, scribens ad vicarium apostolicum Tunkini Occidentalis die *6 Aug. 1840*. Nam expositum fuit : « In Tunkino sive Orientali sive Occidentali adest, inter missionarios et sacerdotes indigenas utriusque vicariatus, conventio, qua, adveniente morte alicujus ex illis, omnes alii sacerdotes utriusque vicariatus tres Missas pro illius anima celebrare debent. Talis conventio pariter extat inter omnes missionarios Seminarii Missionum ad exteros, ubique terrarum degant. Porro, occasione harum, exortum est dubium inter missionarios, an scilicet, praedictae tres Missae debeant celebrari pro illorum anima, quos persecutores in odium fidei trucidaverunt ; vel, si non praecise pro illorum anima, saltem debeant celebrari pro solutione debiti circa has Missas erga eos dum viverent contracti, relinquendo divinae voluntati, ut

quibuslibet necessitatibus vel animabus voluerit, illarum Missarum fructus applicet. Et in casu quo praedictae Missae sint dicendae, an sint dicendae de *Requiem* vel de die ». S. C. reposuit : « Licet Innocentius III in *cap. Martha, De celebrat. Missarum*, dicat : *Injuriam facit martyri qui orat pro martyre*, id tamen ex Benedicto XIV, *De serv. Dei beatif., lib. II, cap. II, n. 13* et *14, et lib. III, cap. XV, n. 8*, intelligendum est de *martyre vindicato*, seu postquam de ipsius pretiosa morte Summi Pontificis judicium accesserit. Ante judicium igitur, vel certe ante apostolicam inquisitionem super martyrio, possunt celebrari suffragia seu Missae juxta consuetudinem vel conventionem de qua supra et ad libitum de die vel de *requiem* ». Imo Missa applicari potest etiam pro defuncto qui est *venerabilis* ; num applicari queat pro defuncto qui est *beatus*, cum solum in sanctificatione judicium Sedis Apostolicae sit definitivum et irrevocabile, alii videant. Tandem applicari potest et pro fidelibus defunctis, quorum damnatio probabilissima quidem, sed certa in foro externo non est.

483. Utrum vero Missa applicari possit, necne, pro fideli baptizato excommunicato, difficultate non vacat ob confusa doctorum verba. In primis certum est publice orari non posse pro excommunicato non solum vitando, sed etiam tolerato, dummodo de excommunicatione publice constet, et ideo ejus nomen pronuntiari non posse in publicis Ecclesiae precibus et praesertim in precibus Missae. Haec prohibitio habetur in *cap. 28 et 38. De sententia excommunicationis*, etc. ; et de ea nos agimus in *cap. VII, art. II, § 2°*. Ex his canonibus plures doctores deducunt prohibitam quoque esse solam privatam et secretam Missae applicationem pro excommunicato tum vitando tum tolerato (1) ; alii autem pro excommunicato tolerato admittunt sacerdotem celebrantem posse secreto Missam applicare post extravagantem *Ad evitanda* Martini V ; pro excommunicato vitando censent sacerdotem posse Missam secreto ap-

(1) Salmanticenses, *Tract. V, De sacrif. Missae, cap. II, puncto II, n. 16*, citantes plures alios.

plicare nomine proprio, non autem nomine Ecclesiae (1). Nemo autem negat sacerdotem posse in *Memento* excommunicati etiam vitandi memoriam facere, sicuti alias preces privatas pro eodem effundere : item posse Missam pro ejusdem conversione applicare indirecte, applicando, e. g., pro Ecclesiae exaltatione, pro conversione peccatorum, etc.

Ut mentem nostram circa propositam quaestionem pandamus, dicimus ex ipsa rei natura evidenter non prohiberi Missae applicationem pro excommunicato viventi seu tolerato seu vitando ; item nec pro defuncto, nisi mala fides aut contumacia moraliter certa sit in foro externo. Ulterius putamus nec prohiberi positiva Ecclesiae lege. In primis enim, admissa in Ecclesia hac potestate quam nonnulli negant, prohibendi solam, privatam secretamque Missae applicationem, a priori incredibile est Ecclesiam quae unice quaerit excommunicati resipiscentiam prohibuisse eucharisticum sacrificium privatim et secreto offerri etiam ad gratiam conversionis obtinendam. Equidem prohibuit publicas preces pro excommunicato, ut, hac exclusione humiliatus, ipse tandem revertatur ad cor ; sed minime prohibuit privatas preces et multo minus debuit prohibere solam, privatam, secretamque Missae applicationem, quae ex una parte accedit potius precibus privatis, quam orationibus publicis fori externi, et ex alia est efficacissima ad gratias a Deo impetrandas. A posteriori haec Ecclesiae prohibitio dicitur contineri in cit. *cap. 28 et 38. De sententia excommunicationis*, etc. ; atqui in his canonibus haec prohibitio non habetur. Nam, ut patet ex textu completo *cap. 28*, qui prostat apud Gonzalez, et ex ipsis verbis *cap. 38*, Innocentius III ibi tradit excommunicatum defunctum habere non posse exequias et sepulturam ecclesiasticam, idest preces publicas fori externi, sine praevia cadaveris absolutione, licet manifesta dederit resipiscentiae signa ante mortem, nec per eum steterit quominus reconciliaretur Ecclesiae ; haec autem, cum simus in materia odiosa, ad

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 309* ; De Lugo, *l.c., disp. XIX, n. 187* ; Lehmkuhl, *vol. II, n. 177* ; Marc, *Theol. Mor. Alphons., n. 1601*, aliique passim.

solam, privatam secretamque Missae applicationem extendi non possunt. Hoc modo hos canones interpretatus est etiam Benedictus XIV in const. *Ex quo primum tempore, 1 Martii 1756*, § *23* : « Sacri Ecclesiae canones pro excommunicatis orare publice vetant, uti cautum legitur in *cap. A Nobis, 2*, et in *cap. Sacris, De sententia excommunicationis*. Et quamvis id non obstet quominus pro eorum conversione orare liceat, hoc tamen ita praestari non debet, ut eorum nomina in solemni sacrificii prece pronuntientur; quod plene congruit veteri disciplinae, de qua Estius in *4 Sentent., dist. 12*, § *13*. Satis est in eum finem mente animoque Deum Optimum Maximum rogare ut aberrantes ad viam salutis et ad sanctae matris Ecclesiae sinum reducere dignetur, quemadmodum pergit Sylvius, in *3 p. D. Thomae, tom. IV, qu. 83, a. 1, qu. 9*. Atque haec est ipsiusmet S. Thomae doctrina in *4 sent., dist. 18, q. 2, a. 1, ad 1um* : *Pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes quae pro membris Ecclesiae fiunt*. Neque ut huic christianae charitatis officio satisfiat, necesse est intervertere leges Ecclesiae quae a fidelium sibi obsequentium catalogo excludit eorum nomina qui se ab illius unitate et obedientia separarunt, quaeque dum prohibet ne pro his publice oretur, eorum certe commemorationem ab officio Missae quae publicum est sacrificium, excludit ». Et deinde refert et laudat verba Bellarmini quae habes *n. sequ.* Tandem haec confirmantur, saltem quoad excommunicatos toleratos, ex dicendis *n. sequ.* de haereticis et schismaticis ; nam haeretici et schismatici sunt excommunicati, et tamen Missa privatim et secreto applicari utique potest saltem pro eorum conversione. Ceterum Missam pro excommunicato applicantes, cavere debemus ne scandalum praebeamus, et si agitur de vitando, ne cum ipso communicemus : unde, e. g., non possumus ab eodem eleemosynam pro applicatione recipere. Ex his omnibus concludimus, excluso scandalo et citra vetitam communicationem, Missam privatim et secreto applicari posse pro excommunicato viventi tum tolerato tum vitando, saltem ad ejus conversionem obtinendam, sed non abnuimus applicari posse

quoque ad alium finem honestum, e. g., ad impetrandam illius sanitatem a contracto morbo : item et pro defuncto, si bona fides aut resipiscentia ante mortem probabilis sit in foro externo, secus applicari nequit ex ipsa rei natura, non autem ex prohibitione Ecclesiae quae non extat.

484. Haec repetenda esse putamus de haereticis et schismaticis. Ita expresse Bellarminus, *Controv. tom. III, lib. VI, De Missa, cap. VI*: « Aliquis petet utrum liceat hoc tempore sacrificium offerre pro haereticorum sive infidelium conversione. Ratio dubitandi est, quia tota liturgia Latinae Ecclesiae quae nunc est in usu, refertur ad fideles, ut patet ex precibus oblationis tum extra tum intra canonem. Respondeo : existimo id licere, modo nihil addatur ad Missam, sed solum per intentionem sacerdotis applicetur sacrificium conversioni infidelium seu haereticorum : id enim faciunt viri pii et docti quos reprehendere non possumus, nec extat Ecclesiae prohibitio ». Et quod magis est, hanc doctrinam, uti diximus, refert et approbat Benedictus XIV, *l. c.* Sane dum Leo XIII catholicos omnes vehementer urget ut misericordiarum Patrem enixe adprecentur pro haereticorum et schismaticorum conversione, quis credet Ecclesiam sacerdotibus prohibere quominus ad hanc conversionem obtinendam eucharisticum sacrificium privatim et secreto offerant ? Archiepiscopus Parisiensis epistola pastorali mensis Octobris 1896 hortatur, e contrario, sacerdotes suos subditos, ut aliquando Missam offerant pro Anglorum conversione. Ceterum facile patet evitandam esse quamlibet communicationem in divinis cum haeretico aut schismatico. Hinc proposito dubio : « Utrum possit aut debeat celebrari Missa ac percipi eleemosyna pro graeco-schismatico, qui enixe oret atque instet ut Missa applicetur pro ipso sive in ecclesia adstante sive extra ecclesiam manente » ; S. C. S. Officii, die *19 Apr. 1837*, reposuit : « Juxta exposita non licere, nisi constet expresse eleemosynam a schismatico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem »(1).

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 877. Gregorius XVI in epistola die *9 Julii 1842*, data ad Rupertum Feiis, praesidem monachorum Schyrensium Ordinis S. Benedicti in Monacensi dioecesi, expresse etiam

485. Ex dictis facile patet quid dicendum sit de Missae applicatione pro apostatis, qui una simul sunt peccatores, excommunicati, haeretici. Nimirum, si de apostasia publice constat, pro ipsis publice orari non potest. Sed etiam hoc in casu Missa potest privatim et secreto pro ipsis viventibus applicari, saltem ad eorum conversionem impetrandam; item et pro defunctis, si ante mortem probabilia argumenta poenitentiae et resipiscentiae dederint.

486. Tandem Missa applicari potest pro non baptizatis: quod sequentes responsiones declarant. S. C. de Prop. Fide, die *19 Aug. 1776*, edixit: « Non licere Missae celebrationem pro Turcis et schismaticis » (1). Sed nos ignoramus facti circumstantias ad quas haec responsio referebatur; fortasse non agebatur de privata secretaque Missae applicatione, aut aliqua aderat circumstantia quae hanc applicationem illicitam reddebat; quod ex sequentibus clarius patebit. Expositum fuit S. C. S. Officii: « Turcae Chocini in Moldavia incolae, occasione rerum suarum deperditarum aut furto oblatarum, ad Fratres Minores Conventuales proxime distantes oblationes quasdam mittunt, urgentes per summi missum quatenus ope Divi Antonii Patavini *quem Turcae Cameneccii vivere opinantur*, res amissas rehabere valeant. Tria ergo dubia quaerenda proponuntur: 1° An Fratres Minores a Turcis oblationes recipere valeant; 2° An pro Turcis possint Missae celebrari; 3° An oblationes illas possint accipere titulo eleemosynae pro Missa celebranda ad altare S. Antonii secundum offerentis exigentiam seu intentionem ». S. C. reposuit die *14 Maii 1779*: « *Juxta propositas facti circumstantias* non licere » (2). E contrario S. C. de Prop. Fide, cum per epistolam diei *25 Febr. 1837*, ad Praefectum Missionis Epiri jussisset quemdam abusum corrigi, subdit: « Non si proibisce per altro con questo che i missionarii ricevano ancora dai Turchi delle elemosine se loro si offrono per qualsiasi oggetto del divin culto; s'intende

docet exequias fieri non posse pro haeretico et schismatico, licet ad familiam regnantem pertinuerint.

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 873*.

(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 874*.

però sempre che essi non per altre debbano porgere incessanti preghiere al Signore, se non per la loro conversione alla vera fede ; lo che non deve lasciarsi di fare ancor quando non si riceve alcuna elemosina » (1). Quod si missionarii possunt et debent orare pro gentilium conversione, eccurnam non poterunt ad eumdem scopum Missae sacrificium offerre ? Et revera eadem S. C. die *11 Mart. 1848*, interrogata : « Se possa un missionario ricevere la limosina della Messa ed applicarla secondo la mente o intenzione di un oblatore gentile che abbia per iscopo di ottenere la guarigione da malattia o la liberazione dal carcere o dalla pena capitale che gli sovrasta » (2); reposuit : « Affirmative ».Et S. C. S. Officii ad dubium: « Utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare pro Turcarum aliorumque infidelium intentione et ab iis eleemosynam pro Missae applicatione accipere »; reposuit die *12 Julii 1865* : « Affirmative, dummodo non adsit scandalum ac nihil in Missa specialiter addatur ; et quoad intentionem, constet nil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynas offerentibus subesse » (3). Huic responsioni standum est : unde licet Missam pro infidelibus applicare non solum ad eorum conversionem obtinendam sive directe sive indirecte, sed etiam ad quemcumque alium finem honestum, remoto scandalo. Et revera S. Paulus in *1ª ad Tim., II*, vult *fieri obsecrationes... pro omnibus hominibus, pro regibus et qui in sublimitate sunt* ; quod plures Patres Graeci et Latini intelligunt de obsecrationibus per Missae sacrificium ; reges autem et plerique homines tunc temporis erant infideles. Imo nomen regis infidelis pronuntiari nonnumquam posse

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 876. Latine*: Non tamen per hoc prohibetur quominus missionarii a Turcis quoque eleemosynas accipiant, si offerantur, pro quolibet divini cultus objecto. Sed semper hoc ita intelligendum est, ut non ad alium finem ipsi debeant juges preces Deo offerre, quam pro illorum conversione ad veram fidem ; quod faciendum est, etsi nulla recipiatur eleemosyna.

(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide. *n. 885. Latine* : Num possit missionarius recipere eleemosynam Missae hancque applicare juxta mentem seu intentionem gentilis offerentis, qui vult obtinere liberationem a morbo, vel a carcere, vel a poena capitali sibi impendenti.

(3) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 888.*

etiam in Canone Missae aliisque publicis Ecclesiae precibus, dicemus et melius explicabimus in *cap. VII, art. II,* § 2ª. Quod si quis in infidelitate decesserit, repetantur quae diximus de excommunicatis et haereticis aut schismaticis.

487. A fortiori Missa applicari poterit pro catechumenis viventibus, qui jam ad Ecclesiae animam, uti aiunt, aliquo modo pertinent, et ideo etiam publicae preces in ecclesiastica liturgia pro eis habentur. Etiam pro catechumenis defunctis Missa applicari potest, quia ex ipsorum fide non est improbabile per actum contritionis perfectae cum voto baptismi, ante baptismi susceptionem, gratiam sanctificantem obtinuisse, et ita eorum animas in salvationis loco reperiri. Hinc in *cap. 2, De presbytero non baptizato*, Innocentius III jubet, ut preces et hostiae offerantur pro presbytero non baptizato qui in fide christiana defunctus erat; et S. Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani catechumeni hortatur ut pro illius anima sacrificia offerantur.

488. Non baptizati sive viventes sive defuncti eucharistico sacrificio juvantur per fructum placatorium (exceptis infantibus). Item per fructum impetratorium, viventes quidem directe et immediate, defuncti autem in purgatorio indirecte et mediate; tandem si viventes non sunt in statu gratiae, patet esse incapaces fructus satisfactorii; sed sive viventes in statu gratiae, sive defunctos in purgatorio, non posse percipere fructum satisfactorium, concors theologorum sententia est (1); cujus tamen rationes nobis obscurae valde sunt. Nec Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor., vol. IV, n. 240*, rationes hujus sententiae intelligit; et Lehmkuhl, *vol. II, n. 180*, rem dubiam habet.

489. Quid vero si, oblato stipendio, Missa petatur pro mortuo in infidelitate, aut in haeresi, aut in excommunicatione, aut in manifesto peccato? Respondeat sacerdos se posse applicare Missam pro omnibus fidelibus defunctis cum intentione subveniendi etiam animae illius defuncti, si hoc acceptum sit coram Deo (2). Expositum fuit S. C. de Prop. Fide : « Sono soliti gli scismatici (nell'Albania) di

(1) De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XIX, n. 166, sequ.*
(2) Marc, *l. c.*

chiamare i sacerdoti Latini nell'esequie dei loro morti a far celebrare Messa per l'anima loro. I nostri ci intervengono, ricevono limosina per la Messa, ma l'applicano per gli antenati degli scismatici, stati una volta cattolici quando erano uniti colla Chiesa Romana. Se non ci intervenissero, non ricevessero limosina e non mostrassero applicarla secondo le loro intenzioni, farebbero confusione al popolo e danno contro i nostri. Si domanda se sia lecita e senza peccato tal prattica in tali circostanze » (1). S.C. reposuit die *18 Aprilis 1757* : « Non licere ». Sane Missa in casu non applicabatur pro illis, pro quibus petebatur.

490. Quando Missae applicatio penitus frustratur, e. g., si Missa applicatur pro anima defuncti quae est in inferno, aut applicatur ad sanitatem obtinendam infirmo qui jam mortuus est, etc., fructus remanet in thesauro Ecclesiae, sicuti cum Missae applicatio defuit. Hinc in praxi quando dubitatur, utrum applicatio Missae futura sit utilis, necne, consultum est in Missis gratuitis habere intentionem *secundam*, ut aiunt, nempe intentionem illas applicandi nobis ipsis vel alteri, si applicatio juxta primam intentionem frustranea est. In Missis vero applicandis ad intentionem dantis stipem, quia probabiliter ille ipse qui dat stipem, hanc secundam habet intentionem, nos non possumus cui velimus fructum applicare, nisi sub conditione : *Ut praejudicium non fiat ei pro quo applicandi est obligatio* (2).

491. Secunda intentio etiam in alio casu verificatur, cum nempe Missam primario applicamus pro Titio, secundario pro Sempronio, sine tamen Titii praejudicio. Haec secunda intentio licita est non solum in Missis gratuitis, sed

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 870. Latine* : Solent schismatici (in Albania) advocare sacerdotes Latinos in exequiis suorum defunctorum ut pro istis celebrent Missam. Nostri intersunt, recipiunt eleemosynam pro Missa, sed applicant pro schismaticorum majoribus, qui fuerunt catholici, cum Romanae Ecclesiae erant uniti. Si non interessent, eleemosynam non reciperent nec Missam applicare viderentur ad eorum intentionem, confusio in populo et nostris damnum enasceretur. Quaeritur num licita sit et absque peccato hujusmodi praxis in hisce circumstantiis.

(2) S. Alphonsus, *VI, n. 337* ; Marc, *op. cit., n. 1605* ; Lehmkuhl, *vol. II, n. 186.*

etiam in Missis ex stipendio debitis ; nam fructum ex applicatione derivantem integrum volumus Titio pro quo Missam primario applicamus ; Sempronio autem intendimus Missam applicare veluti sub conditione : *Dummodo Titius exinde nullum patiatur damnum*. Proinde Titius qui stipendium dedit, nullatenus laeditur, et solum oramus Deum ut, salvis Titii gratiis ex sacrificio, velit Sempronio aliquam gratiam, intuitu sacrificii, elargiri. Imo hujusmodi secundariae intentiones non solum non sunt reprobandae, sed sunt consulendae. Vide Card. Bona, *De sacrif. Missae, cap. I, § 5*. Et sicuti sacerdos sacrificium applicatum pro Titio potest, intentione secunda, applicare pro Sempronio, ita intentione tertia pro Maevio, et ita porro ; scilicet applicat pro Titio : et sine Titii praejudicio, pro Sempronio ; et sine praejudicio Titii et Sempronii, pro Maevio.

492. Cum autem Missa possit pro uno in particulari vel pro pluribus applicari, quaeritur num Missa pluribus applicata aeque prosit singulis, ac si pro singulis applicata fuisset ; e. g., num Missa applicata Titio et Sempronio, aeque prosit Titio, ac si pro Titio tantum fuisset applicata. Haec est quaestio quam doctores obscurioribus verbis proponere et agitare solent, utrum valor et fructus sacrificii Missae sit infinitus, necne ; et est valde controversa inter doctores, nec argumenta peremptoria pro ulla sententia sunt. Nonnulli affirmant(1), sive putantes sacrificii fructum esse infinitum, sicuti fructum sacrificii crucis, sive censentes fructum sacrificii esse quidem finitum, sed sacrificium esse instar radii solaris qui quamvis finitus sit, aeque tamen in unum ac in multos sese effundit : admittunt autem fructum percipi majorem vel minorem juxta dispositiones subjecti.

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 342*, qui ait hanc sententiam esse speculative probabiliorem et inter recentiores communissime receptam, plures citans, inter quos tamen immerito recenset Suarez. Ballerini, in notis ad Gury, *vol. II, n. 352, 356* ; D'Annibale, *vol. III, § 190, not. 19*. Haec sententia traditur etiam in *can. 24, dist. V, De consecrat.*, in Decreto, qui tribuitur S. Hieronymo ; sed hunc canonem esse apocryphum, praesertim in parte quae ad rem nostram pertinet, vide apud Berardi, *Gratiani Canones, etc., p. III, cap. XIII*, in fine.

Alii negant (1), autumantes Missam in se et quoad sufficientiam esse quidem infiniti valoris, sed Christum D. ita instituisse hoc sacrificium, ut effectum seu fructum ex opere operato produceret finitum; hinc talis fructus dividitur inter illos pro quibus Missa applicatur, qui proinde quanto plures sunt, tanto minus percipiunt, praescindendo etiam ab eorum dispositionibus. Haec sententia praxi Ecclesiae videtur conformior. Nam si Missa pluribus applicata aeque prodesset singulis ac si singulis applicata fuisset : 1° Praxis Ecclesiae deberet esse ut Missa semper applicetur pro omnibus vivis et defunctis et numquam pro una persona particulari tantum : atqui Missae applicatio aliquando quidem petitur et fit pro omnibus vivis et defunctis, sed frequentius pro aliqua persona vel aliquibus personis in particulari, et Ecclesia numquam hujus praxis mutationem aut imposuit aut suasit (2) ; 2° Decem Missis a decem personis receptis, presbyter deberet, saltem ex charitate, singulas applicare pro omnibus, qui fructum decuplo majorem reciperent, non autem singulas pro singulis ; atqui in praxi presbyteri unam vel alteram methodum sequi solent, doctores unam vel alteram indiscriminatim consulunt (*n. 474*) (3), et Ecclesia numquam primam methodum praetulit; 3° Presbyter posset unius Missae applicatione satisfacere pluribus obli-

(1) Benedictus XIV, *De Synodo, lib. V, cap. VIII, n. 6* et *cap. IX, n. 4* ; De Lugo, *l. c., disp. XIX, n. 107 sequ.* ; Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXXIX, sect. XI, n. 1 sequ.* ; Lehmkuhl, *vol. II, n. 182 sequ.* ; Franzelin, *op. cit., thesi XIII,* aliique plures. Huic sententiae favet D. Thomas in *4, dist. 45, q. 2, a. 4, ql. 3, ad 2um* : « Quamvis virtus Christi quae continetur sub sacramento Eucharistiae sit infinita, tamen determinatus est effectus ad quem illud sacramentum ordinatur ». Neque obstat id quod Angelicus docet in *3 p. q. 79, n. 5* : « Quamvis haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria pro illis pro quibus offertur vel etiam offerentibus *secundum quantitatem suae devotionis et non pro tota poena* » ; nam id verum est in omni sententia.

(2) S. Thomas, *l. c., q. 2* : « Si suffragium pro multis factum tantum valeret pro singulis ac si pro uno tantum fieret, videtur quod Ecclesia non debuit instituisse ut pro aliquo singulariter Missa vel oratio fieret, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis : quod patet esse falsum ».

(3) Ipse S. Alphonsus, *VI, n. 333.* aliique qui tamen contrariam praeferunt sententiam in nostra quaestione.

gationibus, e. g., ex stipendio, ex voto, ex superioris praecepto, etc.; atqui nullus sacerdos timoratae conscientiae id facit aut se facere posse putat.

493. Cum vero omnes fateantur primam sententiam esse vere probabilem, duplex corollarium magni momenti in praxi sequitur. Primum est, consulendum esse sacerdotibus, ut Missam, etiam aliquo titulo debitam, applicent, intentione secunda (*n. 489*) omnibus vivis et defunctis, nempe sine praejudicio illius pro quo applicare tenentur ratione curae animarum, stipendii, praecepti superioris, promissionis; nam hoc pacto ille pro quo Missa applicari debet, totum fructum sibi debitum certe habet, et probabiliter etiam quilibet alius, sive vivus, sive defunctus, tantum fructum recipit, quantum reciperet, si exclusive pro se Missa applicaretur. Aliud est, nos, probabilitati hujus sententiae innixos, posse obligationibus praeter justitiam satisfacere, nempe obligationibus ex simplici promissione, aut praecepto superioris, non vero obligationibus ex justitia, idest ex stipendio, aut cura animarum, aut beneficio, aut quasi-contractu, quia debita justitiae exigunt solutionem certam, dum pro aliis obligationibus praeter justitiam, ex communi sententia, satis est adimplementum probabile. Haec infra meminisse juvabit.

494. Ut his finem imponamus, videamus num, petita *Missae celebratione*, quin aliud addatur, eo ipso includatur ejusdem Missae applicatio. In genere ita est, quia ex regula *juris 45 in 6°*: *Inspicimus in obscuris quod est verosimilius*; atqui verosimilius est quod petens Missae *celebrationem*, includat applicationem. Et hanc doctrinam semper secuta est S. C. C., e. g., die *18 Martii 1668*, apud Benedictum XIV, *Inst. Ecc. XLVI, n. 9*. At per se non repugnat, uti patet, quod quis petat solam Missae celebrationem, e. g., in templo vel altari quod praediligit, liberam relinquens Missae applicationem; et contraria praesumptio generalis, quod petens Missae *celebrationem* includat *applicationem*, potest fortioribus praesumptionibus et argumentis vinci. Si petens disertis verbis dicit se non exigere applicationem, nulla est difficultas; sed ali-

quando licet id disertis verbis non dicat, tamen de illius intentione constare potest. Ita si vult nonnullas Missas *celebrari et sibi applicari*, alias *celebrari* in tali ecclesia vel altari, hic diversus modus loquendi satis indicat ipsum harum Missarum applicationem non exegisse, uti censuit S. C. C. apud Benedictum XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. IX, n. 3.* Item si pro Missae celebratione quam petit, scienter assignat eleemosynam longe infra manualem in dioecesi statutam pro Missae applicatione, prout resolvit eadem S. C. C. in *Novariensi, 22 Nov. 1727*, apud De Angelis, *lib. III, Decret., tit. XLI, n. 4.* E contrario si dicit tot Missas esse celebrandas et insuper addit celebrantem debere pro ipso *orare*, id nullo modo applicationem excludere videtur, sed celebrans deberet et Missam applicare pro committente et illius commemorationem in *Memento* facere, ut resolvit S. C. C. in *Ventimiliensi, 27 Apr. 1700.* Quod si fundator unam capellaniam instituisset cum onere celebrandi Missas easque sibi applicandi, aliam cum onere celebrandi Missas et pro se orandi, tunc locus fit argumento desumpto ex diverso modo loquendi et dicendum fundatorem in alterius capellaniae institutione Missarum applicationem non exegisse, uti reposuit etiam S. C. C. in *Ferrariensi, 11 Junii 1700*, apud Benedictum XIV, *l. c.* Si constat solam Missae celebrationem petitam fuisse, sacerdotem liberam habere Missae applicationem, evidens est.

§ 2. — *De variis titulis quibus applicatio Missae debetur.*

495. Applicare Missam tenemur vel ratione curae animarum, vel ratione recepti stipendii, vel ratione beneficii, vel ratione praecepti superioris, vel tandem ratione promissionis. Ii igitur sunt tituli quibus applicatio Missae debetur. De singulis fusius agendum est.

I

De applicatione debita ratione curae animarum (1).

496. Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. I, de ref.*, haec habet : « Cum praecepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, *pro iis sacrificium offerre...* ». Atqui *offerre sacrificium pro aliquo* significat, proprie loquendo, Missam pro eodem applicare. Proinde juxta Tridentini doctrinam omnibus quibus animarum cura commissa est, praecepto divino mandatum est, praeter alia, Missam applicare pro ovibus suis (2). Hoc praeceptum clare enuntiat S. Paulus *ad Hebraeos, cap. V, v. 1 sequ.* : *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* : *qui condolere possit iis qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* Et rursus in *cap. VIII, v. 3* : *Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur.* Attamen his locis S. Paulus videtur hoc praeceptum potius praesupponere quam promulgare : utitur enim hac doctrina veluti *medio termino* omnibus noto ad aliud demonstrandum. Putamus igitur hoc praeceptum descendere ex indole et notione officii pastoralis, ita ut sufficiat, prouti eruitur etiam ex verbis S. Pauli, ut quis pontifex sit, ut intelligatur constitutus ad sacrificia pro populi peccatis offerenda. Proinde hoc praeceptum est divino-naturale, idest in munere pastorali naturaliter contentum, licet pie credi possit Christum D. illud etiam viva voce et expresse Apostolis tra-

(1) Vide canonistas in titulo, *De parochis et alienis parochianis, XXVII lib. III Decret.*; et Benedictum XIV in const. *Cum semper oblatas, 19 Aug. 1744*, quam habes in Allegato II.

(2) Olim praevaluisse videtur sententia eorum qui putabant verba Tridentini non importare nisi obligationem celebrandi (Fagnanus, in *cap. Fraternitatem, De sepulturis, n. 92 sequ.*; Clericatus, *Discordiae forenses, p. 1, disc. 29*). Sed post declarationes SS. CC. RR. et praesertim post constitutiones Romanorum Pontificum haec sententia sustineri amplius non potest.

didisse. Insuper illi qui curam animarum habent adnexam beneficio ecclesiastico, uti episcopi, parochi et etiam abbates, ad hanc Missae applicationem tenentur etiam ex virtute justitiae, ratione quasi contractus in acceptatione beneficii hanc obligationem adnexam habentis. Cum vero praeceptum divinum in multis esset indeterminatum, Ecclesia, latis legibus, illud determinavit; et ita praeceptum applicandi Missam ratione curae animarum est ex parte divinum et ex parte ecclesiasticum. Modo hoc praeceptum exponendum est.

497. 1° In primis videamus quinam hoc praecepto adstringantur. Ex dictis apparet hoc praeceptum obligare *omnes, quibus animarum cura commissa est*, prouti Conc. Trid., *l. c.*, expresse docet. Atqui animarum cura commissa est *Romano Pontifici*, *episcopo dioecesano*, *praelato inferiori jurisdictionem quasi episcopalem habenti in clerum et populum cum territorio separato*, seu *abbati nullius*, *parocho*. Ergo hos omnes hoc praeceptum obligat, cum sequenti tamen differentia. Nam quoniam animarum cura Romano Pontifici et episcopo dioecesano commissa est ex ipsamet institutione Christi, praelato autem inferiori et parocho ex facto Ecclesiae, hinc Romano Pontifici et episcopo dioecesano Missam pro suis ovibus applicare mandatum est praecepto divino absoluto et immediato, aliis praecepto divino hypothetico et mediato, scilicet posito facto Ecclesiae curam animarum committentis.

498. Episcopos dioecesanos, quacumque dignitate etiam cardinalitia auctos, dioecesim regentes, teneri pro suis ovibus Missam applicare, magis recepta sententia erat. Cum autem nonnulli doctores dissentirent, Leo XIII per litteras encyclicas *In suprema*, *IV Idus Junii 1882*, hanc episcoporum obligationem extra dubium posuit, declarans episcopos semper, usque a primis Ecclesiae temporibus, Missam pro ovibus sibi commissis applicavisse. Duo autem notanda sunt. Primum est nomine episcoporum dioecesanorum hic venire omnes illos qui auctoritate episcopali dioecesim regunt. Hinc hac obligatione adstringitur etiam administrator apostolicus, sive temporaneus, sive perpetuus,

qui jussu Romani Pontificis, deficiente episcopo dioecesano, dioecesim regit, cum et ipse curam habeat animarum, sicuti eadem obligatione teneri administratorem parochiae vacantis, nemo negat (*n. 502*). Putamus administratorem apostolicum dioecesis ab hac obligatione non eximi, licet charactere episcopali insignitus forte non esset; imo licet non esset sacerdos. Alterum est dioecesim debere esse canonice erectam, ut episcopus hac obligatione adstringatur. Vide *n. 501* et *n. 505*.

499. Ex dictis sequitur episcopos titulares, seu *in partibus*, ut olim dicebatur, non teneri Missam applicare pro populo sui tituli, cum dioecesim non regant et populi curam non habeant. Id expresse docet Leo XIII, *l. c.*, subdens tamen: « Sed si aequitatis charitatisque episcopalis ratio habeatur, non potest non consentaneum videri eos etiam interdum sacrificium offerre, ut respiciat Deus miseram Ecclesiarum illarum conditionem, quarum titulo et nomine ipsi honestantur. Huic rei optime congruunt quae a Pio VI, Decessore Nostro, in consecratione episcopi Cyrenensis die *4 Oct. 1778* in Basilica Ostiensi dicta sunt, cum scilicet enumerans causas, ob quas Apostolica Sedes Ecclesias, etiam ab infidelibus occupatas, conferre solet: *Oportere*, inquit, *aliquem existere, cui singulariter incumbat, si non regere captivam illam miseri gregis portionem, preces saltem ac lacrymas pro eadem ad misericordiarum Patrem assidue effundere* ».

500. Item nec teneri episcopum suffraganeum, seu coadjutorem, etiam cum futura successione, qui aliquando episcopo dioecesano datur ut ei auxilio sit in regimine dioecesis; nam cura animarum coadjuto potius commissa est, et huic obligationi consultum est per applicationem ab eodem faciendam. Multo minus tenetur vicarius seu generalis, sede plena, seu capitularis, sede vacante. In *Marsoran. 12 Nov. 1831* (n. 4669), ad dubium: « 2° Vicarii capitulares tenenturne ad hanc Missae applicationem (pro ovibus), sede vacante »; S. R. C. reposuit: « Ad 2um: Negative ».

501. Tandem nec teneri vicarios apostolicos in locis mis-

sionum, ubi dioeceses canonice erectae non sunt. S. C. de Prop. Fide, die *16 Jan. 1803*, id jam declaraverat his verbis: « Neque vicarios generales, neque coadjutores vicarii apostolici, uti nec ipsum vicarium apostolicum, ulla teneri obligatione applicandi Missam pro populo, cui praedictis titulis praesunt, sed ex charitate tantum id decere » (1). Rursus hac de re S. C. de Prop. Fide consuluere episcopus Drumorensis et vicarius apostolicus Surinamensis. Propositis dubiis: « 1° An vicarii apostolici et missionarii qui quovis modo suscipiunt animarum curam in aliquo determinato loco, teneantur indiscriminatim ex justitia applicare Missam pro populo diebus festis? Et quatenus affirmative: 2° In quosnam vicarios apostolicos et missionarios ejusmodi onus incumbat? 3° An illis qui ex justitia non tenentur, responderi debeat: *Decere ex charitate*, vel: *Teneri ex charitate*, ad applicandam Missam pro populo; 4° An probata formula: *Teneri ex charitate*, haec intelligi debeat de obligatione sub gravi »; S. C. die *23 Martii 1863*, reposuit: « Ad 1um: Negative, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episcopales ac paroeciae canonice erectae jam sint, atque ad eas vicarius apostolicus et missionarii missi sint, ut legitimorum pastorum vices gerant. Ad 2um: Provisum in primo. Ad 3um: Vitandam esse locutionem: *Teneri ex charitate*, dicendum autem esse: *Decere ex charitate*, idque ita ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat. Ad 4um: Provisum in tertio » (2). His Leo XIII, *l. c.*, minime derogavit. Quod si dioecesis canonice erecta est, licet agatur de locis quae sacris missionibus addicta sunt, episcopus hac obligatione teneri, non est dubium (*n. 505*).

502. Parochum teneri pro populo suae parochiae Missam applicare, recolit etiam expresse Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. IV*: « Curet episcopus ut ii (presbyteri) saltem diebus dominicis et festis solemnibus, *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant*, Missas celebrent ». Rursus ea quae supra *n. 498* adnotavimus de episcopis, etiam de parochis notanda sunt.

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 93*.
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 205*.

Nempe nomine parochi veniunt omnes qui in parochia, vi officii ab episcopo commissi, uti pastores, actu curam gerunt animarum, licet alio nomine appellentur, aut parochiae titulum non habeant, aut ad diaconatum tantum promoti. Hinc, ad instar parochorum, hoc praecepto tenentur abbates *quasi nullius* ; parochi amovibiles ; uti expresse etiam declaravit S. C. C. in *Ostiensi*, *29 Jan. 1724* ; administrator parochiae vacantis; si cura animarum habitualis residet penes alium, e. g., penes Capitulum, actualis penes vicarium sive perpetuum sive temporaneum, tenetur vicarius, non autem Capitulum, uti expresse etiam docet Benedictus XIV, *l. c.*, § *Cum enim*. Praeterea parochia debet esse canonice erecta, ut parochus hoc praecepto adstringatur. Id S. C. de Prop. Fide definiverat die *23 Martii 1863*, *ad 1um* (*n. 501*), et rursus declaravit in litteris encyclicis ad delegatos apostolicos pro Oriente, datis die *8 Nov. 1882* : « Con ogni diligenza la S. V. tornerà a verificare se esistano fra gli Orientali della sua delegazione vere parrocchie, ritenendo che a tale determinazione non si richieggono tutte le formalità prescritte dalla Chiesa Latina, ma basta che per autorità del Vescovo siano stabilmente circoscritte certe communità di fedeli, le quali abbiano il diritto di avere un sacerdote come *proprio pastore*, il quale *vi officii ipsi ab episcopo commissi in hac tali communitate* debba esercitare *munus pastorale*, colla giurisdizione *in foro interno vi ipsius officii*, coll' amministrazione de' sacramenti, colla predicazione della parola di Dio. L'amovibilità *ad nutum* non è per se un segno della mancanza di diritto parochiale » (1). Quod si parochus, unam regens parochiam, plures celebrat Missas, jam dixi-

(1) *Latine* : Cum omni diligentia rursus inquires num inter Orientales tuae delegationis extent verae paroeciae, probe advertens ad id minime requiri omnes formalitates ab Ecclesia Latina praescriptas ; sed sufficere quod auctoritate episcopi sint stabiliter circumscriptae quaedam fidelium communitates quae jure gaudent sacerdotem habendi, tamquam *proprium pastorem*, qui *vi officii, ipsi ab episcopo commissi, in hac tali communitate*, exerceat *munus pastorale* cum jurisdictione *in foro interno vi ipsius officii*, administratione sacramentorum, praedicatione verbi Dei. Amovibilitas ad nutum non est per se signum defectus juris parochialis.

mus *n. 395 sequ.* debere unam applicare pro populo, alterius vero liberam habere applicationem, licet pro eadem stipendium recipere nequeat. Vide etiam *Monasterien., 14 Junii 1845, ad 1um* (n. 5014).

503. Ex dictis sequitur hoc praecepto, tamquam parochos, minime adstringi capellanos parochorum, quocumque demum nomine appellentur, qui eisdem parochis suppetias ferunt in rei parochialis procuratione, cum non ipsis, sed parochis cura animarum commissa sit, et hujus oneris satisfactioni consultum sit per sacrificium quod a parochis peragi debet. Ut id nonnullis declarationibus illustremus, in *Policastren., Missa pro populo, 23 Maii 1856*, cum quaesitum esset an Missa parochialis applicari deberet ab omnibus e clero participantibus per turnum juxta consuetudinem in nonnullis dioecesis locis vigentem, vel potius a parocho tantum, velut apud alia ejusdem dioecesis loca in more positum erat, S. C. C. indiscriminatim reposuit: « Onus applicationis Missae pro populo spectare ad parochum tantum ». Item episcopus Liparensis exposuit S. C. C. « in sua dioecesi unam adesse parochialem ecclesiam quae cathedralis est. Haec parochia plures circum habet insulas inter se multo distantes, et unaquaeque insula plures continet pagos in quorum singulis unum vel duo sunt sacella ; pro quibus regendis saltem quadraginta inesse debent sacerdotes, dicti capellani, vel capellani curati, quorum officium est concionari in festis, sacramenta Eucharistiae, poenitentiae, extremae unctionis ministrare et ad sepulturam comitari. Aliqui eorum etiam baptizant, sed liber baptizatorum, sicut et confirmatorum et mortuorum, residet penes magistrum capellanum, vel parochum in cathedrali, qui praeest omnibus, et ad quem illi referunt adnotationem baptizatorum et mortuorum ». Ceterum pauperrimus erat populus et tenuissima capellanorum congrua. Quaerebat igitur episcopus an hujusmodi capellani curam animarum proprie dictam exerceant, adeoque an teneantur Missam pro populo applicare. S. C. in *Liparen., Missa pro populo, 23 Mart. 1861, per summaria precum*, reposuit: « Juxta expressa, negative in omnibus ». In eodem sensu reposuit

S. R. C. in cit. *Monasterien.* Nam expositum fuit : « 3° Per epistolam encyclicam s. m. Benedicti Papae XIV cautum est, ut omnes et singuli qui actu curam animarum exercent, et non solum parochi et vicarii saeculares, verum etiam regulares, omnibus dominicis aliisque diebus festis de praecepto Missam parochialem pro populo applicare teneantur. Duplex de hujus constitutionis sensu dubium exortum est : 1° Num non solum parochi et qui parochi vices fungentes curam *primariam* exercent, sicut hic habetur consuetudo, sed etiam omnes cura *subsidiaria* fungentes ad applicandum pro populo diebus festis obligentur ? Contra hanc extensionem, quam pauci aut nulli sequuntur, nobis vox *Missa parochialis*, quae tamen solum unicum et ex sensu communi sacrum solemne significat, rationem fundatam porrigere videtur. Denique dubitatur num etiam in illis diebus festis qui jam pridem auctoritate Sedis Apostolicae interveniente, hic locorum sunt abrogati, et hodie, ut dicunt, non in foro, sed solum in choro celebrantur, ita ut quoque obligatio fidelium ad audiendum sacrum sit sublata, adhuc obligatio parochi ad applicandum pro populo sacrum perseveret... ». S.C. reposuit : « Ad 3um : Quoad primam partem, solum teneri qui animarum curam *primariam* exercent ; quoad secundam partem, juxta alias decreta, teneri etiam in festis legitime abrogatis ».

504. Pariter nec capellani carcerum, nosocomiorum, hospitalium, collegiorum, etc., tenentur ad Missam applicandam pro illis qui in his locis degunt, cum non agatur de vera parochia, et pro illis applicet parochus. Archiepiscopus Dublinensis exposuerat hos capellanos ab episcopo nominari et a Gubernio stipendium accipere ac omnium qui praedictis locis detinentur, curam gerere, eisdem ecclesiastica sacramenta, uno excepto matrimonio, ministrare independenter a parocho. Cum autem postularet num ii capellani tenerentur ad Missae applicationem pro suis subditis, S.C.C. in *Dublinen., Missa pro populo, 2 Junii 1860, per summaria precum*, reposuit : « Negative ». Idem declaraverat S. R. C. in *Quebecen., 7 Sept. 1844* (n. 4988) ; ubi ad dubium : « 1° An capellani monialium curae praepositi ad Missam pro

eisdem monialibus diebus dominicis et festivis de praecepto applicandam teneantur » ; S. C. reposuit : « Ad 4um : Non teneri, cum non sint parochi ».

505. Item nec tenentur missionarii in locis ubi sedes episcopalis et parochiae canonice erectae non sunt, ut patet ex responsis S. C. de Prop. Fide relatis *n. 501*. Eadem S. C. haec responsa confirmavit die *26 Febr. 1875*. Nam propositis ab archiepiscopo Quebecensi dubiis : « 5° In hac regione saepe contingit, ut quaedam territoria valde ampla, sed populum valde dispersum continentia, ab episcopo limitibus circumscribantur ad tempus sub nomine *missionis*, non vero *parochiae* ; eorum cura spiritualis aliquando committitur presbytero qui ibi residet cum titulo *missionarii* et omnia munera perficit quae sunt parochi propria, decimas et oblationes percipit, sicut verus parochus. Teneturne ille presbyter ad celebrandum pro populo sicuti parochus ; 6° Aliquando harum missionum cura spiritualis committitur alicui parocho vel missionario vicino qui ibi identidem celebrat per se vel per vicarium. Teneturne ille parochus vel missionarius ad Missam applicandam pro populo si habeat vicarium vel alium sacerdotem vel bis ipse celebret » ; S. C. reposuit : « Ad 5um et 6um : Negative et detur decretum *18 Aug. 1866* ». Quod si parochiae canonice erectae sunt, licet locus sit sacris missionibus addictus, rector parochiae, quocumque tandem nomine appelletur, hoc praecepto tenetur. Hinc refert Zamboni, *Coll. Dec. S. C. C., tom. V, v. Parochus*, quod orta quaestione : « Tenenturne parochi illis diebus (quibus operibus servilibus vacare indultum erat) Missam, ut antea, pro ovibus sibi creditis applicare » ; S. C. de Prop. Fide reposuit missionarios teneri. Quod si tenentur diebus e festorum albo dispunctis, multo magis teneri debent iis diebus qui adhuc in festorum numero comprehenduntur.

506. Tandem, quod attinet ad superiores regulares, die *15 Martii 1710*, apud S. C. C. agitatum fuit dubium : « An Pater Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, Vicarius Generalis, ac omnes et singuli Provinciales ac Priores seu superiores locales et conventuales ejusdem Ordinis, te-

neantur sacrificium Missae parochialis seu pastoralis pro eorum ovibus, scilicet pro eorum regularibus subditis, offerre et applicare ». Jamvero S. C. resolutionem distulit « ad quam, ita Giraldi, *Expos. Jur. Pont., part. II, sect. 85*, numquam amplius devenit ; factis enim perquisitionibus tum a me in regestis S. C. C., tum a moderno Patre Procuratore Generali S. Augustini in suo archivio, nullum repertum est monumentum datae resolutionis. In bibliotheca tamen Angelica, penes conventum S. Augustini de Urbe, asservantur responsiones ad dictum dubium contra procuratorem fiscalem », qui sententiam obligationi faventem propugnabat contra Regulares, obligationem negantes. Nec Benedictus XIV in cit. const. *Cum semper oblatas*, de obligatione superiorum regularium verbum habet. Proinde haec superiorum regularium stricta obligatio non constat et ideo interim urgenda non est, licet deceat profecto ex charitate ut superiores regulares pro suis subditis applicent. Ceterum regulares non comprehenduntur in episcopi aut parochi applicatione pro populo, cum ipsorum curae commissi non sint ; comprehenduntur autem, sicuti quilibet alius fidelis, in applicatione Romani Pontificis pro tota Ecclesia. Hinc, nisi superiores regulares pro ipsis applicent, subditi regulares sub hoc respectu sunt in deteriori conditione quam reliqui fideles.

507. Si episcopus duas dioeceses, aut abbas *nullius* duas abbatias aeque principaliter unitas regit, unam tantum Missam pro utroque populo applicare tenetur, ut expresse definit Leo XIII, *l. c.* Idem absque dubio dicendum est, si duae dioeceses aut duae abbatiae nullo modo unitae sunt ; e. g., cum episcopus, ad aliam sedem translatus, primam ex mandato apostolico retinet uti administrator apostolicus. Hinc etiam Romanus Pontifex qui, ex episcopatu ad supremum pontificatum evectus, retinet titulum suae dioecesis, satis est ut unam Missam applicet pro tota Ecclesia in qua dioecesis continetur. E contrario si parochus regit duas parochias plenaria et extinctiva unione unitas, non tenetur nisi ad unius Missae applicationem ; sed si regit duas parochias aeque principaliter, aut subjective, aut nullo modo

unitas, debet duas Missas applicare, unam pro populo unius, aliam pro populo alterius parochiae, aut utramque pro utraque parochia; si regit tres parochias, debet tres Missas applicare, etc. Inter plures SS. CC. declarationes quae citari possent, vide responsionem S. C. C. diei *3 Febr. 1844* (*n. 531*); item ejusdem S. C. responsionem in *Cameracensi* (*n. 396*), in *Salamantina* (*n. 397*), etc. Hic addere sufficiat responsionem S. C. de Prop. Fide in *Quebecensi* (*n. 505*). Nam propositis ab archiepiscopo Quebecensi dubiis: « 1° Quando parochus (qui duabus praeest parochiis) celebrat eadem die in utraque parochia, teneturne ad applicationem utriusque Missae pro populo; 2° Quando (idem) parochus celebrat per se in una et per vicarium vel alium sacerdotem in altera, debetne utraque Missa applicari pro populo; 3° Quando una parochia caret ecclesia et populus ejus ad alteram ecclesiam venit, ut obligationi satisfaciat audiendi Missam, teneturne parochus ad applicationem duarum Missarum, si habeat vicarium vel alium sacerdotem aut etiam bis celebret ipse; 4° Aliquando evenit ut Missa non celebretur in parochia minus principali, nisi bis aut semel in mense aut etiam minus frequenter; teneturne parochus aliis dominicis et festivis diebus duplicem Missam applicare, si habeat sacerdotem aut ipse bis celebret in sua ecclesia »; S. C. de Prop. Fide reposuit: « Ad 1um, 2um, 3um, 4um: Affirmative ». Neque parochus, ad unicam Missam pro pluribus populis sibi commissis applicandam, innitatur sententiae illorum qui putant Missam pluribus applicatam aeque singulis prodesse ac si pro singulis applicaretur (*n. 492*); nam ipse ad Missam pro suis ovibus applicandam tenetur obligatione justitiae (*n. 496*), pro qua probabile tantum adimplementum satis non est (*n. 493*). Necessarium est indultum apostolicum, ut parochus, duas regens parochias, utrique obligationi per unam Missam satisfacere possit, e. g. in festis suppressis; cujus indulti exemplum habes in *Metensi, 8 Febr. 1894.*

508. Leo XIII, *l. c.*, his verbis explicat hanc differentiam inter episcopum qui plures regit dioeceses, et parochum qui plures parochias: « Alia est parochorum, alia

episcoporum ratio. Etenim cum cuique parocho specialis in unaquaque paroecia ac definita populi cura commissa sit, festis diebus parochus non modo celebrare pro populo debet, sed etiam in parochiale templum populum admittere, ut sacrosancto Missae sacrificio intersit et audiat verbum Dei et sacramenta pro opportunitate recipiat et iis omnibus officiis excolatur quae diebus praesertim dominicis aliisque festis praestanda sunt. At non haec valere possunt pro episcopis, qui dissimili in conditione et causa versantur, cum nulla lege hodie jubeantur omnibus diebus festis sanctum sacrificium in cathedrali templo peragere ».

509. Quid vero si episcopus simul dioecesim administrat, uti episcopus, et parochiam suae dioecesis regit, uti parochus? S. C. de Prop. Fide die *25 Sept. 1779*, ad archiepiscopum Antibarensem scribebat: « Ritrovandosi Ella a supplire le veci di parocho in qualche cura vacante..., sarà sufficiente che Ella ne' giorni stabiliti celebri la Messa pe' suoi diocesani, ne' quali viene anche compresa la parrocchia alla quale per accidente assiste » (1). At recentius propositis dubiis : « 8° An episcopus Drumorensis qui parochi officium exercet, dum Missam pro suis dioecesanis applicat, suae satisfaciat obligationi, quae sibi uti parocho inhaeret ; 9° Quatenus ipse episcopus satis non facit obligationi parochorum propriae circa applicationem Missae pro populo, quidnam de praeterito suae obligationis inadimplemento dicendum sit » ; eadem S. C. reposuit die *23 Mart. 1863* (*n. 501*) : « Ad 8um : Juxta exposita negative et ad mentem. Mens est quod si episcopus nullum habet in civitate Newry vicarium, qui eam parochiam administret, teneatur eum ibi constituere, ac per eum ipsum debeat etiam satisfacere obligationi Missae pro populo, animadverso tamen quod ad normam § *4* const. Benedicti XIV *Cum semper oblatas*, in praefinienda congrua ad illiusmodi onus habeat respectum. Ad 9um : Ad Secretarium cum

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 191. Latine* : Cum tu vices parochi in aliqua paroecia vacanti supplebis..., satis erit ut in diebus determinatis celebres Missam pro tuis dioecesanis, inter quos includitur etiam paroecia, cui per accidens adsistis.

SSmo ». Putamus hac responsione S. C. recessisse a praecedenti responsione diei *25 Sept. 1779*, et non admittimus distinctionem inter episcopum, parochiae titulum retinentem, et episcopum administrantem, vel ad tempus, parochiam vacantem; nam administrator, vel ad tempus, parochiae vacantis, dummodo veri parochi munere fungatur, ad Missae applicationem pro populo tenetur eodem prorsus modo ac parochus titularis. Et jure meritoque S. C. ab illa responsione recessit. Nam sive titulum parochiae retineat, sive parochiam ad tempus regat, episcopus in casu est simul episcopus et parochus. Quatenus episcopus, debet applicare pro dioecesi; quatenus parochus, debet applicare pro parochia, et ita parochiani duarum Missarum applicatione fruuntur, sicuti aliarum parochiarum fideles habent applicationem Missae episcopalis et applicationem Missae parochialis.

510. Ex his jam apparet in genere tum sacerdotem qui debet Missam applicare pro pluribus populis sibi commissis, tum sacerdotem qui debet Missam applicare pro eodem populo sibi commisso titulo episcopali et titulo parochiali, non posse unius Missae applicatione omnibus suis obligationibus satisfacere, sed debere tot Missas applicare, quot sunt populi sibi commissi, aut tituli quibus commissi sunt. Necessarium est indultum apostolicum, ut sacerdos unius Missae applicationem praetermittat : quod S.C.C. concessit in *Catalaunen.*, *9 Maii 1874*. Nam episcopus exposuit saepe accidere ut sive ob morbum, sive ob intemperiem, sive ob inundationem, etc., quidam parochi non valeant secundam Missam diebus dominicis vel festis in secunda parochia celebrare. Postulabat ergo pro hisce casibus facultatem eos dispensandi sive pro praeterito sive pro futuro ab applicatione secundae Missae pro populo, ea lege ut unica Missa pro populo utriusque parochiae applicetur, sive curam habeant secundae parochiae, sive deserviant secundae parochiae cujus titularis ob causas probatas in sua ecclesia non residet. S. C. reposuit : « Quoad absolutionem, celebrata ab unoquoque parocho una Missa, pro gratia absolutionis super enuntiatis omissionibus ; quoad vero dispensa-

tionem, episcopo cum facultate dispensandi juxta petita et in circumstantiis taxative ibi expressis, onerata ipsius episcopi conscientia, ad quinquennium, facto verbo cum SSmo ». Etiam alia exempla hujus dispensationis parocho concessae in thesauro resolutionum S. C. C. habentur pro casibus quibus parochus, duas regens parochias, secundam Missam celebrare omnino non potest nec per se nec per alium, aut non sine gravi incommodo.

511. Cum vero obligatio applicandi Missam pro populo descendat ipso jure divino ex animarum cura, sequitur personas quas huc usque enumeravimus, hac obligatione urgeri statim ac curam animarum susceperunt. Proinde Romanus Pontifex tenetur ab acceptatione pontificatus. Episcopus tenetur a capta possessione, uti censuit etiam S. R. C. in *Marsorum, 12 Nov. 1831* (n. 4669) ; nam ad dubium : « 22° Episcopi tenenturne ad applicationem Missae pro ovibus post adeptam possessionem, an statim ac electi sunt in Consistorio » ; S. C. reposuit : « Ad 22um : Post adeptam possessionem ». Possessionem vero episcopus sumit, quando, dioecesim ingressus, capitulo bullas apostolicas exhibet. Item a possessione tenetur parochus, cui ex paritate rationis est applicanda praecedens S. R. C. responsio pro episcopis data. Possessionem vero parochus titularis sumit per caeremoniam quae in jure dicitur *institutio corporalis* et vulgo *prise de possession* seu *installation* ; alii autem qui nomine parochorum veniunt hac in re, et etiam parochus titularis, si institutio corporalis ex dispensatione tacita vel expressa superioris locum non habet, incipiunt obligari, quando parochiam, servatis servandis, gubernandam suscipiunt. Haec applicentur abbatibus nullius et quasi-nullius.

512. Ab hac obligatione divino-ecclesiastica non excusat defectus congruae et multo minus exiguitas congruae seu redituum episcopatus, abbatiae, parochiae. Nam quomodonam exiguitas redituum potest ab applicatione Missae dispensare, cum hoc onus in *officio pastorali* comprehendatur, praescindendo a fructibus beneficii, uti expresse docet S. C. de Prop. Fide in litteris encyclicis ad delegatos apostolicos pro Oriente, diei *8 Nov. 1882* ? Hinc

exposito dubio : « Parochus residentialis civitatis S. habetur vices gerens episcopi in officio parochiali ; nominatur et eligitur ab episcopo absque concursu et est semper unus ex capitularibus, canonicali tantum beneficio provisus. Nulla adest praebenda, nec habitatio parochialis, et reditus stolares sunt adeo tenues ut vix exaequent expensas muneri parochiali adnexas pro loco officii, libris et officiosa communicatione. Quaeritur an episcopus vel parochus teneatur ad applicandam Missam pro populo in casu » ; S. C. C. die *22 Aug. 1878* reposuit : « Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam ». Et ad quaestionem : « An parochus ad applicationem Missae teneatur in diebus dominicis et festis, sive habeat congruam sive non » ; eadem S. C. reposuit die *10 Maii 1692* : « Teneri et iisdem diebus aliam eleemosynam non posse accipere ». Tandem id expresse declaraverunt Innocentius XII in const. *Nuper*, *24 Apr. 1699* ; Benedictus XIV in cit. const. *Cum semper oblatas*, § *5* ; Leo XIII, *l. c.* Et cum episcopi Spoletanae provinciae praeter alia statuissent : « *f*). Oeconomos parochos qui aliud non possident beneficium vel duplex vel simplex, quibus tenuissimum solvitur honorarium, non esse inquietandos, si, licet obligentur, pro populo diebus festis non applicent. Commiserandum enim iis videtur, ne fame pereant » ; S. C. C. in *Spoletana*, *Postulatum super Missa pro populo et aliis*, *27 Maii 1893*, censuit : « Ad exposita sub literis *a*) *b*) *c*) *d*) *e*) non esse interloquendum ; contenta sub littera *f*) non probari, sed esse in singulis casibus recurrendum ad S. Sedem ». Igitur parochus vel rector parochiae qui vel nullos vel exiguos nimis reditus habet, adeat, mediante episcopo, Sedem Apostolicam ; quae in his circumstantiis obligationem applicandi Missam pro populo nonnumquam ex parte dispensavit seu mitigavit, e. g., in *Catalaunen.*, *9 Maii 1874* ; in *Rupellen.*, *8 Julii 1843*, etc.

Pariter ab hac obligatione non eximit consuetudo, utcumque immemorialis, quae, utpote contraria juri divino, dicenda est potius corruptela. Id insuper expresse definit Benedictus XIV, *l. c.* Hinc in *Mechlinien.*, *25 Sept. 1847*,

proposito dubio : « 2° An consuetudo unquam legitima haberi possit vi cujus parochi non applicant pro populo sanctum Missae sacrificium aut dominicis aut saltem praedictis festis diebus suppressis » ; S. C. C. reposuit : « Ad 2um : Negative ».

Demum nec alia quaecumque exceptio excusat.

513. Romanus Pontifex in jure divino hypothetico dispensare potest ob gravissimas causas. Hinc parochos et praelatos inferiores posset, si de absoluta potestate sermo sit, ab hac obligatione applicandi Missam pro populo totaliter eximere, seu ita obligationes parochi et praelati inferiores determinare, ut non comprehendant munus pastorale et ita nec onus applicationis Missarum. At hanc omnimodam dispensationem Romanus Pontifex numquam concessit, ni fallimur, et numquam concedet. E contrario jus divinum absolutum ipse remittere non potest. Hinc Romanus Pontifex nequit secum aut cum episcopis ita dispensare ut numquam pro populo celebrent. Potest vero dispensare circa determinationes praecepti ab Ecclesia inductas quibus ipse non adstringitur proprie dicta obligatione, quasque nos inferius exponemus.

514. 2° Modo videamus quibus diebus personae animarum curam habentes Missam pro populo applicare debeant (1). Praeceptum divinum applicandi Missam pro populo non obligaret nisi *aliquoties durante officio* (*n. 534*). Ecclesia autem id melius determinavit ac extendit, praecipiens ut Missa pro populo applicaretur diebus dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto, uti SS. CC. et Romani Pontifices saepius declaraverunt, finem imponentes controversiis theologorum quas vide apud S. Alphonsum, *VI, n. 324*. Leo XIII, *l. c.*, refert documenta ecclesiastica quibus constat episcopos, usque a primis Ecclesiae temporibus, Missam pro populo diebus dominicis applicavisse. Urbanus VIII per const. *Universa, 13 Sept. 1642*, definivit dies festos, praeter dies dominicos, ab omnibus fidelibus servandos cum duplici obligatione, quibus postea Clemens XI per const. *Commissi*

(1) In omnibus directoriis divini officii indicantur dies quibus obligatio applicandi Missam pro populo urget.

Nobis, 6 Dec. 1708, addidit festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. His igitur diebus urget praeceptum applicandi Missam pro populo. S. C. C. die *8 Februari 1726*, apud Benedictum XIV, *Inst. Ecc. X, n. 4*, declaravit parochos habentes pingues redditus non teneri Missam pro populo quotidie applicare, ac jussit hujusmodi dubia amplius non proponi. Quod si aliquod festum incidat in alio die festo, e. g., festum S. Joseph in die dominico, unica Missa pro populo applicanda est, cum duplici praecepto per unicum actum satisfieri possit, si illo unico actu totum ponatur quod per diversas leges praescribitur; ita e. g., si festum aliquod occurrit in dominica, satis est semel sacro adesse (1). Et si dies non est festivus in oppido, licet sit festivus in reliquis dioecesis partibus, parochus illius oppidi non tenetur eo die Missam applicare pro populo, nec episcopus potest hanc applicationem eidem imponere. Id recenter S. C. C. confirmavit *in Cajetana, Missae pro populo, 25 Maii 1895*. Ceterum omnes admittunt sacerdotem qui obligatus ad Missam pro populo applicandam, vel unius Missae debitae applicationem praetermittit omnino, peccare per se graviter.

515. Tractu temporis nonnulli dies festi fuerunt vel dimidiati, S. Sede permittente ut fideles operibus servilibus vacare possent, salva obligatione audiendi Missam, vel penitus suppressi seu expuncti e catalogo dierum festorum, S. Sede utramque obligationem audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus remittente. Attamen Romani Pontifices in iis indultis concedendis noluerunt parochos aliosque ab obligatione Missam iis diebus pro populo applicandi absolvere; et SS. CC. sive Concilii, sive de Prop.

(1) In *Briocen., 14 Aug. 1858* (n. 5252), ad dubium : « 2° Cum juxta decretum diei *12 Martii 1836* in *Tridentina ad dubium 10um*, celebranda sit Missa Rogationum, quando processio fit, hinc quaeritur : 1° An die *25 Aprilis* occurrente in dominica, in ecclesiis ubi unicus est sacerdos, Missa cum cantu Rogationum valeat etiam pro adimplendo onere Missae parochialis ; et quatenus affirmative, quaeritur : 2° An in ejusmodi Missa omitti debeant *Gloria* et *Credo* ; 3° An haec Missa decantari debeat tono feriali » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Juxta alias decreta, affirmative in omnibus ».

Fide, sive Rituum, et S. Poenitentiaria saepius declaraverunt obligationem applicandi Missam pro populo aeque diebus festis dimidiatis aut suppressis urgere ac antea quando Urbani constitutio plene vigebat. Ita, e. g., in *Strigonien.*, *9 Maii 1857* (n. 5232), ad dubium : « 6° Jamdudum a Clemente Papa XIV in Austria nonnulla festa abrogata et fideles ab obligatione iis diebus Missam audiendi absoluti sunt. An parochi illis festis, ut dicitur, abrogatis Missam pro populo applicare tenentur, cum in bulla diei *22 Junii 1771* desuper edita obligationis hujus expressa mentio haud occurrat » : S. R. C. reposuit : « Ad 6um : Affirmative ». Vide etiam *Monasterien.*, relatam *n. 503*, etc. Cum vero nonnullarum dioecesium parochi applicationem Missae pro populo iis diebus praetermittere solerent, Pius IX tulit const. *Amantissimi Redemptoris, 3 Maii 1858*, qua hanc obligationem recolit et inculcat, parochos qui ob assertam consuetudinem memoratis diebus Missam pro populo applicare omiserant, ab omnibus quibusque praeteritis omissionibus auctoritate apostolica absolvens, et indultis praecedenter a Sede Apostolica obtentis minime derogans.

516. Quid vero si festum transfertur ? Missa pro populo applicanda est in die *a quo*, vel in die *ad quem* ? Si festum ita transfertur ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, etiam Missa pro populo applicanda erit in die *ad quem*. Sane aequum est ut pro populo applicetur Missa illius festi, cui populus tenetur assistere. Revera Pius IX, *l. c.*, statuit : « Quod attinet ad festos translatos dies, id unum excipimus, ut scilicet quando *una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem,* una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet ». E contrario, si transfertur vel solum officium cum Missa, non autem solemnitas seu duplex praeceptum, vel sola solemnitas, non autem officium cum Missa, Missa pro populo applicanda erit in die *a quo*. Hinc, e. g., in Galliis et

Belgio transfertur in diem dominicum sequentem solemnitas, sed non officium festi occurrentis in hebdomada ; proinde obligatio applicandi pro populo affixa remanebit suo diei. Pariter, festo de praecepto, e. g., Annuntiationis B. M. V., S. Joseph, etc., incidente in feria V in coena Domini, transfertur officium, sed non obligationes (*n. 79*) ; proinde rursus Missa pro populo applicabitur in feria V, uti expresse etiam declaravit S. R. C. in *Lingonen., 5 Dec. 1868* (n. 5417) ; nam ad dubium : « 1° Anno 1869 festum Annuntiationis B. M. V. incidet feria V in coena Domini et juxta rubricas, quoad officium et Missam, reponendum est in feria II post dominicam in Albis. Quaeritur autem an applicatio Missae quae in hoc festo debet pro populo fieri, debeat in coena Domini, vel e contra feria II post dominicam in Albis ? Ratio dubitandi est quia in Gallia, per concordatum diei *9 Apr. 1802*, sublata est obligatio abstinendi ab operibus servilibus et sacrum audiendi in festo Annuntiationis » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam ». Si in feria VI in Parasceve aut in sabbato sancto occurrit festum Annuntiationis B. M. V., transfertur in feriam II post dominicam in Albis tum officium cum Missa, tum praeceptum audiendi sacrum et abstinendi a servilibus : hinc Missa pro populo applicabitur feria II post dominicam in Albis, ut patet etiam ex dictis *n. 85*, *93*. Si in sabbato sancto incidit aliud festum, praeter festum Annuntiationis, e. g., festum patroni, officium cum Missa transfertur ad primam diem non impeditam, et S. R. C. non semel arbitrio episcopi remisit ad eamdem diem transferre etiam praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus (*n. 94*); proinde si episcopus, una cum officio et Missa, haec quoque praecepta transtulit, Missa pro populo applicari debet in die *ad quem* ; secus in sabbato sancto. E contrario si feria VI in Parasceve occurrit aliud festum, praeter festum Annuntiationis, officium cum Missa transfertur ad diem non impeditam ; solemnitas autem seu praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus non transfertur (*n. 86*); hinc ex exposita theoria sequitur Missam pro populo fore

applicandam feria VI in Parasceve ; et quoniam feria VI in Parasceve cujuslibet Missae celebratio prohibetur, praeter Missam *Praesanctificatorum* quae vera Missa non est, inde deducimus obligationem applicandi Missam pro populo hoc in casu cessare. Num haec nostra deductio recta sit, doctores videant.

517. Cum igitur in translatione festi suppressi transferatur officium cum Missa, non autem solemnitas seu praeceptum audiendi Missam et abstinendi a servilibus, ut patet, sequitur, translato festo suppresso, Missam pro populo esse semper applicandam in die *a quo*. Confirmatur ex responsione S.C.C. in *Trevirensi, Missae pro populo, 24 Apr. 1875, per summaria precum*. Nam cum auctoritas civilis petiisset ut feria IV tertiae hebdomadae post Pascha esset festiva pro solemnibus quotannis ad Deum precibus faciendis ad obtinendos uberes ex agris proventus, cumque Pius VI per epistolam *Potentissimus, 19 Apr. 1788*, annuisset, episcopus Trevirensis, ut festum melius servaretur, statuit commemorationem Tunicae Ssmi Salvatoris quae in cathedrali ecclesia ejusdem dioecesis magna in veneratione habetur, celebrandam esse praedicta feria. Jam vero an. 1871 haec feria occurrebat die *3 Maii*, quo die fit festum inventionis S. Crucis ; quod proinde translatum fuit in diem *11 Maii* una cum onere applicandi Missam pro populo. Res non arrisit parochis : unde quaestio delata est ad S. C. C. num parochi die *11 Maii* ad applicandam Missam pro populo tenerentur. S. C. sciscitavit utrum haec dies, translatione peracta, remaneret ferialis, an esset festiva, vel saltem in ecclesia peragerentur functiones et ritus peragi soliti in diebus tum festis adhuc de praecepto, tum suppressis. Episcopus reposuit die *11 Maii* nullas peragi functiones et ritus dierum festivorum, sed solum celebrari Missam de festo translato officiumque divinum sive privatim sive in choro. Igitur S. C. reposuit : « In casu de quo agitur, parochos non teneri idque notificetur episcopo ». His unica est exceptio. Nempe, ut mox diximus, festum Annuntiationis B. M. V., incidens in feria VI in Parasceve aut in sabbato sancto, plene transfertur in feriam II post dominicam in Albis ; et licet festum

Annuntiationis sit forte suppressum, uti, e. g., in Galliis et in Belgio, Missa pro populo applicanda est feria II post dominicam in Albis, ut clare patet ex generali S.R.C. decreto relato *n. 85*.

518. Quid vero si festum est dimidiatum, sola obligatione audiendi sacrum urgente, et transfertur? Putamus applicandam esse theoriam *n. 516* expositam. Proinde si transfertur officium cum Missa et praeceptum audiendi sacrum, Missa applicetur in die *ad quem*; secus, Missa applicetur in die *a quo*. Hinc translatio obligationis applicandi Missam pro populo sequitur translationem officii cum Missa ac praecepti audiendi Missam.

519. Praeterea dubitari potest num in die Nativitatis Domini personae quae praecepto applicandi Missam pro populo tenentur, tres Missas celebrantes, debeant pro populo applicare non modo primam, sed et alteram et tertiam. Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. IX, n. 9*, affirmat hanc quaestionem nunquam a S. C. C. fuisse nec examinatam nec decisam; et ignoramus num examen fuerit institutum et decisio prodierit post laudatum Pontificem qui mentem suam non pandit. At putamus solutionem hujus quaestionis desumi posse ex cit. const. *Cum semper oblatas* ejusdem Pontificis. Nam sub *n. 11* ipse tradit capitula teneri ad Missam conventualem applicandam pro benefactoribus in genere eodem prorsus modo quo Missa parochialis applicari pro populo debet ab iis qui curam habent animarum. Atqui si capitulum duas vel tres Missas conventuales ad Rubricarum praescriptum celebrat, idem Pontifex statuit sub *n. 22*, omnes has Missas esse applicandas pro benefactoribus in genere, si id ferat consuetudo; secus liberam esse applicationem alterius et tertiae Missae conventualis, dummodo in *Memento* celebrans commemorationem faciat omnium benefactorum in genere; de qua re suo loco. Ergo haec applicanda sunt etiam habenti curam animarum, qui die Nativitatis Domini tres Missas celebrat.

520. Solus Romanus Pontifex, cum agatur de lege generali, potest remittere obligationem applicandi pro populo in aliquibus ex praedictis diebus, e. g. in festis suppressis. Id

S. Sedes aliquando concedit ratione indigentiae parochorum : qua in re tamquam regula generalis habenda est sequens decisio S. C. C., *29 Jun. 1859* : « Ad tramites encyclicae SS. D. N. diei *3 Maii 1858*, recurrendum esse a singulis parochis aliqua reductione indigentibus super applicatione Missae pro populo diebus festis suppressis ad Sacram Congregationem, quae, perpensis peculiaribus rerum adjunctis, ac praesertim annuo reditu et oneribus tum congruae parochialis, comprehensis incertis utriusque stolae, tum legatorum Missarum aut quarumcumque obventionum, si quae sint, respectivis ecclesiis inhaerentium, ac requisito super singulis ejusmodi petitionibus voto episcopi, eas edet provisiones seu responsa quae magis in Domino expedire judicaverit ». Vide, e. g., *Treviren.*, *Indultum circa applicationem Missae pro populo diebus festis suppressis, 18 Julii 1893*, qua S. C. C., vigore facultatum sibi a Romano Pontifice concessarum, potestatem episcopo Trevirensi facit ad trienninm dispensandi ab applicatione Missae pro populo in diebus festis suppressis parochos qui annuam congruam scutorum 448 non percipiunt. Non raro idem indultum S. Sedes elargitur in favorem Seminariorum pauperum, ut scilicet parochi diebus festis suppressis applicent ad intentionem episcopi qui eleemosynam deinde servat in favorem Seminarii. At S. C. C. die *18 Febr. 1865* noluit episcopo annuere qui petebat ut parochi diebus festis suppressis non applicarent pro populo, atque ita possent celebrare numerosas Missas fundatas aut manuales. Nec consuetudo hac in re quidquam prodest.

521. Obligatio applicandi Missam pro populo adeo adnexa est diei, ut nequeat in alia die, loco diei praescriptae, adimpleri, non obstante contraria consuetudine. Revera in *Portugallien.*, *Missae pro populo*, episcopus in relatione status dioecesis exposuit antiquam vigere consuetudinem, ut parochi in dominicis aliisque festis diebus de praecepto cantent Missam confraternitatum quae in eorum parochialibus ecclesiis erectae sunt, eamdemque Missam non quidem pro populo ipsis commisso applicare, sed juxta mentem eorum, quibus solemnitates celebrant. Cum vero episcopus in una

pastorali encyclica hanc consuetudinem abusum vocaverit parochosque vel per se vel, si impediti fuerint, per alium Missam applicare teneri declarasset, parochi non pauci reclamaverunt; et ideo episcopus indulsit ut parochi diebus dominicis aliisque festis cantarent quidem Missam confraternitatum, eam tamen applicantes pro populo; et aliam Missam infra hebdomadam celebrarent cum applicatione favore confraternitatum. Proposito dubio: « An et quomodo sustineatur consuetudo in casu »; S. C. C. reposuit die *30 Maii 1867*: « Negative et ad mentem ». Mens autem fuit ut per epistolam nota episcopo fieret resolutio et ab eodem sciscitaretur num aliquo modo fieri posset ut confraternitates Missam haberent in diebus festis; num periculum esset ne parochi, Missam canentes in commodum confraternitatum, negligerent adimplementum suarum obligationum erga parochianos in diebus festis; num tandem confraternitates consentirent ut parochi in alia die applicent. Pariter, praesente cadavere, parochum non posse die dominica aliisque festis applicare pro defuncto et alia die infra hebdomadam pro populo, eadem S. C. declaravit in *Fesulana* relata *n. 527*. Attento jure communi, tunc tantum sacerdos, obligatus ad Missam pro populo applicandam, potest et debet in alia die applicare, quando propria die, legitime impeditus, nec per se ipsum nec per alium applicare potuit, juxta ea quae diximus *n. 528 sequ.* Episcopus ad normam cit. const. *Cum semper oblatas*, § *Quia vero,* in uno casu indulgere potest, ut Missa pro populo applicetur in alio die infra hebdomadam, scilicet si ex una parte agatur de parochis adeo pauperibus, ut ferme ex eleemosynis manualibus vivere cogantur, et ex alia hanc eleemosynam habeant die qua pro populo applicare tenerentur. Praeter hunc casum requiritur indultum apostolicum ut Missa pro populo alia die applicari queat. Nonnulli episcopi indultum a S. C. C. obtinuerunt licentiam parochis concedendi, ut festis suppressis, praesertim si nulla solemnitas in populo supersit, Missam parochialem in sequentem diem remittere possint, si occurrant exequiae, corpore praesente vel pridie defuncto, sponsorum benedictio, etc., licet extremus paupertatis casus de quo

Benedictus XIV, *l. c.*, non verificetur. Quod si sacerdos una vel altera vice, citra rationabilem causam aut legitimum indultum, Missam pro populo die praescripta non applicat, eamdem applicans alia die, juxta plures peccati mortalis reus non est (1).

522. Ceterum ex jure communi necesse minime est ut parochus celebret et applicet Missam solemnem ; ita ut, attento jure communi, ipse possit celebrare et pro populo applicare Missam privatam et alius sacerdos celebrare Missam solemnem, ut expresse etiam definivit S. R. C. (*n. 523* et *525*). At in nonnullis dioecesibus constitutiones synodales praecipiunt ut parochus ipse Missam solemnem celebret et pro populo applicet ; quae synodales constitutiones servandae sunt, cessante gravi incommodo.

523. 3° Sacerdos ad Missam pro populo applicandam adstrictus praedictis diebus, debet propriae obligationi per seipsum satisfacere, et non potest Missam pro populo applicare per alium ; proinde haec obligatio est personalis. Ipsum jus divinum videtur personalem obligationem imponere, si haec possibilis est ; quae proinde et Romanum Pontificem afficit. Unde nec Romanus Pontifex potest ita a personali obligatione dispensare, ut persona obligata *numquam* per seipsum applicare debeat et possit *semper* applicare per alium. Quidquid de hoc sit, certe jus ecclesiasticum personale adimplementum exigit. Sufficiat unam aliamve declarationem S. C. C. referre. Huc spectat in primis responsio data in *Mechlinien., 25 Sept. 1847* ; nam proposito dubio : « 3° An parochi ipsi sanctum Missae sacrificium pro populo offerre debeant, si legitima causa non impediantur ; an vero per alium, e. g., sacellanum aut presbyterum advenam huic officio satisfacere possint » ; S. C. reposuit : « Ad 3um : Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam, excepto casu verae necessitatis et concurrente causa canonica ». Eodem prorsus modo reposuerat in *Castri Albi, Visit. lim., 18 Julii 1789* ; nam ad dubium : « An parochi dictarum ecclesiarum (Cathedralis et Collegiatae S. Mariae)

(1) Lehmkuhl, *vol. II, n. 196.*

aliarumque Collegiatarum dioecesis Castri Albi teneantur per se ipsos applicare diebus festis Missam pro populo; seu potius possint per beneficiatos aliosque sacerdotes praedicto oneri satisfacere in casu »; rescripsit: « Affirmative ad primam partem; negative ad secundam ». Vide etiam *Fesulanam, 16 Junii 1770, ad 2um*, relatam *n. 527*. Tandem S. R. C. in *Vicariat. Buremund. in Hollandia, 27 Febr. 1847* (n. 5079), ad dubium: « 4° An parochus, privatim celebrans, possit applicare pro suis, vel teneatur applicare facere pro populo summum sacrum »; reposuerat: « Posse vel per se vel per alium, quin requiratur Missa solemnis ». At postea in *Dubii, 22 Julii 1848* (n. 5129), hanc responsionem ita declaravit: « Responsionem datam die *27 Febr. 1847* intelligendam esse quoad Missam solemnem de qua agebatur; nam propius ad casum, non obstantibus alias decretis et in facto declaratis, rescribere rata est posse quemlibet parochum, accedente justa et legitima causa, adimplementum Missae pro populo applicandae alii sacerdoti committere, seu per alium sacerdotem hanc Missam celebrare facere ». Ceterum si persona obligata habitualiter per alium applicaret, grave peccatum committeret; sed si una aliave vice, etiam citra justam et legitimam causam, peccatum videtur leve (1).

524. Sedem Apostolicam posse hanc personalem obligationem mitigare, non est dubium; idest S. Sedes potest permittere ut sacerdos, ad applicandum pro populo obligatus, aliquando applicet per alium; et exemplum habes in *Melevitana* infra *n. 527* citanda. Praeterea occurrente justa et legitima causa, sacerdos absque ulla dispensatione non solum potest, sed etiam debet applicare per alium, dato stipendio, potiusquam adimplementum suae obligationis ad alium diem remittere. Videamus quaenam sit justa et legitima causa quae a personali obligatione excusat.

525. In primis consuetudo non est causa justa et legitima. Hinc in *Camberien.*, *20 Dec. 1861* (n. 5341), cum

(1) Lehmkuhl, *l. c.*

expositum fuisset : « In dioecesibus Sabaudiae opportunum visum est ut illa Missa diebus dominicis et festivis applicetur pro populo, cui populus ipse adstare consuevit et ideirco haec applicatio fit a vicario, quando is alternative Missam parochialem celebrat. Hinc quaeritur : 1° An ejusmodi usus servari et retineri possit ; 2° Utrum applicatio fieri semper debeat a parocho etiam privatim celebrante » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Negative. Ad 2um : Affirmative juxta alia decreta ». Pariter S. C. C. in *Mechlinien., 25 Sept. 1847*, proposito dubio : « 4° Quid censeri debeat de consuetudine vi cujus parochus diebus dominicis et festis Missam privatam pro pio aliquo benefactore applicat ; et, nullo legitimo impedimento detentus, onus celebrandi Missam pro populo in alium sacerdotem transfert » ; reposuit : « Ad 4um : Consuetudinem de qua agitur, non esse attendendam ». In eodem sensu reposuit eadem S.C. in *Celimonten., 9 Apr. 1891*. Nam episcopus exposuit : « In ecclesiis parochialibus suae dioecesis diebus festis a parocho vel vice-parocho vel etiam ab alio sacerdote Missam parochialem nuncupatam solemniter cum cantu celebrari et inter Missarum solemnia fieri quoque sancti evangelii explanationem. Fideles porro, firmiter putantes illam semper pro ipsis applicari, ad eam audiendam libenter confluunt. At pro populo applicatur nonnisi dum parochus illam canit, qui pluribus distentus curis, frequenter cogitur hujusmodi munus alteri sacerdoti demandare. Hinc episcopus, optans fideles in hac erronea persuasione haud diutius versari, ac simul advertens quod si id praenoscerent, aegre ferrent et non amplius tam diligenter ad illam Missam audiendam accederent, quaerit : 1° Utrum praedicta vigens consuetudo sit habenda tamquam causa canonica sufficiens ut parochus alii committat Missam pro populo loco ipsius celebrandam ; 2° Posito quod non sit causa sufficiens, ut nihilominus concedatur facultas ». S. C. reposuit : « Ad 1um : Negative. Ad 2um : Non expedire ». Vide etiam *Tiburtin., 21 Nov. 1801 ; Policastren., 23 Maii 1857, etc.*

526. Consuetudo parochum juvare potest in duplici casu.

Primus est, si habitualis cura est apud aliquem sacerdotum coetum, e. g., canonicorum, actualis vero penes vicarium, et consuetudo obtinuit ut canonici Missam pro populo per turnum applicent; haec consuetudo sustinetur. Huc spectat responsio S.C.C. in *Camerinen., Missae pro populo et legatorum.* Nam in oppido Sanctonatoliae Camerinensis dioecesis extabat Collegiata S. Martini : quatuor ex canonicis qui primae erectionis dicebantur, curam animarum habitualem habebant, actualis vero exercebatur a vicario per capitulum electo et ab Ordinario approbato, cui congruum stipendium a canonicis curatis solvebatur : Missa autem pro populo diebus festis celebrabatur a canonicis per turnum. Bonis capituli ab Italico Regimine occupatis an. 1812, Missae pro populo non amplius applicatae fuerant; et tandem propositis dubiis : « 1° An et ad quem spectet onus celebrationis Missae pro populo, in casu... ; 4° An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritas omissiones in casu » ; S.C. reposuit die *16 Dec. 1820* : « Ad 1um : Affirmative ad quatuor canonicos primae erectionis... Ad 4um : Affirmative, celebratis sexaginta Missis per quatuor canonicos applicandis pro populo ».

Alter est, si sacerdotum munus est, juxta beneficii erectionem aut alium legitimum titulum, coadjuvare parochum in cura animarum, et consuetudo invaluit ut ii sacerdotes aliquibus vicibus applicent pro populo, loco parochi ; haec consuetudo pariter sustinetur. Huc spectat responsio ejusdem S.C. in *Spoletana, Missa pro populo, 14 Maii 1831.* Nam parochus erat qui principaliter animarum curam sustinebat : eidem insuper, uti coadjutores, aderant duo canonici, qui ex fundationis jure in cura animarum subeunda suppetias ferebant, quique vicissim cum parocho Missam pro populo applicare solebant. Cum vero coadjutores illius temporis sese vellent eximere, proposito dubio : « An canonici coadjutores teneantur, alternatim cum parocho, applicare Missam pro populo, in casu » ; S. C. reposuit : « Affirmative ». Vide etiam *Ripana, Jur. par., 15 Dec. 1725* et rursus *20 Nov. 1762 ;* et *Verulana, Missa conventualis et Missa pro populo, 12 Dec. 1829, ad 2um.*

527. Pariter nec praesentia cadaveris in ecclesia est causa justa et legitima ut parochus applicet pro defuncto et alius sacerdos pro populo. Revera in *Fesulana*, *26 Januarii 1771*, propositis dubiis : « An parochi in dominicis aliisque festis diebus, praesente cadavere, possint celebrare Missam pro defuncto et ad alium diem transferre Missam pro populo applicandam in casu ? Et quatenus negative, an saltem applicationi Missae pro populo supplere possint per alium sacerdotem » ; S.C.C. reposuit : « Ad 1um et 2um : Negative ». Item nec legatum aut fundatio, ita ut parochus applicet Missam legatam aut fundatam, etsi solemniorem, et alius sacerdos applicet pro populo. Id expresse declaravit S. C. C. in *Melevitana*, *Missae pro populo*, *9 Apr. 1892*. Nam in parochia diebus festis duae Missae celebrari solebant, alia summo mane sine cantu, sed cum explicatione evangelii, quae applicabatur pro populo ; alia post tertiam solemnis cum ministris, pro cujus celebratione in nonnullis festivitatibus habebantur fundationes. Parochus putabat se posse Missam solemnem celebrare pro intentione fundatoris et alium sacerdotem delegare ad celebrandam primam Missam pro populo ; aut saltem se posse Missam solemnem celebrare pro populo, non obstante fundatione aut legato, et alium sacerdotem substituere pro intentione legati ; demum si neutrum de jure poterat, indultum petebat, in praecipuis anni festivitatibus et quando post Missam benedictio aliqua, e. g., candelarum, palmarum, etc., facienda erat, celebrandi Missam solemnem ad intentionem legati seu fundationis, et alium substituendi ad celebrandam Missam pro populo ; ejusque preces episcopus commendabat. Propositis dubiis : « 1° An parochus loci N. in festivitatibus in quibus Missa solemnis celebranda est pro peculiaris legati implemento, possit alteri sacerdoti Missam pro populo committere in casu. Et quatenus negative ; 2° An iisdem diebus possit celebrare Missam solemnem cum applicatione pro populo et alium substituere pro intentione legati. Et quatenus negative ; 3° An et quomodo ejus preces sint excipiendae in casu » ; S. C. reposuit : « Ad 1um et 2um : Negative. Ad 3um : Affirmative, juxta votum episcopi ».

528. E contrario causa infirmitatis, itineris aliaque rationabilis, qua sacerdos, ad Missam pro populo applicandam obligatus, diebus praescriptis non celebrat, est justa ac legitima ut applicet per alium, imo debet per alium applicare, si fieri potest; quod a fortiori verum est, si sacerdos habet quidem animarum curam, e. g., est parochus, sed nondum presbyteratus ordinem assequutus est. Huc spectant sequentes declarationes S. C. C. Episcopus S. Dionysii (Bourbon) proposuit sequentia dubia: « 1° Utrum parochus, infirmitate detentus ac diebus dominicis ac aliis festis ea de causa impeditus celebrare, teneatur per alium supplere his ipsis diebus, si adsit alius sacerdos, aut post recuperatam sanitatem Missas omnes sic non applicatas offerre ipse pro populo; 2° Utrum parochus, iter aliquod die festo agens et eo die Missam celebrare prohibitus, Missam altero die pro populo supplere teneatur; 3° Utrum parochus, pia peragens exercitia secessus ecclesiastici, Missam die festo aut dominico non celebrans, teneatur Missas hoc tempore non oblatas pro populo deinceps supplere »; S. C. reposuit die *14 Dec. 1859*: « Ad 1um: Affirmative ad primam partem et negative ad secundam. Ad 2um et 3um: Teneri die statuta per alium, citra speciale indultum S. Sedis ». Rursus in *Petrocoricen.*, *14 Dec. 1872*, ad dubia: « 1° An parochus die festo, a sua parochia absens, satisfaciat obligationi, Missam celebrando pro populo in loco ubi degit, seu potius teneatur substituere alium qui Missam pro populo dicat in propria ecclesia; 2° An teneatur Missam applicare pro populo in loco ubi degit, seu potius ad parochiam rediens, teneatur applicare in propria ecclesia; 3° An parochus morbi causa legitime impeditus ne Missam celebret, teneatur post recuperatam sanitatem tot Missas applicare pro populo, quot durante morbo omisit, sive in casu quo nec per se nec per alium celebrare poterat sine gravi incommodo, sive in casu quo poterat per alium, sed ex aliquo vano timore vel negligentia non curavit vel non obtinuit ut alius pro se applicaret »; S. C. reposuit die *14 Dec. 1872*: « Parochum die festo a sua parochia legitime absentem satisfacere suae obligationi

Missam applicando pro populo suo in loco ubi degit, dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet. Parochum vero, utcumque legitime impeditum, ne Missam celebret, teneri eam die festo per alium celebrari et applicari facere pro populo in ecclesia parochiali ; quod si ita factum non fuerit, quamprimum poterit, Missam pro populo applicare debere ». Tandem in *Comen.*, *11 Maii 1720*, ad dubium : « 5° An occurrente quod archipresbyter parochus celebret Missam conventualem, vel alias legitime absit, seu sit impeditus tam in diebus festivis, quam ferialibus quadragesimae, teneatur celebrare facere per alium Missam parochialem pro populo » ; S. C. reposuit : « Ad 5um : Affirmative, sed cum applicatione diebus festis tantum ». Ubi illud *teneatur* accipiendum est juxta praecedentem responsionem.

529. Ex his declarationibus apparet sacerdotem ad Missam pro populo applicandam adstrictum, debere per seipsum applicare ; legitime a celebratione Missae impeditum ratione infirmitatis, exercitiorum spiritualium, defectus ordinis presbyteralis, etc., posse et debere applicare per alium ; si id non est possibile, quam primum per seipsum vel per alium applicabit alia die ; demum parochum legitime absentem e dioecesi et celebrantem, posse vel per seipsum applicare in loco ubi degit, vel applicare per sacerdotem qui parochi absentis vices gerit. Id autem putamus verum non esse de episcopo et abbate nullius ; nam eorum obligatio localis non est (*n. 533*), ac proinde legitime absentes videntur debere personaliter applicare in loco ubi degunt et non posse applicare per alium in dioecesi aut abbatia.

530. Redactores ephemeridis *Acta S. Sedis, v. VII, pag. 192*, quaerunt utrum populo melius sit Missam applicari a parocho absente, an ab alio sacerdote praesente, et respondent melius esse Missam applicari ab alio sacerdote praesente. Sed haec responsio fundamento caret ; nam in utroque casu populus aeque percipit fructum medium ex applicatione et fideles Missae assistentes et ita concelebrantes

aeque percipiunt fructum specialem ; proinde fidelium et populi utilitas ex sacrificio eadem in utroque casu est. Imo ex alia parte pie credi potest Deum, ceteris paribus, preces pastoris pro suis ovibus facilius recepturum esse.

531. Ex dictis facile intelligitur quid dicendum de parocho qui duas regit parochias aeque principaliter, vel subjective, vel nullo modo unitas. Scilicet si habet licentiam binandi, juxta ea quae supra disputavimus, et binat, utramque Missam pro populo applicabit per se ; si alteram Missam ob aliquod impedimentum celebrare nequit, ipsam applicabit per alium ipsomet die ; si id est impossibile, eamdem per se vel per alium supplebit infra hebdomadam. Si non habet licentiam binandi, e. g., in festis suppressis, alteram Missam ipso jure celebrare nequit, et ideo repete quae mox diximus. Haec confirmantur ex declarationibus S. C. C. Nam in *Catalaunen.*, *8 Junii 1873*, cum quaesitum fuisset : « 1° Utrum parochus, duas habens parochias, qui ob rationabilem causam non potuit die dominica vel festo secundam Missam celebrare, teneatur per hebdomadam applicare Missam pro populo suae secundae parochiae, vel utrum sufficiat ut unicam Missam quam die dominica vel festo celebrat, applicet pro populo duarum suarum parochiarum ; 2° Utrum diebus festis suppressis in quibus binam Missam celebrandi non habet facultatem, sufficiat ut solam Missam quam dicere potest, applicet pro populo duarum suarum parochiarum, vel utrum altera die teneatur secundam Missam pro populo secundae parochiae applicare » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam. Ad 2um : Negative ad primam partem; affirmative ad secundam ». Rursus propositis dubiis : « 1° Utrum parochi duas aut plures regentes paroecias, ad duas vel plures Missas pro populo celebrandas diebus festis teneantur per se aut per alios ? 2° Et quatenus per se teneantur, an ipsis, ad tramites constitutionis Benedicti XIV, *Declarasti Nobis*, binandi facultas fieri possit » ; S. C. C. reposuit die *3 Febr. 1884* : « Ad 1um : Parochum, prout in casu, teneri sive per se, sive per alium ad tot Missas celebrandas quot regit parochias. Ad 2um : Non esse locum

facultati Missas iterandi, nisi cum ex cleri deficientia alius sacerdos non adsit qui parochi loco celebrare et applicare possit ».

532. Tandem est alia causa legitima et canonica quae parochos-canonicos nominatim respicit. Nam si parochia adnexa est praebendae canonicali, parochus, pro suo turno celebrans Missam conventualem, de qua infra, debet Missam pro populo applicare per alium, ut statuit Benedictus XIV in cit. const. *Cum semper oblatas*, § *17*.

533. 4° Demum parochus ad Missam pro populo applicandam obligatus, ipsam, de regula generali, celebrare debet in ecclesia parochiali ; unde haec obligatio est etiam localis. Equidem jus divinum non exigit ut Missa pro populo celebretur in determinato loco ; sed hanc loci determinationem induxit Ecclesia, ut populus Missae pro ipso applicatae interesse possit et verbum Dei a parocho infra Missarum solemnia explicatum audire. Diximus autem de regula generali Missam pro populo celebrandam esse in parochiali ecclesia ; nam si propter speciale festum in aliquo sacello vel ecclesia filiali intra limites parochiae concursus fiat, licite ibidem Missa parochialis cum verbi Dei explicatione celebrabitur. Praeterea si parochus legitime abest a parochia, posse vel per seipsum applicare in loco ubi degit, alio sacerdote celebrante in ecclesia parochiali, vel per alium celebrare et applicare in ecclesia parochiali, vide *n. 528*. Haec parochi localis obligatio antiquitus quando parochiani tenebantur Missam diebus festis audire in propria parochia, gravior erat ; hodie si raro parochus Missam pro populo celebraret extra parochialem ecclesiam, probabilius non foret per se peccatum grave (1).

Episcopus autem et abbas non tenentur Missam pro populo celebrare in ecclesia cathedrali et abbatiali, imo nec in dioecesi et abbatia ; et ideo eorum obligatio localis non est. Ratio differentiae clare patet ex relatis *n. 508*.

534. Ut huic materiae finem imponamus, quaerimus num lex divino-ecclesiastica quam huc usque exposuimus

(1) Lehmkuhl, *l. c.*

obliget etiam Orientales. Respondemus legem divinam obligare etiam Orientales, legem autem ecclesiasticam per se non obligare. Revera propositis dubiis : « 1° An obligatio applicandi Missam pro populo quae secundum jus Ecclesiae Occidentalis imposita est parochis aliisque ecclesiasticis viris animarum curam obtinentibus, locum similiter habeat pro eisdem personis de ritu Orientali. Quatenus affirmative : 2° Circa determinationem dierum, an debeant observari leges ac consuetudines rationabiles quae forte vigeant in aliquibus dioecesibus dicti ritus ; 3° In defectu harum legum et consuetudinum, an hujusmodi determinatio fieri debeat ad normam et ex omni parte juxta leges Occidentales ; 4° An ob graves causas et circumstantias fieri locus queat alicui reductioni dierum praefinitorum a legibus Occidentalibus atque etiam totali dispensationi, cum obligatione tamen orandi pro populo in illis ipsis Missis quae pro ipso applicandae forent » ; S. C. de Prop. Fide reposuit die *23 Mart. 1863* : « Ad 1um : Affirmative, reformato dubio, ut sequitur : an obligatio Missam applicandi pro populo quae secundum jus Ecclesiae Occidentalis imposita est episcopis et parochis, locum similiter habeat pro iisdem personis de ritu Orientali. Ad 2um : Affirmative. Ad 3um : Negative. Ad 4um : Provisum in tertio et ad mentem. Mens est quod, data opportunitate, manifestetur episcopis Ecclesiae Orientalis obligatio quae etiam in eadem Ecclesia incumbit animarum pastoribus applicandi aliquoties Missam pro populo, et quod pertinet ad dierum determinationem, exponatur ipsis Ecclesiae Occidentalis disciplina ut lumen exinde sumant quo disjudicare valeant usque dum eadem disciplina suis dioecesibus convenire possit, itemque ut proponant quocumque casu S. Sedi temperamenta quae magis necessaria censeantur ». Haec autem rursus et melius declarat eadem S. C. in litteris encyclicis datis die *8 Nov. 1882* ad delegatos apostolicos pro Oriente : « La Santità di N. S. Leone XIII emanava la costituzione *In suprema* del 10 Giugno corrente anno, riguardante l'obbligo di tutti i Vescovi di applicare la Messa *pro populo* ne' giorni festivi... Ella non ignora che secondo la decretale d'Inno-

cenzo III nel Concilio Lateranense IV *Licet Graecos*, e secondo la spiegazione datane in una Congregazione di teologi tenuta nel 1631 innanzi al Cardinal Panfili, la miglior parte de' dottori, non escluso lo stesso Lambertini (Benedetto XIV), è di sentimento, che nelle costituzioni apostoliche non si intendano compresi gli Orientali se non nei tre seguenti casi: 1° nei punti di fede e dottrina cattolica; 2° dove la materia stessa dimostra la comprensione, in quanto non è una legge soltanto ecclesiastica, ma una dichiarazione della legge divina e naturale; 3° quando, benchè si tratti di ordinazioni disciplinari, gli Orientali vi sono espressamente nominati. Questa dottrina di teologi e canonisti non è stata finora sanzionata dalla S. Sede; è certo però che gli Orientali *ab immemorabili* ritengono, qual sentenza teoretica e prattica, di non esser compresi nelle costituzioni disciplinari, se non nel modo predetto, e che questa loro persuasione non fù mai condannata dalla S. Sede. Posta questa teoria, è ben chiaro primieramente che tutti i vescovi anche Orientali sono certamente compresi nella citata costituzione del S. Padre *In suprema*, in quanto che essa dichiara il gius divino dell' obbligo della Messa *pro populo*, giacchè *vi pastoralis officii* sono assolutamente tenuti *de jure divino* i vescovi di qualunque rito ad applicarla. Laonde non è questo un punto di disciplina mutabile e che possa essere, secondo i diversi riti, cambiato o abolito per qualunque contraria consuetudine, la quale non sarebbe altro che un abuso erroneo, se si tratti dell'obbligo de' vescovi *in se* di offrire il santo sacrifizio *pro populo* e non già se si tratti del numero delle Messe che debbono offerirsi in ogni giorno festivo. Questo numero viene determinato da una legge ecclesiastica, in applicazione della legge divina, e quindi in ciò non è esclusa, secondo le diverse circostanze, ogni diversità e dispensa » (1).

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 113. Latine*: Leo XIII edidit const. *In suprema, 10 Junii* decurrentis anni circa obligationem omnium episcoporum applicandi Missam pro populo diebus festis. Non ignoras quod juxta decretalem Innocentii III in concilio Lateranensi IV *Licet Graecos*, et juxta explicationem datam in quadam theologorum congre-

II

De applicatione debita ratione stipendii.

1° *Disciplina Ecclesiae de Missarum eleemosyna vindicatur.*

535. In primis Ecclesiae saeculis fideles, ad Missae sacrificium convenientes, offerebant in Missae *offertorio* panem et vinum juxta uniuscujusque facultates; et, modica parte reservata pro consecratione, reliquum cedebat sacerdotibus et clericis pro eorum sustentatione (1); imo posteriori aetate usus insuper invaluit ut vel ante Missam, vel ante evangelium, vel post Missam fideles super aut prope altare deponerent quidquid vellent, etiam pecuniam. Attamen panis, vinum et reliqua dabantur ecclesiae et clericis in communi, non vero sacerdoti particulari qui Missam celebraret pro Missae applicatione ad intentionem dantis; unde id

gatione habita anno 1631 coram Card. Pamphylio, melior doctorum pars, non excepto ipso Lambertinio (Benedicto XIV), censet in apostolicis constitutionibus non comprehendi Orientales, nisi in tribus sequentibus casibus: 1° in articulis fidei doctrinaeque catholicae; 2° quando ipsa materia indicat comprehensionem, quatenus non est lex mere ecclesiastica, sed declaratio legis divinae et naturalis; 3° quando, licet agatur de constitutionibus disciplinaribus, Orientales sunt expresse nominati. Haec theologorum et canonistarum doctrina non est huc usque a S. Sede sancita; certum tamen est quod Orientales *ab immemorabili* retinent, tamquam sententiam theoreticam et practicam, se non esse comprehensos in constitutionibus apostolicis, praeter quam in casibus praedictis, hancque eorum persuasionem numquam fuisse a S. Sede damnatam. Hac theoria constituta, satis liquet in primis omnes episcopos etiam Orientales esse comprehensos in cit. constitutione S. Patris *In suprema,* quatenus per eam declaratur jus divinum, Missam pro populo imponens, quandoquidem vi pastoralis officii absolute tenentur de jure divino episcopi cujuscumque ritus ad ejus applicationem. Quapropter non agitur hic de capite disciplinae mutabilis quod juxta diversos ritus possit sive variari sive aboleri per quamcumque contrariam consuetudinem, quae nihil aliud esset, nisi abusus erroneus, si agatur de episcoporum obligatione *in se* offerendi sanctum sacrificium pro populo, non autem de numero Missarum offerendarum in diebus festis. Hic numerus determinatur ab ecclesiastica lege in applicationem legis divinae, et idcirco hac in re non excluditur, juxta diversas circumstantias, omnis diversitas et dispensatio.

(1) In offertorio Missae, praeter panem et vinum, offerre etiam licuit oleum pro luminaribus, thymiama, mel et lac, etc.

quod dabatur, non habebat praecise rationem eleemosynae pro Missae applicatione (1).

536. Morem stipem elargiendi sacerdoti ut medium sacrificii fructum largitor stipitis in se, in proximos aut amicos sive vitae compotes sive defunctos derivaret, non ante saeculum VIII inductum, neque passim ubique ante XII receptum asserit Mabillonius in *Praef. ad part. I saeculi III Benedictini, n. 62*, cui tamen contradicit Belendi in *Dissert. historico-theologica de oblationibus, part. II*, § 2, illum longe antiquiorem affirmans ; cui adhaeret Benedictus XIV, *l. c., n. 5*. Enimvero quod in fine saeculi VIII jam invaluisset, fidem facit Chrodegangus, episcopus Metensis, in regula quam saeculo VIII labente, vel IX ineunte, suis canonicis praescripsit ; in ea quippe *cap. 32*, *De eleemosynis*, cuique canonicorum liberam facit potestatem accipiendi et in quos vellet usus expendendi eleemosynam ipsi oblatam pro Missa. Saeculo vero XI eumdem morem adeo longe lateque propagatum scimus, ut pueris quoque notus esset ; uti probat factum S. Petri Damiani adhuc pueruli qui inventum nummum maluit sacerdoti praebere pro Missae applicatione in suffragium animae patris sui defuncti.

537. Quidquid sit de ejus origine historica, certum est hanc disciplinam, nempe ut pro Missae celebratione et applicatione sacerdos stipem recipere et etiam exigere et Missam ad intentionem oblatoris pro dato stipendio applicare possit, a pluribus saeculis in universa Ecclesia catholica receptam esse et a suprema auctoritate ecclesiastica expresse probatam. Diximus pro *dato stipendio* ; nam non licet Missam applicare pro eo qui postea Missam petiturus est et stipendium praebiturus. In Hispania inoleverat consuetudo « ut sacerdotes, Missam celebrantes, ejus valorem applicent iis qui postea Missae celebrationem postulaturi ac pro ea eleemosynam praebituri sint, tametsi, antequam Missae sacrificium peragetur, neque a sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa eleemosynam praestitissent ». Clemens VIII rem examinan-

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XXI, n. 1, 2, 3, 4, 5*, ubi haec fuse enarrat, adductis documentis.

dam commisit S. C. C. quae die *15 Nov. 1608* « hujusmodi consuetudinem tamquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis et offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiae more nimis abhorrentem explosit ac improbavit ». Paulus V hanc S. C. responsionem comprobavit eamque datis ad omnes episcopos litteris promulgavit (1). Sed hujusmodi applicatio esset ne illicita tantum, an etiam invalida? Si applicatio fiat pro illo qui *postea* (indeterminate) Missam petiturus est et stipendium praebiturus, applicatio est invalida (*n. 473*). Si applicatio fiat pro persona determinata, e. g., ad intentionem illius qui primus Missam petiturus est et stipendium praebiturus, applicatio est valida (*n. 477*). Plures censent applicationem in casu esse irritam, si causa pro qua Missa applicatur, adhuc non existit; e. g., si primus stipendium offerens postulabit Missam pro liberatione ab infirmitate quae nondum contracta est quando Missa celebratur ; tunc enim effectus Missae suspensus remanere deberet (2). Nos etiam in hoc exemplo applicationem habemus validam, cum, uti diximus *n. 474*, Missa applicari possit ad impetrandam sanitatem ab infirmitate futura, nec effectus Missae tunc suspensus remanet, sed potius gratia *nunc pro tunc* obtinetur. Sapienter autem advertit De Lugo, *De Poenitent., disp. XIII, n. 139*, offerentem eleemosynam non percipere in casu fructum specialissimum (*n. 35*), quia hic fructus percipitur ex facto celebrationis, et quando ipse offert eleemosynam, Missa jam celebrata est et fructus specialissimus perceptus. Quamquam vero Missae applicatio pro persona determinata est valida, tamen est illicita ob relatam Ecclesiae prohibitionem, quae etiam hunc casum comprehendit. S. Alphonsus, *l. c.*, cum aliis docet « quod si sacerdos praevideat quod postulabuntur Missae pro aliquo defuncto, bene potest eas nunc offerre et deinde stipendium percipere, quia hoc casu jam offertur pro persona determi-

(1) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XCII.* Prosper Lambertinus (Benedictus XIV), archiepiscopus Bononiensis, contra sacerdotes hanc prohibitionem violantes, addidit poenam suspensionis ipso facto (*De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XXII, n. 11*).

(2) S. Alphonsus, *VI, n. 337*, probabilius cum La Croix, *n. 222*.

nata ». Salva reverentia erga S. Doctorem, putamus id verum non esse, quia tum quaestio proposita S. C. C., tum consequenter ejusdem responsio ad hunc casum extenditur (1).

538. Praxim et doctrinam Ecclesiae circa Missarum eleemosynas insectati sunt Wicleffitae hodieque adhuc insectantur Lutherani, Calvinistae aliique acatholici, dictitantes pecuniam sacerdoti celebraturo in Missae pretium dari ideoque simoniacam esse. Pariter eam reprobare ausa est pseudo-synodus Pistoriensis *(n. 466)*; ejusque doctrinam « quae velut turpem abusum notat unquam praetendere eleemosynam pro celebrandis Missis et sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolae* et generatim quodcumque stipendium et honorarium quod suffragiorum aut cujuslibet parochialis functionis occasione offertur »; Pius VI in const. *Auctorem fidei, 28 Aug. 1794*, sub *n. 54*, ita damnavit : « Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiae qui, secundum receptum et probatum Ecclesiae morem et institutum, utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab iis quibus spiritualia ministrantur, falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris laesiva ac in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa ».

539. Contra hos omnes in primis animadvertimus eleemosynas Missarum a catholico, sine magna temeritate, reprobari non posse uti illicitas, cum haec praxis, in universa Ecclesia recepta, a suprema auctoritate ecclesiastica probata sit, ut supra diximus, et, aliis omissis, apparet ex damnata propositione pseudo-synodi Pistoriensis. Sed modo debemus Ecclesiae praxim et doctrinam ab adversariorum cavillationibus vindicare.

540. Principii loco dicimus falsum esse stipendium dari et recipi tamquam pretium Missae seu fructus medii sacrificii Missae, ita ut Missa seu fructus medius sit merces, cujus pretium sit stipendium oblatum, et Missa seu fructus medius stipendio ematur. Si ita esset, stipendium foret

(1) Ballerini ad Gury, *vol. II, not. ad n. 377*, in fine.

aperte simoniacum simonia juris divini, cum res spiritualis infiniti valoris comparetur cum minima re temporali. Hoc autem posito, explicandum remanet quomodonam stipendium possit recipi, exigi et in pactum deduci, quin sit Missae vel fructus medii pretium et absque labe simoniaca. Doctores catholici varias proposuerunt explicationes ; quarum nonnullae sunt plane insufficientes, uti, praeter alios, probat De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XXI, n. 2 sequ.* Communior et facilior explicatio est stipendium non esse Missae seu fructus medii pretium et omni labe simoniaca carere, quia est pro sustentatione sacerdotis. Ad rem S. Thomas, *2, 2, q. 100, a. 2, ad 2um* : « Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiae ; hoc enim esset simoniacum ; sed quasi stipendium suae sustentationis ». Id autem fusiori indiget declaratione.

541. Quae sunt necessaria ad bonum spirituale ministrandum, non sunt ejusdem pretium, quia pretium est pro ipsomet bono, quod supponit necessaria. Hinc si bonum spirituale ministratur in favorem alicujus personae, minister, absque ulla simonia juris divini et gratuito praebens bonum spirituale, potest necessaria ad ipsum bonum ab eadem persona petere et exigere ; haec, si bonum habuit sub eorum promissione, eadem debet ex virtute justitiae, sicuti minister, si eadem recepit sub promissione boni, illud debet ex virtute justitiae. De Lugo, *l. c.*, haec declarat « exemplo pictoris, e. g., qui nollet vendere suas operas seu picturas, sed vellet gratis depingere in obsequium ecclesiae et votum de hoc fecisset. Non esset tamen contra hoc votum, si peteret ab ecclesia illa sumptus necessarios ad colores, ad tabulam et alia omnia ; adhuc enim diceretur depingere gratis. Imo si ipse ad laborandum cibo vel potu peculiari indigeret, illud totum computaretur inter sumptus necessarios ad picturam, et posset dici in rigore gratis et non pro pretio fecisse illud opus, si solum acciperet necessaria ad pingendum. Rursus ponamus aliquem habere virtutem supernaturalem et gratiam gratis datam ad curandum aliquod morbi genus. Si hic accerseretur a

principe ut eum curaret, propositis magnis praemiis, posset dicere : *Gratis accepi, gratis dabo, nolo pretium*, et hoc licet peteret necessaria ad iter illud agendum et licet, dum esset in principis curia, alceretur principis expensis ; haec enim non sunt pretium, sed sunt necessaria ad hoc ut posset exequi illic suum ministerium ». Atqui inter alia necessaria ad bonum spirituale ministrandum, primum locum obtinet ministri sustentatio. Ergo ministri sustentatio non est pretium boni spiritualis ; si bonum spirituale ministratur in favorem alicujus personae, minister, absque ulla simonia juris divini et bonum spirituale gratuito praebens, potest ab eadem persona aliquid pro sua sustentatione petere et exigere ; persona quae bonum habuit, promittens aliquid pro sustentatione ministri, id debet ex virtute justitiae, sicut minister qui aliquid pro sua sustentatione obtinuit sub promissione boni spiritualis, hoc debet ex virtute justitiae (1). Revera hoc jus naturale ministri bonorum spiritualium ad sustentationem alte proclamatur in sacris litteris. Ita *Lucae*, *X*, 7, Christus D. ait : *Dignus est operarius mercede sua*. Et Apostolus *I^a Cor.*, *IX*, 7 *sequ.* : *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat? Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?.... Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt ; et qui altari deserviunt, cum altari participant?* Ecclesia autem potest prohibere, ne minister, bonum spirituale alicui praebens, e. g., absolutionem sacramentalem, aut sanctam communionem, aliquid pro sua sustentatione a fideli petat et exigat ; qua posita prohibitione, minister, id petens et exigens a fideli, simoniam juris ecclesiastici committeret.

542. Haec applicentur celebrationi et applicationi Missarum ; et concludendum erit stipendium quod praecise datur pro partiali sustentatione sacerdotis celebrantis et applicantis eamque repraesentat, non esse pretium Missae

(1) « Unusquisque qui in commodum alterius se occupat, debet ex justitia ab eo sustentari ». S. Alphonsus, *III*, *n. 55*.

et fructus medii; sacerdotem, absque ulla simonia juris divini, ac gratuito Missam celebrantem et applicantem, posse illud petere et exigere a petente Missam; qui, Missa celebrata et applicata, illud debet ex virtute justitiae, sicuti sacerdos, recepto stipendio, Missam debet ex virtute justitiae; de qua obligatione sacerdotis fusius infra *n. 584 sequ.* Est igitur inter sacerdotem et fidelem contractus innominatus *do ut facias*, seu do partialem sustentationem, stipendio repraesentatam, dummodo pro me celebres et applices Missam, vel *facio ut des*, seu celebro et applico Missam pro te, dummodo des partialem sustentationem; qui contractus non est simoniacus jure divino, quia stipendium, repraesentans partialem sacerdotis sustentationem, non est pretium Missae seu fructus medii, sed est necessarium ad sacrificium quod petitur, ut supra explicatum est. Equidem Ecclesia prohibuit, etiam praeter jus divinum, quemlibet contractum in spiritualibus, qui proinde redolet simonia, si non juris divini, saltem juris ecclesiastici; sed Ecclesia probans eleemosynas Missarum, eo ipso ab hac prohibitione excepit celebrationem et applicationem Missae.

543. In ephemeride *Le Canoniste contemporain, 1893, pag. 73*, scriptor quidam praxim et doctrinam Ecclesiae hoc modo explicat: « L'Église permet au prêtre de faire une convention à l'occasion de la messe, et en même temps, en vertu de son haut domaine, elle lui donne un droit strict sur l'honoraire. Personne, certes, ne refuse à l'Église ce pouvoir. Donc, le *fidèle* est lié et par le pacte qu'il a spontanément consenti et par la volonté de l'Église qui donne au prêtre un *jus ad rem* sur l'honoraire. De même le *prêtre* est lié d'abord par sa parole — il a reçu l'argent sous la condition de dire la messe — ensuite par la volonté de l'Église qui ratifie le pacte et par là le rend obligatoire en justice. Rien de plus simple et en même temps de plus certain ». Huic explicationi nos undequaque non subscribimus. Putamus enim Ecclesiam circa Missarum eleemosynas positiva dispositione duo tantum praestare. In primis Missae celebrationem et applicationem excipit a lege generali canonica quae vetat conventiones et pacta in spiritualibus. Hoc po-

sito, cessante prohibitione canonica, subintrat jus divinum quod praebenti bonum spirituale, in casu nostro Missae celebrationem et applicationem, confert verum et proprium jus ad necessaria pro sacrificio et ideo ad partialem sustentationem, seu ad stipendium, repraesentans partialem sustentationem. Ulterius quoniam abusus orti sunt aut timeri facile possunt, Ecclesia dictum jus determinavit, e. g., taxam synodalem ferens pro quantitate stipendii, et nonnulla alia constituens.

544. Quaeri solet num simoniae reus sit sacerdos qui intuitu stipendii celebrat, alias non celebraturus. Profecto hic sacerdos laudem non meretur; sed simoniae crimen commisisse dici non potest, nisi stipendium habeat tamquam Missae pretium. Sane ipse stipendio utitur pro motivo impellente quo socordiam expellat, sed permutationem Missae cum pecunia non facit. Neque obstat *prop. 46* damnata ab Innocentio XI: « Dare temporale pro spirituali non est simonia... *etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale*, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis ». Nam in hac propositione principale motivum idem est ac pretium rei spiritualis, ut explicat S. Alphonsus, *III*, *n. 54 sequ.*, dum in casu nostro stipendium est pretium non rei spiritualis seu Missae, sed sustentationis sacerdotis (1).

545. Ex dictis sequitur etiam sacerdotes divites posse stipendium pro Missae celebratione et applicatione exigere et recipere: nam et ipsi, ministrantes bonum aliquod spirituale in favorem alicujus, possunt exigere ut hic praebeat necessaria, inter quae est sustentatio sacerdotis; et Ecclesia, permittens stipendium pro Missae celebratione et applicatione, divites non excepit.

546. Ex dictis etiam infertur sacerdotem pro tribus Missis in die Nativitatis Domini, Ecclesia non vetante, posse tria stipendia recipere. De Lugo, *l. c.*, *n. 18*, ita rem declarat: « Licet non plus insumat ad sui sustentationem illa die quam aliis atque ideo per unicum stipendium [videatur

(1) S. Alphonsus, *l. c.*, *n. 55*; Lehmkuhl, *v. II*, *n. 198*; Gury, *v. II*, *n. 370*.

illi satisfactum pro sumptu necessario ad personam ministri, aliunde tamen totum quod fit ex illis tribus stipendiis et aliis quae accipit toto anno, non excedit quod requiritur ad victum pro toto anno. Cum ergo ad celebrandum hac die sit necessaria persona sacerdotis non solum sustentata hac die vel hora, sed toto anno, merito et rationabiliter distribuuntur expensae illae totius anni inter omnes petentes Missas, ut singuli concurrant per partes aequales juxta partem quam habent in illis sacrificiis ». In aliis autem binationis casibus Ecclesia prohibuit pro altera Missa, etiam liberae applicationis, stipendium recipere (*n. 395 sequ.*) ; quod si sacerdos recepit et Missam pro oblatore applicavit, peccavit quidem graviter contra legem Ecclesiae, sed applicatio valida fuit et ideo sacerdos nec ad stipendii restitutionem tenetur, nec ad aliam Missam pro oblatore applicandam (1).

547. Dubitatum fuit num sacerdotes, una cum episcopo Missam celebrantes (*n. 360*), eleemosynam accipere possint, Missam ei applicando qui eleemosynam praebet. Quaestio huc redire debet, utrum quilibet sacerdos distinctum offerat sacrificium, an unum tantum sit sacrificium ab omnibus una simul oblatum. Nam si una tantum ab omnibus celebraretur Missa, una quidem eleemosyna recipi posset, si pro solo oblatore omnes applicarent, aut unus tantum, aliis tamen nullatenus applicantibus ; sed singuli sacerdotes, pro distinctis oblatoribus applicantes, non possent distinctam recipere eleemosynam, nisi de omnium oblatorum consensu, et est idem casus ac si idem sacerdos unico sacrificio pluribus eleemosynis satisfacere vellet ; de quo *n. 585 sequ.* E contrario, si quilibet sacerdos suam celebrat Missam, non apparet ratio qua pro ejusdem applicatione eleemosynam recipere non possit. Cum igitur recepta sententia sit in concelebratione tot celebrari Missas, quot sunt sacerdotes, ut *l. c.* diximus, sequitur quemlibet sacerdotem liberam habere applicationem et pro ea stipendium posse recipere. Ita Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. XVI, n. 10*, addens in fine : « Quod si aliter dicamus,

(1) Suarez, *in 3 p. D. Thomae, disp. LXXXVI, sect. II, n. 5.*

Orientalis Ecclesiae presbyteri eleemosyna plerumque carebunt ». Neque dicas Conc. Trid., *sess. XXII, Decreto de observandis et evitandis in celebratione Missae*, prohibere ne aliquid recipiatur *pro novis Missis* (*n. 552*) ; nam Conc. Trid., *l. c.*, non agit de Missa ordinationis, sed de prima Missa post ordinationem, et non prohibet pro hujus Missae applicatione justum stipendium, sed reprobat quorumdam locorum abusum, quo novus sacerdos in hac Missa circuibat ecclesiam ut fidelium oblationes reciperet. Gregorius XIII, an. 1573, audita prius S. C. C. opinione, decrevit novum sacerdotem posse se vertere in medio altaris ad populum et accipere oblationes, non autem circumire ecclesiam (1).

548. Aliquando Missae celebratio separatur ab ejusdem applicatione, ita ut fidelis, dato stipendio, petat tali die, hora, loco, solam Missae celebrationem, relicta sacerdoti libertate applicationis (*n. 494*) ; etiam hoc in casu aliud stipendium pro ejusdem Missae applicatione recipi posse, ita bene probat De Lugo, *l. c.*, *n. 24* : « Responderi facile potest sacerdotem primum stipendium non accepisse in sustentationem, sed ut pretium laboris et obligationis antecedentis, qua obligatur ut sit tali tempore et loco promptus ad celebrandum ; quae obligatio est onus pretio dignum. Postea vero accipit pro oblatione sacrificii non pretium, sed stipendium ad sustentationem, modo explicato. Nam licet jam non indigeat, sed aliunde habeat sustentationem, id non obstat quominus possit et debeat sustentari ab eo qui sacrificium petit, ut diximus de sacerdote divite ». Haec doctrina recepta est et definita a S. C. C. per decretum diei *13 junii 1630*, cujus haec sunt verba : « Quando in fundatione beneficii seu capellae expresse cautum est non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, eo casu poterit celebrans accipere novum stipendium, et unica Missa satisfacere obligationi beneficii seu capellae et item danti novum stipendium » (2). At *constare* debet oblatorem so-

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XXII, n. 5.*

(2) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. LVI, n. 9*, mussitat, sed tandem contrarius non est.

lam Missae celebrationem voluisse et liberam reliquisse ejusdem Missae applicationem, de qua re vide cit. *n. 494.*

549. E contrario, ex dictis deducitur licitum non esse stipendium pro Missa quam nos alio titulo debemus et applicamus. Ita, e. g., parochus Missam quam pro populo applicat, nequit etiam pro fideli in particulari applicare ex recepto stipendio. Ratio est duplex. Prima est, quia parochus, habens ex reditibus parochiae honestam sustentationem pro Missa parochiali, non potest aliam sustentationem recipere a fideli pro eadem Missa. Haec prima ratio, ut patet, non valeret si parochus nullos aut insufficientes reditus haberet ex parochia, vel fidelis scienter et libere stipendium praeberet. Altera est, quia parochus debet ex justitia populo et fideli integrum fructum medium ; eamdem autem Missam pro utroque applicans, probabiliter tantum praebet singulis integrum fructum medium (*n. 492*), proinde probabiliter tantum suam justitiae obligationem adimplet ; atqui pro obligatione justitiae satis non est adimplementum probabile (*n. 493*). Haec altera ratio est generalis, ac probat parochum nec de consensu fidelis praebentis stipendium, posse eamdem Missam applicare pro populo et pro eodem fideli ; nam implementum probabile, posito fidelis consensu, satis erit pro eodem, sed non pro populo. Sed parochus poteritne eamdem Missam applicare intentione prima pro populo, et intentione secunda pro fideli, si hic scienter et libere consentiat (*n. 491, 493*)? In hoc casu altera ratio non urget, quia populus habet integrum fructum medium et fidelis habet id quod voluit. Proinde, salva meliori sententia, putamus parochum posse. Haec, mutatis mutandis, applicari possunt aliis omnibus qui Missam alio quoque titulo debent et applicant; de quibus infra sermo erit.

550. Tandem universae Ecclesiae disciplina quae stipendium pro Missae applicatione permittit, usus non est S. Ignatius, Societatis Jesu fundator, qui in suis constitutionibus cavit, ne aliquis Societatis sacerdos stipendium acciperet pro Missae celebratione aut pro aliis quibuslibet sacris ministeriis. Hinc sacerdos aut communitas Societatis Jesu,

monentes fidelem se considerare illam pecuniae summam tamquam liberaliter et gratuito oblatam, acceptare possunt eleemosynam et deinde Missam titulo gratitudinis celebrare aut etiam, illa monitione praeposita, Missae celebrationem promittere; sed non possunt illam pecuniae summam recipere tamquam eleemosynam aut stipendium Missae celebrandae. Varios exinde casus qui difficultatem facessere possunt, expendunt theologi ac canonistae ejusdem Societatis (1).

551. Huc usque praxim et doctrinam Ecclesiae circa Missarum eleemosynas vindicavimus. Quamquam vero Missarum eleemosyna licita est, tamen plures abusus hac in re orti sunt, aut oriri possunt, ut quisque facile videt. Concilia sive generalia sive particularia, Romani Pontifices et SS. RR. CC. ad hos abusus vel extirpandos vel praecavendos plura statuerunt. Prae ceteris consulere semper in hac materia debemus Innocentii XII const. *Nuper, 23 Dec. 1697*, quae plura decreta et responsa S. C. C. jam ab Urbano VIII probata refert et confirmat, aliaque addit. His decretis et responsis obviatur omnibus fere abusibus qui circa Missarum eleemosynas obrepere possunt; et ad ea SS. RR. CC. in dubiis hac de re occurrentibus remittere semper solent. Innocentianam proinde constitutionem damus in *Allegato III*, nonnullis notulis illustratam. Plura ex his decretis et responsis, doctrinas canonicas de Missarum eleemosynis exponentes, infra citabimus.

2° Qualis eleemosyna peti aut acceptari possit.

552. Cum nonnulli sacerdotes de Missae eleemosyna, tamquam de mercis cujuspiam pretio, paciscerentur, et nisi ad eorum votum augeretur, Missam applicare recusarent, Conc. Trid., *sess. XXII, Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missae* contra hoc turpe mercimonium statuit: « Quod ad avaritiam pertinet cujusvis generis mercedum conditiones, pacta et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes, aliaque

(1) Gury, *vol. II, n. 878, sequ.*

hujusmodi quae a simoniaca labe vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant (episcopi) ». Ut episcopus Tridentino Concilio morem gerat, debet in sua dioecesi eleemosynam Missarum determinare. De facto omnes fere episcopi id fecerunt sive in synodo, sive extra synodum ; et si episcopus nil hac de re constituit, certe eleemosynam Missarum determinavit consuetudo. Haec determinatio facta in synodo appellari solet *taxa synodalis*, sed passim eodem appellari solet nomine, etsi facta ab episcopo fuerit extra synodum dioecesanam.

553. Taxa synodalis pro Missarum applicatione varia est et esse debet pro variis locis et temporibus ; nam eleemosyna quam determinat, est pro sustentatione sacerdotis (*n. 540 sequ.*), pro qua plus minusve requiritur pro variis locis et temporibus. Hac de re repetenda sunt quae in nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione, n. 597*, diximus de taxa synodali pro titulo ordinationis in sacris. Proinde semel constitutam taxam synodalem episcopus potest et debet immutare, si, mutatis circumstantiis, sustentatio sacerdotis plus vel minus requirit. Hinc est quod nostris temporibus fere ubique locorum taxa synodalis plus minusve aucta fuit.

554. Pro justa taxa synodali constituenda sequentia notanda sunt. Ex una parte necesse minime est « ut eleemosyna tanta sit quae integram sustentationem sacerdoti ea die qua celebrat, suppeditet. Etenim... actio sacrificandi non requirit integrum diem, nec majorem ejus partem ; unde non est cur sacerdos propter hoc solum ministerium integre alatur ab eo pro quo sacrificium offert. Accedit neminem saecularem ad sacros ordines promoveri, qui sufficiens beneficium aut patrimonium non habeat, nec ullum ad religionem admitti, qui ex monasterii reditibus aut consuetis eleemosynis ali nequeat. Ex quo fit ut nullus cogatur victum sibi comparare ex solo Missarum stipendio... ». Ita Benedictus XIV, *De synodo, lib. V, cap. IX, n. 1*, cum communi. Ex alia autem parte eleemosyna nec debet esse ita exigua, ut solum correspondeat illi tempori quo Missa dicitur, et sicuti illud est trigesima pars diei, v. g., ita eleemo-

syna sit trigesima pars victus necessarii ; nam celebratio impedit sacerdotem per magnam diei partem ab aliis multis operibus quibus posset facilius sibi victum quaerere, ut recte animadvertit De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XXI, n. 25*. Nonnulli auctores tradunt ad justum Missarum stipendium sufficere mediam vel tertiam partem honestae sustentationis diei (1). Praeterea episcopus rationem habebit laboris, itineris, horae, solemnitatis, perpetuitatis Missae celebrandae ac etiam officii parochialis. Proinde diversam synodalem taxam constituet pro diversis horis quibus Missa celebratur, pro diversa ecclesiarum distantia, pro diversa Missarum solemnitate (quae quidem ipsa justitia exigit) ; hoc in casu una pars majoris taxae synodalis quae statuitur, est pro labore extrinseco et accidentali, reliqua pro applicatione Missae. Item taxa synodalis pro Missis perpetuis major esse debet quam pro Missis manualibus et adventitiis, quia ipsum onus quod assumitur in perpetuum vel ad longum tempus, est extrinsecum et pretio aestimabile, ac proinde aequum est ut aliquid pro eodem tribuatur ; et praeterea opportunum est providere futurae imminutioni bonorum et accrescenti pretio victualium, ne brevi reditus evadant impares et urgeat necessitas reducendi numerum Missarum (2). Tandem episcopus majorem taxam constituere jure potest pro Missa parochiali, quam pro reliquis Missis, praesertim si parochia aliis reditibus parocho sufficientibus careat ; tunc una pars eleemosynae est pro aliis curis seu officiis parochialibus, reliqua pro Missae applicatione.

555. Porro nos tuta conscientia habere possumus tanquam justum stipendium quod est conforme taxae synodali, idest decreto episcopi, aut, hoc deficiente, consuetudini. Hinc propositis dubiis : « 1° Quanta debeat esse eleemosyna Missarum manualium ; 2° Quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a fundatore » ; S. C. C. reposuit die *15 Nov.*

(1) Layman, *De sacrif. Missae, cap. I, quaest. 3, in fine*.

(2) Lucidi, *De vis. sacr. lim., vol II, pag. 455, n. 105* ; Icard, *Prael. jur.can., vol. II, n.589* ; Benedictus XIV, *De syn., lib. XIII, cap. ult., n. 34*.

1698: « Ad 1um et 2um censuit attendendam esse consuetudinem loci vel legem synodalem, quatenus adsit; sin minus statuendam esse per episcopum eleemosynam ejus arbitrio » (1). Hoc stipendium nos possumus non solum acceptare, sed etiam exigere, secus Missae celebrationem et applicationem recusare, uti supra demonstravimus.

556. Eleemosynam vero majorem taxa synodali aut consuetudine sponte oblatam sacerdos pro Missae applicatione acceptare utique potest, dummodo absit dolus et quodcumque pactum, etiam implicitum; nec episcopus prohibere potest quominus sacerdotes hanc majorem eleemosynam acceptent, aut laici eam praebeant. Revera S.C.C. interrogata « an possit episcopus prohibere sub poena censurarum laicis ne pinguius stipendium taxa solvant sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus Missam celebrantibus, et quod iidem sacerdotes illud acceptare non possint etiam a sponte dantibus »; reposuit die *16 Jan. 1649*: « Prohiberi non posse, ideoque moderandum decretum » (2). Pariter sacerdos potest acceptare eleemosynam minorem, vel etiam Missam pro aliquo applicare sine eleemosyna, cum juri proprio ad sustentationem renuntiare valeat ex toto vel ex parte. Quia vero aliquando illa consuetae eleemosynae remissio posset esse aliis sacerdotibus noxia, episcopus prohibere potest ne eleemosyna praebeatur aut acceptetur minor taxa synodali aut consuetudine. Hinc in *Sancti Severini, 16 Julii 1689,* postulante episcopo : « Sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynae dimidii julii (0,27) pro qualibet Missa : unde supplicat declarari an ipse statuere possit eleemosynam manualem unius integri julii (0,54) pro qualibet Missa, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate » ; S. C. C. respondit : « Affirmative quoad eleemosynam manualem ». Posita hac episcopi prohibitione, sacerdos nequit eleemosynam minorem taxa synodali acceptare, sed potest Missam applicare sine ulla eleemosyna; quod episcopus

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III. cap. XXI, n. 11.*

(2) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. LVI, n. 11.*

prohibere nequit,cum nullius damni periculum aliis sacerdotibus praeseferat.

557. At sacerdos nequit eleemosynam majorem taxa synodali vel consuetudine exigere : secus non solum peccat contra legem Ecclesiae, verum etiam justitiam laedit. Ratio est quia eleemosyna est pro sustentatione sacerdotis et taxa synodalis repraesentat praecise hanc sacerdotis sustentationem debitam pro Missae applicatione ; proinde id quod ultra synodalem taxam exigitur, nullo jure exigitur. Exinde sequitur sacerdotem qui extorsit eleemosynam majorem taxa synodali aut consuetudine, teneri ad restitutionem partis excedentis, licet haec obligatio admittat parvitatem materiae. Conc. Trid. (*n. 552*) per importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, intelligit praecise exactiones excedentes justum stipendium, quae utique a simoniaca labe vel certe a turpi quaestu non longe absunt (1). At evidens est sacerdotem posse aliquid amplius exigere sive pro expensis extrinsecis, e. g., si curru aut equo opus habet ut ad ecclesiam longe distantem accedat pro Missae celebratione, sive pro labore extrinseco, e. g., si ecclesia in qua Missa celebranda est, longe distet, aut Missa est celebranda circa meridiem.

558. Porro taxa synodali et his quae supra diximus adstringuntur etiam regulares. « Quemadmodum enim ipsi, ait Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. XXI, n. 13*, veluti membra communitatis, obstringuntur in contractibus servare aequalitatem statutam a legibus loci ubi degunt, ita et in hoc quasi contractu non possunt proportionem praetergredi, quam loci Ordinarius determinavit. Quocirca S. C. C. in una *Romana, 15 Jan. 1639*... dixit : *Eleemosynam pro qualibet Missa per regulares celebranda in eorum ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii juxta morem regionis* ».

3° *Missae fundatae et manuales.*

559. Missarum eleemosynae, seu Missae, ut dici solet, aliae sunt *fundatae*, aliae *manuales*. *Fundatio* vel *pia fun-*

(1) De Lugo, *Resp. Mor. lib. V, dub. XVIII, n. 1* ; S. Alphonsus, *VI, n. 320.*

datio vel *opera pia* in jure canonico est donatio bonorum temporalium facta instituto ecclesiastico seu saeculari seu regulari sub conditione alicujus operis spiritualis praestandi in perpetuum vel diuturnum tempus. Bona temporalia in casu dici solent fundationis dos. Proinde si bona temporalia donata sunt pro Missarum celebratione et applicatione in perpetuum vel diuturnum tempus, eae Missae dicuntur *fundatae*; quae, ut patet, possunt esse vel *perpetuae*, vel *temporales*, licet diuturnae. Illae autem Missae quae a fidelibus veluti ad manum exhibentur, quaeque semel celebratae nequaquam iterantur aut ad summum certis quibusdam vicibus iterantur ad implendum numerum a pio testatore designatum, appellantur *manuales*, seu adventitiae (1).

560. Missarum fundatio (et idem dicatur de aliis piis fundationibus) fieri potest per actum inter vivos, vel per actum ultimae voluntatis sive in testamento sive in legato. Nota est quaestio valde gravis et practica, utrum hic actus ad pias causas valeat et obliget in conscientia, si caret aliqua solemnitate, quae est essentialis jure civili, ita ut actus jure civili sit nullus, sed non est essentialis jure naturali, ita ut actus jure naturali foret validus (2). Ut hanc quaestionem breviter pro re nostra attingamus, sequentia statuimus: 1° Testamentum ad causas pias in casu valere pro conscientia (3). Revera testamenta ad causas pias per se subsunt jurisdictioni Ecclesiae, quae potest ratam habere legislationem civilem, et tunc testamentum in casu foret nullum, sed potest etiam eam ratam non habere, et tunc testamentum in casu erit validum. Atqui non probatur Ecclesiam, pro testamento ad causas pias, ratam habuisse legislationem civilem circa testamenta. Imo Alexander III in *cap. 10* et *11*, *De testamentis*, videtur potius contrarium

(1) Benedictus XIV, *De syn., lib. XIII, cap. ult., n. 4.*

(2) Vide canonistas in titulo *De testamentis, XXVI, lib. III Decret.*

(3) De Angelis, *lib. III Decret., tit. XXVI, n. 3*; Lucidi, *De vis. sacr. lim., vol. II, pag. 426, n. 25 seq.*, cum communi antiquorum canonistarum; contra D'Annibale, *Summula, etc., vol. II, § 339*, qui putat non esse inquietandos eos qui, extra ditionem pontificiam, non praestant relicta ad causas pias in testamento irrito jure civili; ejusque sententiam etiam nonnulli alii recentiores habent probabilem.

expresse declaravisse, nempe ad validitatem testamenti ad causas pias satis esse jus naturale. Neque dicatur Alexandrum III in cit. *cap. 10* agere de testamentis ad causas prophanas, tamquam principem saecularem pro sua temporali ditione ; nam hoc caput, cum relatum sit in corpore juris canonici quod procedit a Papa, ut tali, pro tota Ecclesia, dicendum est respicere testamenta ad causas pias, ut advertit etiam Glossa, *l. c.*, *v. Cum esses*, et *v. Improbamus*, quia Papa, ut talis, nullam habet potestatem in testamenta ad causas prophanas, et totam afficere Ecclesiam. In cit. *cap. 11* Alexander III aperte agit de testamentis ad causas pias ; et rursus cum ejus dispositio relata sit in corpore juris canonici, est a Papa, ut tali, et pro tota Ecclesia. Cum vero testamentum ad pias causas in casu validum sit, nil mirum, si etiam legata, licet ad causas prophanas, sustineantur ex *regula 24 juris in VI*: *Accessorium sequitur principale*. 2° Testamentum ad causas prophanas in casu probabilius nullo modo obligat in conscientia ; sed legatum ad causas pias, testamento forte additum, valet. Nam quae mox de testamento ad causas pias dicebamus, etiam huic legato applicantur. Neque objicias relatam regulam juris ; accessorium enim in casu nostro subest juridictioni Ecclesiae, quae illud habet validum, dum in casu praecedenti ipsum civile jus vult ut validitas legati metiatur ex validitate testamenti. 3° Tandem etiam actus inter vivos ad causas pias in casu valet pro conscientia, ob identitatem rationis. Nam etiam actus inter vivos ad causas pias subest auctoritati Ecclesiae et non probatur Ecclesiam, quoad ipsum, ratam habuisse civilem legislationem, imo contraria Ecclesiae mens satis eruitur ex cit. *cap. 10* et *11*, *De testamentis*, quae respiciunt actus ultimae voluntatis (1).

561. Donatio autem bonorum temporalium cum onere Missarum, facta sive per actum inter vivos sive per actum ultimae voluntatis, debet, ut valeat, acceptari ab instituto,

(1) Fargna, *De jur. patron., p. I, can. III, cap. VIII, n. 3* ; Ferraris, *v. Donatio, art. I, n. 32 seq.* ; De Luca, *disc. 32, n. 9, De alien.*, et alibi passim.

uti patet. Ante hanc acceptationem, sicuti quaelibet alia donatio, revocari a donatore potest ; et si donator interim moriatur, eo ipso rescinditur. Praestat igitur fundationem acceptare quam primum moraliter fieri potest. Institutum autem, e. g., capitulum, collegium, confraternitas, seminarium, monasterium, etc., fundationem acceptare nequit sine consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda legitimi superioris, scilicet episcopi vel vicarii generalis, si agitur de instituto ecclesiastico saeculari, praelati regularis, idest generalis vel provincialis, si agitur de instituto regulari. Vide in *Allegat. III*, § *8*, decretum ab Urbano VIII et Innocentio XII probatum. Hunc consensum et licentiam jus commune requirit, ne instituta ecclesiastica saecularia vel regularia onera acceptent, quae deinde adimpleri non possunt, aut quae detrimento eisdem institutis sunt ; nec contraria consuetudo quidquam prodest, ut declaravit S. C. C. in *Vicen.*, *15 Apr. 1690*. Quid vero si institutum ecclesiasticum saeculare, e. g., capitulum, confraternitas, etc., injunctum Missarum onus acceptaverint sine consensu et licentia superioris ? Fundatio valet ita ut capitulum, confraternitas, etc., ad oneris implementum adstringantur, cum Urbanus VIII et Innocentius XII, *l. c.*, clausulam irritantem non habeant, ut declaravit etiam S. C. C. die *16 Jan. 1664*, apud Pignatelli, *Cons. 222 circa finem tom. IV* ; at integrum est Ordinario fundationem, forte gravosam, rescindere, uti revera S. C. EE. et RR. in *Assisien.*, *Super pio rel. et conc.*, *17 Maii 1861*, rescindendam esse reposuit.

562. Episcopus aut praelatus regularis, antequam consensum vel licentiam praestet pro acceptatione fundationis cum Missarum onere, sedulo perpendere debet, num institutum illas Missas celebrare et applicare valeat pro numero presbyterorum qui ibi celebrare solent cum eleemosyna, habita etiam ratione aliarum fundationum quibus gravatur, si Missarum celebratio in determinata ecclesia exigitur. Praeterea sedulo perpendere debet, num reditus sint sufficientes pro numero Missarum quae petuntur, ita ut, detractis omnibus expensis, sacerdoti remaneat justum stipendium Missarum

perpetuarum. Si fundator Missarum numerum non determinavit, superior hunc determinabit juxta consuetudinem loci vel taxam synodalem pro Missis perpetuis (*n. 554*). Vide *Allegat. III*, § *21, ad 5*um. Si vero Missarum numerum fundator determinavit et eleemosyna est infra taxam synodalem vel loci consuetudinem pro Missis perpetuis, subdistinguendum est. Si fundator vivit, cum eo res erit componenda, ut omnia ad normam juris et aequitatis redigantur ; secus superior consensum fundationi denegare potest. Si fundator mortuus est, aliquando tenuitas eleemosynae indicare potest fundatorem Missae celebrationem tali hora vel loco voluisse absque ejusdem Missae applicatione, et tunc superior facilius consensum praestabit (*n. 494*) ; praeter hunc casum superior non potest Missarum numerum reducere, nisi fundator hanc potestatem in testamento eidem fecerit (*Allegat. III*, § *21*a, *ad 1*um) sed, petita a S. C. C. Missarum reductione, consensum pro fundationis acceptatione praebeat.

563. S. C. C. (*Allegat. III*, § *6* et *7*) praecipit, probantibus Urbano VIII et Innocentio XII, ut pecuniae ac bona mobilia, instituto ecclesiastico tradita cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis ad quos pertinet, statim deponantur penes aedem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam ad effectum illa seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa et individua mentione oneris illis adnexi ; item si haec bona immobilia deinceps apostolica auctoritate alienari contigerit. Etiam si dos consisteret in animalibus, haec alienari debent et eorum pretium in bonis stabilibus et fructiferis itidem collocandum est, ut declaravit etiam S. C. Immunit. in *Montis Pessul., 16 Apr. 1652*. Proinde non licet, sine licentia Sedis Apostolicae, pecuniam, bona mobilia et semoventia cum perpetuo Missarum onere convertere in census, ut saepius etiam declaravit S. C. C. apud Lucidi, *De vis. sacr. lim., tom. II, p. 440, n. 60 sequ.*, proinde nec in schedulas debiti publici. « Et sane, ait Lucidi, *l. c., n. 60*, quotidiana experientia docet apud S. C. EE. et RR. facultatem ab episcopis vel administratoribus locorum pio-

rum expostulari, ut pecuniae, ad loca pia spectantes, non solum ad celebrationem Missarum, sed et ad alia quaecumque opera pia destinatae, in comparationem hujusmodi schedarum erogari valeant ; quas facultates, nonnisi opportunis adjectis clausulis, eadem S. C. impertiri solet : difficillime vero et accedentibus gravissimis causis annuit quando agitur de pecunia pro celebratione Missarum ». Quod si bona instituto ecclesiastico non traduntur, sed onus praebendi reditus penes fundatorem ejusque haeredes remanet, hypotheca pro cavendo pii legati implemento in eorum bonis rite suscipi debet; et si haec inscriptio hypothecaria in actu fundationis fortasse neglecta fuit, quam primum capienda erit. Legibus civilibus id vetantibus, Ordinarius exiget ut alio modo legali reditus pro Missis celebrandis assignati tuti reddantur.

564. Omnibus rite peractis, Missas fundatas esse scrupulose celebrandas et applicandas juxta fundatoris voluntatem acceptatam, evidens est; et de hac obligatione nos fuse infra disputabimus. Superioris est advigilare ut Missarum onera debitae executioni mandentur ; qui superior alius est pro saecularibus, alius pro regularibus ecclesiis.

565. Pro ecclesiis saecularibus, onus invigilandi incumbit episcopo (1). Vide *Allegat. III*, § *1* et *31*. De hac episcoporum obligatione agit etiam *cap. 6*, *De testamentis*; imo in *cap. 17 ejusd. tit.*, Gregorius IX tradit episcopum debere piarum fundationum implementum urgere, *licet etiam a testatoribus id contingeret interdici*, quia, ut habet *l. 588 ff.*, *De legatis*, *1°* : « Nemo testamento suo cavere potest ne leges in suo testamento locum habeant ». Equidem in casu quo fundator constituit executores suae voluntatis, aut, nullo constituto executore, fundatio ope legati facta fuit, munus curandi implementum voluntatis fundatoris pertinet prius ad executorem et ad haeredem ; sed etiam hoc in casu horum negligentiam supplere debet episcopus. Hinc Conc. Trid., *Sess. XXIII*, *cap. VIII*, *de ref.*, cavet : « Episcopi

(1) Lucidi, *De vis. sacr. lim.*, *tom. II*, *pag. 423*, *n. 20*, *sequ.*; Fagnanus, in *comm. cap. 17*, *De testamentis*, *n. 1*, *sequ.*; Benedictus XIV, *De syn.*, *lib. XIII*, *cap. ult.*, *n. 1*.

etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos sint executores ». Per illa verba *in casibus a jure concessis*, Concilium alludit ad eam facti speciem, qua adsit executor aut haeres a pio fundatore designatus. Neque episcopi qui dioecesibus praesunt rev. Fabricae S. Petri subjectis, ab hac sese cura possunt eximere ex eo quod onus urgendi Missarum celebrandarum implementum etiam ad eamdem rev. Fabricam S. Petri pertineat, ut monet Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 3*, et cum eo Lucidi, *l. c.*, *n. 24*. Haec quae de episcopo diximus, applicentur praelatis inferioribus, habentibus territorium separatum cum jurisdictione quasi-episcopali, et capitulo ac deinde vicariis capitularibus, sede vacante, uti declaravit etiam S. C. C. die *15 Apr. 1684*.

566. Cum regularium ecclesiae plerumque exemptae sint a jurisdictione episcopi, hic neque jus neque officium habet inquirendi num onera Missarum fuerint rite adimpleta in ecclesiis regularium, etiam parochialibus, licet episcopus parochiales regularium ecclesias visitare possit circa ea quae curam animarum respiciunt, e. g., circa applicationem Missae pro populo, uti docet Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 5*. Episcopus solum in casu quo in regularium ecclesia erecta est laicorum confraternitas, potest et debet invigilare num haec Missarum oneribus quibus gravatur, rite satisfecerit, uti censuit S. C. C. in *Nucerina Paganorum*, *23 Junii 1629*. Praeter hunc casum jus et officium invigilandi pro regularium ecclesiis pertinet ad superiores regulares ; de quibus vide *Allegat. III*, § *1* et § *32*. Cum pius fundator jussisset ut aliquot Missae quotannis pro expiatione animae suae celebrarentur in quadam regularium ecclesia ab eo sacerdote quem suus haeres sive legatarius designasset, cumque hic designasset sacerdotem saecularem, proposita fuerunt S. C. C. sequentia dubia in *Sancti Miniati*, *13 Nov. 1683* : « 1° An legatarii possint deputare sacerdotes saeculares qui Missas a testatore praescriptas celebrent in ecclesia regulari, praestita Conventui congrua contributione pro usu sacrorum indumentorum et aliis ad

celebrationem Missae necessariis; 2° An dicti regulares, praestita eis contributione praefata, teneantur praestare patientiam, ut praedictae Missae in eorum ecclesiis celebrentur; 3° An casu quo regulares ex rationabili causa id negent, liceat legatariis onus Missarum in alia ecclesia arbitrio Ordinarii impleri facere ». S. C. reposuit affirmative in omnibus.

567. Quaesitum fuit num contra Missarum onera piarum fundationum praescribi possit. Plures affirmant, licet deinde non conveniant circa tempus ad hanc praescriptionem necessarium (1). Alii negant (2) et eorum sententiae semper adhaesit S. C. C. Inter plura quae citari possent exempla, quorum nonnulla habes apud Lucidi, *l. c.*, *n. 13 sequ.*, sufficiat referre responsionem S. C. in *Lucana*, *18 Febr. 1702*. Agebatur de capellania quam fundator erigi mandaverat *pro amore Dei et remedio animae suae*, et capellanum designaverat *qui Missam singulo mane celebrare curaret*. Quamvis capellani pro tempore sacrificium applicare a saeculo et amplius omisissent, probante etiam episcopo in sacra visitatione, tamen S. C. declaravit capellanum teneri Missam applicare juxta fundatoris intentionem (*n. 494*). Haec igitur doctrina in praxi retinenda est; et ideo Missarum onera adimpleamus, non obstante quacumque praescriptione. Hujus doctrinae plures rationes assignat S. Alphonsus, *l. c.*, quibus accedit auctoritas S. C. C.

568. Ut vero assumpti Missarum oneris memoria non pereat, et pia fundatorum voluntas accurate in omnibus servetur, Innocentius XII in cit. const. *Nuper* (*Allegat. III*, § *26*, *27*, *28*, *29*, *30*) praecipit, ut in omnibus ecclesiis saecularibus et regularibus adsit tabella onerum perpetuorum et temporalium, litteris perspicuis et intelligibilibus descriptorum; insuper ut in sacrario retineatur liber in quo eadem notentur onera cum eleemosyna et adimplemento, aliaque quae, *l. c.*, legi possunt. Episcopus in visitatione dioecesis ac superiores invigilare debent, num tabella ac liber habeatur ad normam

(1) Layman, *lib. III, tract. I, cap. VIII, n. 13*; Tamburinus, *Meth. Miss., lib. III, cap. VII*, § *1, n. 1*, cum aliis.

(2) S. Alphonsus, *VI, n. 324*; Lucidi, *l. c., n. 11 sequ.*

Innocentianae constitutionis. Porro tabella, praesertim si antiqua est et alia praesefert veracitatis signa, fidem facit et ideo oneribus ibidem descriptis satisfaciendum est, uti declaravit etiam S. C. C. in *Neapolitana, 10 Jan. 1665;* ceterum onera, licet in tabella non notata, probari posse etiam ex diuturni temporis implemento, censuit eadem S. C. in *Vercellen., 12 Sept. 1720*; *Perusina, 21 Jan. 1826*, ac alias. Etiam liber rite confectus fidem facit de onerum adimplemento; quamquam vero episcopus mulctare possit sacerdotes qui Missarum celebrationem in libro recensere neglexerunt, non potest tamen suo decreto statuere ut, hac deficiente probatione, nulla alia in supplementum afferri possit; si enim sacerdos jurejurando asserat se celebrasse, eidem credendum est (1). Quid juris vero si eleemosynae Missarum non celebratarum supersint, vide *n. 607*.

569. Relate ad eleemosynas manuales, in primis S. C. C., probantibus Urbano VIII et Innocentio XII, reposuit (*Allegat. III*, § *9* et § *21*, *ad 11*[um]) Capitula, Collegia, Societates, Congregationes, Superiores ecclesiarum sive regularium sive saecularium et alios ad quos pertinet, etsi oneribus jam susceptis nondum satisfecerint, posse nova onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo *infra modicum tempus* possint omnibus satisfacere, addens in responsione *ad 16*[um] id comprehendere etiam privatos sacerdotes (2); deinde autem die *17 Julii 1755*, proposito dubio: « An dictum modicum tempus celebrandi Missas reputetur tempus duorum vel trium mensium »; eadem S. C. reposuit: « Modicum tempus intelligi infra mensem » (3).

570. Praeterea vetita est studiosa collectio Missarum, quae deinde aliis sacerdotibus celebrandae tradantur, nisi habeatur fundatorum seu oblatorum consensus. Nam in hac studiosa Missarum collectione fieri non potest ut omnes

(1) Lucidi, *l. c., n. 9*; Monacelli, *Form. leg., tit. XII, form. 2, n.46*; Ferraris, *v. Missa, art. XV, n. 7.*

(2) Hinc falsum omnino est quod nonnulli insinuant, nempe decretum S. C. et subsequentem responsionem an. 1755 respicere ecclesias et sanctuaria, non autem privatos sacerdotes.

(3) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. LVI, n. 14.*

Missae celebrentur loco et tempore debito juxta fundatorum et oblatorum voluntatem. Multo magis prohibita est studiosa Missarum collectio negotiandi causa ; nam praeter incommoda quae mox indicavimus, haec negotiatio ex Missarum stipendiis, si fiat ad lucrum captandum, turpe est mercimonium ; et si nominatim clericis quaelibet negotiatio a sacris canonibus prohibetur, a fortiori negotiatio ex Missarum eleemosynis. At Romanus Pontifex id permittere potest ad piam et gravem causam, et aliquando de facto permittit, nonnullis additis cautelis ad abusus removendos, supplendo in reliquis ex thesauro Ecclesiae.

571. Ex dictis patet non licere mercatoribus et bibliopolis colligere Missas easdemque postea sacerdotibus celebrandas committere, traditis, loco pecuniae stipendiorum, ornamentis sacris, libris aliave merce ejusdem valoris. Huc spectant responsa data a S. C. C. die *25 Julii 1874* :

« 1° An turpe mercimonium sapiat ideoque improbanda et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis vel alio quocumque modo Missarum eleemosynas colligunt et sacerdotibus quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasque merces rependunt. — R. Affirmative.

« 2° An haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia nulla facta imminutione tot Missae a memoratis collectoribus celebrandae committantur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis Missarum carentibus subvenitur. — R. Negative.

« 3° An hujusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab episcopis, quando lucrum quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur. — R. Affirmative.

« 4° An turpi mercimonio concurrant ideoque improbandi

atque etiam coercendi, ut supra, sint ii qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant sive non recipiant quidquam ab eisdem praemii nomine.— R. Affirmative.

« 5° An turpi mercimonio concurrant ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis libros aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive integro. — R. Affirmative.

« 6° An illicite agant ii qui pro Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie. — R. Negative.

« 7° An liceat episcopis, sine speciali S. Sedis venia, ex eleemosynis Missarum quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis reditibus careant. — R. Negative, nisi de consensu oblatorum ».

572. Cum vero haec non ubique servarentur, eadem S. C. tulit die *25 Maii 1893* decretum *Vigilanti*. In hoc decreto in primis referuntur responsa mox relata ; et deinde additur :

« Sed cum postremis hisce annis constiterit, salutares hujusmodi dispositiones ignorantia aut malitia saepius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat, in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

» Praesenti itaque decreto statuunt, ut in posterum si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius sit : clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subjaceat, et inhabilis praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos : laici demum excommunicatione latae sententiae episcopis reservata obstringantur.

» Praeterea cum experientia docuerit, mala quae deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus major Missarum numerus congeritur quam justa necessitas exigit, ideo iidem Patres inhaerentes dispositionibus a Romanis Pontificibus ac praesertim ab Urbano VIII et Innocentio XII in constit. *Cum saepe contingat*, alias datis, sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum, aut utcumque ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici, sive laici, in fine cujuslibet anni Missarum onera quae reliqua sunt et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant, juxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas Missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subjectos quos eis indigere noverint, alias deinde aut S. Sedi aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione majores et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus, quibus de exacta earumdem satisfactione constet ».

» Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis quae praesentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. Congregatio curae et officio singulorum Ordinariorum committit, ut praesens decretum omnibus ecclesiasticis suae jurisdictioni subjectis, aliisque quorum ex praescriptis interest, notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab hujus decreti observantia se excusare quomodolibet possit : et insuper ut sive in sacra Visitatione sive extra sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant.

» Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni P. P. XIII per infrascriptum S. Congregationis Praefectum, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

» Datum Romae, die 25 Maii 1893.

» Aloysius Card. Epus Sabinensis, *Praefectus*.

» L. Salvati, *Secretarius*. »

573. Seclusa autem studiosa Missarum collectione, servata pia fundatorum et oblatorum voluntate, remota qualibet turpis lucri et illicitae negotiationis specie, non est prohibitum libros aut merces pro Missarum applicatione, loco pecuniae, dare et acceptare, juxta responsionem *ad 6um*; nec episcopus, lata lege, id prohibere potest. Vide ejusdem S. C. responsionem *ad 5um* et *6um* citandam *n. 575*. Ceterum ut sacerdos, acceptans a mercatore vel bibliopola Missas easque celebrans, peccet, uti cooperator in peccato alieno, juxta responsionem *ad 5um*, necesse est ut pro certo sciat mercatorem vel bibliopolam colligere Missas et huic turpi mercimonio operam dare; nam praesumptio vel suppositio simplex haud sufficerent ad complicitatem constituendam.

574. Post haec facile intelligitur responsio S. Poenitentiariae data die *19 Nov. 1863*. Nam propositis dubiis:

« 1° Sacerdos, sub praetextu libros religiosos divulgandi, potestne tuta conscientia hos emere, et postea vendere pretio currenti apud bibliopolas, ita ut 20, 30 vel 40 pro centum lucretur ?

« 2° Potestne Missarum stipendia accipere pro venditis libris, et ementi offerre gratuito libros lucro percepto proportionatos ?

« 3° Idem sacerdos potestne vendere praedictos libros aliis sacerdotibus stipendio Missarum carentibus cum obligatione Missas pretio horum librorum respondente celebrandi, ita ut ipse lucrum 30, 40 vel 50 pro centum obtineat ? »

S. Poenitentiaria reposuit: « Quodvis negotiationis vel mercaturae genus relative ad Missas celebrandas sacerdotibus prohiberi jure canonico et speciatim constitutione Benedicti XIV *Apostolicae servitutis*. Quod si praedicto sacerdoti dubium quodpiam remaneat, illud S. Poenitentiariae exponat ».

Cum enim jure canonico et speciatim in citata constitutione Benedictina dici *25 Feb. 1741* quaelibet negotiatio clericis prohibeatur et proinde a fortiori quaelibet negotiatio circa Missarum eleemosynas, patet praedicti sacerdotis agendi rationem probari non posse.

575. Haec quae diximus de mercatoribus et bibliopolis, repetantur de moderatoribus ephemeridum, qui pro Missis celebrandis, loco pecuniae stipendiorum Missarum quam retinent, mittunt ad sacerdotes celebrantes ephemeridem per tempus respondens summae retentae. Revera jam S. Poenitentiaria ad dubium : « Utrum tuta conscientia suum diarium dare possit (moderator) sacerdotibus ea conditione ut celebrent numerum Missarum respondentem pretio quod ab aliis pro diario solvitur » ; reposuerat die *6 Oct. 1862* : « Affirmative, dummodo Missae celebrentur ». Sed id rursus confirmavit S. C. C. die *24 Apr. 1875*. Nam episcopus C., in sequelam relatarum resolutionum S. C. C. diei *25 Julii 1874*, prohibuit suae dioecesis sacerdotibus ne in posterum quoscumque libros vel quaelibet diaria acciperent vel peterent a bibliopolis vel ephemeridum moderatoribus qui pro Missis celebrandis eleemosynarum loco ea traderent. Cum vero postea de hujus sui decreti justitia idem episcopus dubitaret, sequentia dubia proposuit : « 1° An illicite agant ii qui, cum non sint bibliopolae nec mercatores vel aliter Missarum celebrandarum quaesitores, verum ecclesiastici viri quibus sponte a fidelibus Missarum celebrandarum eleemosynae traduntur quique ad bonos libros vel diaria religiosa evulganda eas celebrandas offerunt sacerdotibus, ut inde ii accipiant stipendii loco libros vel ephemerides ; 2° An illicite agant hujusmodi sacerdotes qui vel iis oblatas a supradictis ecclesiasticis Missas acceptant, vel ipsi eas petunt celebrandas, ut inde queant, pro Missis jam celebratis, earum stipendii loco, libros vel diaria acceptare vel petere, cum ipsi aliunde sciant aut sibi persuadeant aliter non obtenturos easdem Missas pro effectiva eleemosyna celebrandas ». Itaque S. C. C. proposita fuere, inter alia, sequentia dubia : « 5° An et quomodo sustineatur decretum episcopi C., absolute prohibens sacerdotibus suae dioecesis ne libros vel diaria religiosa pro Missis celebrandis vel celebratis recipiant? 6° An et quomodo improbandi sint moderatores vel administratores diariorum religiosorum qui sacerdotibus

Missas celebrandas committunt, retento ex earum eleemosynis pretio diariis ipsis respondente in casu ». S. C. reposuit : « Ad 5um : Reformato dubio : An et quomodo respondendum sit episcopo C. in casu : Negative in omnibus ad utrumque. Ad 6um : Negative : dummodo nil detrahatur fundatorum vel oblatorum voluntati circa stipendii quantitatem, locum ac tempus celebrationis Missarum, exclusa quacumque studiosa collectione Missarum, et docto cui de jure de sequuta Missarum celebratione, facto verbo cum SSmo ».

576. At mercatores, bibliopolae, directores seu administratores ephemeridum, etiam quando illicite agunt juxta ea quae exposuimus, non comprehenduntur sub articulo const. *Apostolicae Sedis* (*n. 600*). Nam equidem aliquid utilitatis ipsi percipiunt ex majori mercium, librorum, ephemeridum venditione ; equidem fortasse etiam qui ipsis Missarum eleemosynas tradunt, aliquod lucrum exinde habebunt, sed non est illud peccatum de quo Benedictus XIV in const. *Quanta cura*, et subinde Pius IX in const. *Apostolicae Sedis* ; supponimus enim illos qui colligunt eleemosynas, nil retinere, et pariter mercatores, bibliopolas, directores seu administratores ephemeridum dare sacerdotibus, loco pecuniae, merces, libros, ephemerides, aequalis pretii. Confirmatur quia S. C. C. in relatis responsionibus et decretis ne verbum quidem habet de censura const. *Apostolicae Sedis*.

577. Aliquando autem Missarum eleemosynae manuales, in celebrioribus praesertim sanctuariis, veluti naturaliter cumulantur. Propositis dubiis : « 8° An et quid agendum ab episcopis, ne in eisdem sanctuariis plures Missarum eleemosynae congerantur, quam quae ibi infra praescriptum seu breve tempus absolvi queant ; 9° At et quid agendum ab episcopis, ut Missae sive quae singulis sacerdotibus, sive quae ecclesiis et locis piis a fidelibus celebrandae committuntur, accurate et fideliter persolvantur » ; S. C. C. die *25 Julii 1874* (*n. 571*) reposuit : « Ad 8um et 9um : Standum constitutionibus apostolicis et

decretis alias datis » (1). Videamus has constitutiones et decreta pro utroque casu.

578. In primis ex dictis *n. 569* apparet episcopum, ad normam decretorum Urbani VIII et Innocentii XII, prohibere debere rectoribus ecclesiae aut sanctuarii ne Missas acceptent aut retineant ultra eas quae infra mensem celebrari poterunt. Si excedentes Missae habeantur, duplex est remedium a S. C. C. indicatum.

579. Primum S. C. indicavit in *Senogallien.*, *13 Jun. 1626* : « S. C.... censuit, secundum ea quae proponuntur, confratres societatis Confalonis sanctae Virginis Mariae nuncupatae *dell'Incancellata* terrae *Corinaldi* Senogalliensis dioecesis, onus Missarum praeteritarum supplere debere per alios capellanos. De cetero vero non suscipienda esse nova onera Missarum, nisi sacrista vel alius minister Missarum numero describendo atque eleemosynis accipiendis pro tempore praeficiendus, admonuerit singulos qui eleemosynas offerunt, tam magno Missarum numero celebrandarum illorumque intentioni satisfieri non posse ipsa Missarum celebratione ac sacrificii applicatione, sed tamen eos participes fore Missarum quae singulis diebus in dicta ecclesia pro benefactoribus celebrantur. Id vero ut commodius praestare valeant, loco quo ponuntur eleemosynae, palam affigatur tabella in qua eadem declaratio distincte et clare descripta sit, adeo ut sacrista vel minister, ut supra, accipiens oblationes, praemittat declarationem, vel tabellam indicet offerentibus. Quibus cautionibus adhibitis, accipi tuto posse quascumque eleemosynas ». Consonat decretum ab eadem S. C. latum in *Lancianen.*, *14 Nov. ejusdem anni 1626*.

580. Alterum, frequentius in praxim deductum, S. C. indicavit die *8 Martii 1659* : « S. C.... censuit Missas pro quibus usque in hanc diem receptae fuerunt eleemosynae, esse quanto citius in eadem ecclesia, juxta oblatorum intentionem, celebrandas : in posterum vero novas eleemosynas nullatenus recipi debere, nisi praevia expressa et clara mo-

(1) In nota citatur Benedictus XIV, *Inst. Ecc. LVI* ; *De syn. dioces., lib. V, cap. VIII* ; *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XXI*.

nitione per sacristam seu per alium ipsis eleemosynis recipiendis praepositum facienda offerentibus, non posse tam magnum numerum Missarum in eadem ecclesia seu altari confestim celebrari, sed vel quod tractu temporis ibidem, cum commode fieri poterit, vel in alia ecclesia celebrabuntur. Id vero ut facilius innotescat, loco ubi eleemosynae pro Missis offeruntur, affigendam esse tabellam in qua praenarrata admonitio dilucide descripta sit, adeo ut sacrista vel praefatus praepositus eleemosynis colligendis, aut offerentes, ut supra, expresse moneat, vel tabellam indicet. Quod si nihilominus Christifideles eleemosynas elargiri voluerint, posse eas recipi ; et Missarum celebrationi, ad formam antedictae monitionis, et diligenter et quam primum fieri possit, satisfaciendum ».

581. Etiam pro Missis manualibus Innocentius XII in cit. const. *Nuper* praecipit ut in sacrario omnium ecclesiarum sive regularium sive saecularium habeatur liber, in quo notentur Missae, intentio, hora, locus celebrationis, etc., et earumdem celebratio, aliaque addit quae habes in *Allegat. III*, § *27*, *28*, *29*. Vide etiam et applica Missis manualibus quae diximus *n. 568*. Praeterea recolendum est decretum *Vigilanti (n. 572)* praecipere ut in fine cujuslibet anni Missarum onera nondum adimpleta mittantur ad Ordinarium juxta normam ab eodem definiendam, et indicare modum quo Ordinarius deinde eadem distribuere debet. Haec autem nullo modo praejudicare debent contrariae dispositioni fundatorum seu oblatorum, quorum pia voluntas sarta tectaque semper esse debet. Quod si ecclesia vel sanctuarium ubi Missae fundatae sunt vel superabundant, est regularium, regulares superiores vigilabunt.

582. Utrum Missae manuales quae sacerdotibus celebrandae privatim committuntur, reipsa celebratae sint, necne, episcopus verificare non potest. Quisque dominus est rerum suarum ; et ideo fideles in Missis committendis nulla regula adstringuntur. At nos quando alienas Missas committimus, nisi non sequutae celebrationis responsabilitatem assumere velimus, debemus sequi normas a S. C. C. episcopis praescriptas (*n. 572*), nempe debemus eas com-

mittere sacerdotibus de quibus dubitare non licet quominus eas celebraturi sint, et exigere documentum celebrationis. At si sacerdos cui Missas committimus, est omni exceptione major, e. g., episcopus, hoc documentum potest non exigi.

583. Quaeritur num episcopus prohibere possit quominus Missarum eleemosynae ad alias mittantur dioeceses. Certe nequit impedire fideles qui Missae applicationem desiderant, quominus eleemosynas mittant ad exteros; quisque enim dominus est rerum suarum. Hinc etiam sacerdos cui Missae committuntur celebrandae per se vel per alios quos voluerit, potest eas mittere etiam ad exteros, non obstante episcopi prohibitione. Pariter episcopus nequit prohibere quominus regulares Missarum eleemosynas quas habent, mittant ad exteros, e. g., proprii Ordinis alumnos ; et idem putamus de religiosis cum votis simplicibus. At quoad reliquas Missas, vide supra *n. 581* ; et hodie certum est episcopum posse lege constituere (prouti in Galliis passim constitutum est) ut etiam Missarum eleemosynae in ecclesia vel sanctuario saeculari superabundantes mittantur ad Curiam (cit. *n. 581*) (1).

4° Obligatio celebrandi et applicandi Missas seu fundatas seu manuales.

584. In primis Missas seu fundatas seu manuales applicandas esse ex virtute justitiae patet ex dictis *n. 541 sequ.* Haec obligatio gravis est, non obstante exiguitate eleemosynae acceptatae, nisi eleemosyna manualis tam exigua fuerit, ut Missam gratuito potius promisisse videaris (2). Nam in primis id definitum est a S. C. C., probantibus Urbano VIII et Innocentio XII (*Allegat. III*, § *3*) ; proinde haec doctrina non est tantum probabilior, ut auctores citati passim tradunt, sed est omnino certa. Revera sacerdos fideli debet ex virtute justitiae Missae applicationem, quae est bonum magnum, imo maximum ; cum igitur justitia in materia gravi obliget sub gravi, sequi-

(1) Ephemeridis, *Journal du droit canon et de la jurisprudence canonique, 1885, pag. 440 sequ.*, haec episcopalia statuta non probat ; sed immerito.

(2) Gury, *II, n. 369* ; Bucceroni, *II, n. 624 ;* D'Annibale, *III*, § *196, not. 6* ; S. Alphonsus, *VI, n. 317* ; Lehmkuhl, *II, n. 199.*

tur sacerdotem, recepta eleemosyna etiam exigua, sub gravi teneri ad Missam applicandam. Cum sacerdos debeat ex virtute justitiae Missae applicationem, absurdum est ejus obligationem metiri ex stipendio, sed metiri debet, tanquam ex materia debita, ex applicatione Missae, quae est profecto materia gravis. Quod si sacerdos, recepta eleemosyna etiam exigua, Missam applicare amplius non vult, eleemosynam fideli restituat ; qui potest eamdem vel acceptare, et tunc, resoluto contractu, quaelibet obligatio cessat ex parte sacerdotis, vel recusare et urgere Missae applicationem, et tunc sacerdos hanc debet sub gravi. Etiam fidelis, habita Missae applicatione sub promissione eleemosynae, hanc debet ex virtute justitiae (cit. *n. 541, sequ.*) ; et juxta eleemosynae promissae quantitatem, etiam ejus obligatio est gravis vel levis, sicuti in materia furti.

585. Et quidem non potest, sine gravi peccato et onere restituendi, pluribus eleemosynis, etsi minimis, unico sacrificio satisfieri, sed tot Missae celebrandae sunt et applicandae, quot fuerunt indicatae a fundatore vel oblatore et acceptatae. Aliis omissis, id declaravit S. C. C. ejusque declarationem probaverunt Urbanus VIII et Innocentius XII (*Allegat. III*, § *3 et 4*[a]). Vide etiam ibidem quaestiones subinde propositas S. C. et ejusdem responsa ab eisdem Romanis Pontificibus probata. Hinc Alexander VII, an. 1655, sub *n. 10* damnavit hanc propositionem : *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre ; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Et cum nonnulli asseruissent sacerdotem posse pro duplici eleemosyna recepta unicam celebrare Missam, applicando pro una eleemosyna medium, pro alia specialissimum fructum, hanc doctrinam idem Alexander VII reprobavit sub *n. 8* : *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.* Pariter cum alii contenderent sacerdotem id posse, applicando uni, e. g., defuncto fruc-

tum satisfactorium, alteri, e. g., infirmo fructum impetratorium, S.C.C. hanc sententiam rejecit die *13 Dec. 1659.* Nam propositis dubiis : « An sacerdos qui unum stipendium accepit pro celebratione Missae, v. g., pro defuncto, et sic cum obligatione applicandi fructum satisfactorium, et aliud stipendium pro celebratione Missae, e. g., pro infirmo, et sic cum obligatione applicandi fructum impetratorium, possit unica Missa utrique obligationi satisfacere, applicando defuncto satisfactorium et infirmo impetratorium ; anve hoc casu locum habeat decretum secundum S.C.C. de celebratione Missarum » (1); S.C. reposuit : « Quoad primam partem non posse satisfacere ; quo vero ad secundam habere locum » (2). Ratio est quia ex virtute justitiae pro unaquaque eleemosyna debetur Missae applicatio, quae est materia gravis. Neque dicas sacrificium pro omnibus eleemosynis applicatum aeque singulis prodesse, ac si pro singulis applicatum fuisset ; nam haec doctrina est probabilis tantum (*n. 492*), et pro justitiae obligationibus satis non est implementum probabile, sed requiritur certum (*n. 493*).

586. Sacerdos in duobus tantum casibus potest pro unico Missae sacrificio plures recipere eleemosynas :

1° Si singuli eleemosynam praebentes consentiant ut sacerdos unicam Missam pro omnibus applicet. Quid si, aliis consentientibus, unius consensus desit ? Sacerdos nequit Missam applicare pure et simpliciter pro omnibus, quia illi cujus consensus deest, non praebet certe, quod certe de-

(1) Nempe decretum secundum S.C.C. probatum ab Urbano VIII et Innocentio XII, supra citatum et relatum in const. *Nuper* sub § 3ª.

(2) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XXI, n. 8*, enarrat alia ridicula subterfugia, ab improba sacerdotum cupiditate inventa, ut unico sacrificio plures perciperent oblatas eleemosynas : « Aliqui enim tot hostias in eadem Missa consecrabant, quot illi fuerant a quibus eleemosynam acceperant, autumantes se hac ratione omnibus satisfacere. Alii plures Missas in unam congerebant : Missam quippe diei usque ad Offertorium legebant ; tum aliam incipiebant usque ad eumdem locum ; deinde tertiam et quartam eodem modo ; postea tot secretas dicebant, quot Missas inceperant ; denique sub uno canone sacrum perficiebant, totidem additis in fine collectis, quot initio recitaverant ; has autem Missas *bifaciatas* vel *trifaciatas* nuncupabant, quasi duplicem et triplicem haberent faciem ; quae solae satis illis esse videbantur ad plures eleemosynas pro earum numero assequendas ».

bet. Ut suam obligationem erga ipsum adimpleat, sacerdos debet Missam applicare intentione prima pro eodem, et intentione secunda pro aliis, nempe sine illius praejudicio (*n. 491*). Sed quoniam ex hac applicatione alii possent nihil obtinere, necesse est eos hac de re monere et eorumdem expressum habere consensum. Ex omnium offerentium consensu posse unius Missae applicatione pluribus eleemosynis satisfieri, declaravit etiam S. C. de Prop. Fide, *13 Sept. 1807*, in decreto pro Chaldaeis, ubi ad rem nostram haec habet: « Si secundae et ulteriores oblationes pro ejusdem sacrificii applicatione superadduntur, sacerdos qui eas receperit, semper teneatur monere fideles posteriore loco offerentes de aliis oblationibus ad eumdem finem acceptis, et nisi iidem offerentes unica Missae celebratione se voti compotes fore declarent, sciat se unico sacrificio plurium voluntati minime satisfacturum. Eorum autem mentem qui pro sacrificio obtulerunt, minime adimpleri a sacerdotibus per solam adjectionem particularum et commemorationem quae in panis praeparatione ante Missae sacrificium fieri solent, cum omnino necessaria sit integra concelebratio, nisi de eorumdem offerentium voluntate aliter fiat, quemadmodum declaravit Benedictus XIV in constitutione quae incipit *Demandatam*, edita die *24 Dec. 1743*, § *10* » (1). Hinc etiam eadem S. C. ad dubia proposita circa consuetudinem, praesertim in Statibus Foederatis Americae septentrionalis introductam, unicam Missam canendi in die commemorationis omnium fidelium defunctorum pro tota pecunia quae a fidelibus eadem die offertur quaeque aliquando plurium centenarum Missarum eleemosynas exaequat, respondit die *30 Junii 1877* : « Nihil innovetur : tantum apponatur tabella in ecclesia qua fideles doceantur quod illis ipsis eleemosynis unica canitur Missa in die commemorationis omnium fidelium defunctorum » (2). Vide etiam *n. 579*.

587. 2° Si una eleemosyna data est pro sola Missae celebratione, absque applicatione ; tunc enim posse sacer-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 875*.
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 893*.

dotem eamdem Missam applicare pro alia eleemosyna recepta, diximus *n. 548*. At revera hoc in casu sacerdos duplicem eleemosynam lucratur occasione quidem ejusdem sacrificii, sed non ex ejusdem sacrificii celebratione et applicatione, cum unam habeat pro onere celebrandi tali loco et tempore, aliam pro Missae celebratione et applicatione ad ejus sustentationem.

588. Obligatio celebrandi et applicandi Missas non urget, si, absque culpa illius qui onere gravatur, bona aut bonorum reditus deficiunt. Nimirum si fundationis aut beneficii dos ex toto periit absque culpa instituti ecclesiastici aut beneficiati, ipsam fundationem aut beneficium cum omnibus oneribus periisse, dicendum est; e. g., dos consistebat in domo quae terrae motu corruit. Praeterea S. C. C. in *Monopolitana, 8 Aug. 1705* et in *Forosempronien., 7 Junii 1686*, declaravit capellanos et beneficiatos, celebrantes pro capellaniae seu beneficii fundatore, non teneri Missas celebrare eo tempore quo capitale dotis assignatae est otiosum et infructiferum sine eorum culpa (1). Pariter eadem S. C. die *15 Sept. 1657*, edixit, donec fundationis dos in bonis frugiferis non collocetur (*n. 563*), institutum ecclesiasticum non teneri ex propriis reditibus Missarum celebrationem curare. Quid vero si bonorum reditus absque ullius culpa imminuti sunt? Si fundator non determinavit numerum Missarum, sed determinavit eleemosynam, patet, diminutis reditibus, minui etiam Missarum onus ex voluntate fundatoris; e. g., fundator voluit ex bonorum reditibus celebrari Missas ita ut pro qualibet Missa sit eleemosyna duarum libellarum. Quod si fundator Missarum numerum determinavit, et reditus ita deminuti sunt ut nec ordinarium stipendium supersit, gravis quaestio est utrum etiam onus Missarum celebrandarum proportionaliter minuatur, necne (2). Nos putamus non minui et necessarium esse recursum ad Sedem Apostolicam pro reductione, quia per se, sicuti institutum ecclesiasticum aut beneficiatus, auctis reditibus,

(1) Monacelli, *Form., p. II, tit. XIII, form. 2, n. 56*; Pitonius, *Const. seu Dec. pro parochis, n. 1740*; S. Alphonsus, *VI, n. 324*.

(2) S. Alphonsus, *VI, n. 331*; Gennari, *Consultazioni, etc., p. II, cons. 2ª*.

persentiunt commodum, ita, reditibus deminutis, incommodum persentire aequum est ; et haec est praecise una ex causis propter quas Missarum reductio concedi solet (*n. 622*). Haec, servatis servandis, etiam Missis manualibus applicanda esse putamus ; nempe si, absque ullius culpa, pecunia ex toto vel ex parte periit, e. g., furto sublata, etiam obligatio celebrandi Missas ex toto vel ex parte cessavit. Quod si culpa non abfuit, onus Missarum seu fundatarum seu manualium nec cessat nec minuitur.

589. Ulterius ex eadem justitiae virtute, in Missae celebratione et applicatione servari sedulo debent omnes circumstantiae appositae et acceptatae, ut patet. Eae circumstantiae respicere possunt vel locum, vel tempus celebrationis, vel qualitatem Missae celebrandae, vel tandem personalem celebrationem. De singulis breviter agendum est, ut relativa obligatio determinetur.

590. Ad loci circumstantiam quod attinet, si Missa in templo et in altari quod fidelis indicavit, jam celebrari non potest, e. g., quia templum est pollutum, sacerdos potest et debet alibi celebrare, ex praesumpta fidelis voluntate (1). Si Missa ibi celebrari potest, sed mens fidelis aeque vel melius adimpletur per celebrationem in alio templo et in alio altari, sacerdos, in alio templo et in alio altari celebrans, plene satisfacit et nullo modo peccat ; e. g., si fidelis voluit Missam pro defuncto in altari non privilegiato et sacerdos celebrat in altari privilegiato, vel fidelis voluit Missam pro defuncto in tali altari privilegiato, unice quia est privilegiatum, et sacerdos celebrat in alio altari pariter privilegiato (2). Tandem loci circumstantia non amplius urget, si ratio propter quam apposita fuit jam cessavit ; e. g., si fidelis voluit Missam in tali altari ob commoditatem familiae quae extincta est aut alibi commoratur. Praeter hos casus, voluntas fidelis servanda est ; secus sacerdos valide applicat et in genere satisfacit, sed peccat. Hoc peccatum plerumque leve erit, praesertim si sacerdos celebrat in templo, sed non in altari indicato ; et

(1) De Lugo, *De sacram. Euch., disp. XXI, n. 42.*
(2) De Lugo, *l. c., n. 37, 39.*

rationabilis causa ab omni peccato excusare potest. At si fidelis loci circumstantiam apposuit ob gravem causam, e. g., ob commoditatem populi aut familiae, ob specialem cultum illius Sancti, etc., erit peccatum grave, nisi sacerdos alibi celebret raro (1). Diximus sacerdotem *in genere* satisfacere, non servata loci circumstantia ; nam quid si fidelis voluit Missam in altari privilegiato, et sacerdos celebravit in altari non privilegiato ; aut in altari privilegiato ita celebravit, ut indulgentiam non lucraretur ? Si sacerdos gaudet privilegio personali altaris privilegiati, satisfacit profecto ; sed si sacerdos tali privilegio non gaudet, non videtur satisfacere, etsi animae defuncti aliam indulgentiam plenariam, e. g., visitando stationes viae crucis, applicet. Quamquam enim doctores passim docent sacerdotem ita celebrantem satisfacere et solum teneri ad compensationem per aliam indulgentiam plenariam (2), tamen obstat responsio S. C. Indulgentiarum in *Incerti loci, 16 Febr. 1852* (D. A. *n. 357*). Nam cum sacerdos, ut fruatur altari privilegiato, diebus non impeditis celebrare debeat Missam defunctorum et uti paramentis nigris vel violaceis ex rationabili causa, quaesitum fuit : « 2° Utrum qui hac vel alia quacumque ratione indulgentiam altaris privilegiati non lucretur, possit satisfacere, applicando aliam indulgentiam plenariam defunctis pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat ». S. C. reposuit : « Ad 2um : Negative ». Equidem eadem S. C. in *Briocen., 22 Febr. 1847*, contrarium rescripsisse videtur ; etenim ad dubium : « 3° Utrum sacerdos qui bona fide hisce desuper errasset (nempe indulgentiam altaris privilegiati lucratus non esset, quia paramenta nigri coloris non adhibuit) sive alios in errorem traxisset, ita ut defunctorum animae praedicta indulgentia frustratae fuissent, ad aliquod remedium teneatur, et in casu quo hacce obligatione sit adstrictus, quaenam debeat esse ista reparatio » ; S. C.

(1) De Lugo, *l. c., n. 36* ; S. Alphonsus, *VI, n. 329*.

(2) Lehmkuhl, *vol. II, n. 200* ; S. Alphonsus, *VI, n. 329*, alios citans ; Scavini, *III, n. 203, not. 2*, qui tamen contrarium docuerat *n. 182* ; Bucceroni, *Inst. Theol. Mor., vol. II, n. 624*, qui tamen contrarium probat *n. 1380*.

reposuit : « Ad 3um : Affirmative, quoad illos sacerdotes qui pacto obligabantur, ut Missam celebrarent in altari privilegiato eosque debere lucrari indulgentiam plenariam pro iis defunctis quibus Missae fructum applicuerunt, toties quoties diebus non impeditis usi non sunt indumentis nigri coloris ». At praetermisso quod responsio an. 1852 est posterior et ideo in casu contrarietatis praeferenda, putamus duas responsiones non esse contrarias, et alteram an. 1847 continere benevolam S. C. dispensationem, attenta bona fide ; primam an. 1852 tradere juridicam in re doctrinam. Ratio autem theologica hujus doctrinae traditur a Bucceroni, *l. c.*, *n. 1380*, his verbis : « Indulgentia haec (altaris privilegiati) ab aliis plenariis indulgentiis quae defunctis applicantur, non differt, nisi quatenus certiorem habet effectum. Etenim secundum communem doctorum sententiam, ipsa non pendet a personalibus sacerdotis dispositionibus, sed a divinae victimae oblatione ; siquidem ea unice adnexa est divini sacrificii celebrationi in tali altari. Hinc sacerdos qui ex stipendio accepto debet celebrare in altari privilegiato, susceptae obligationi non satisfacit celebrando in alio altari et lucrando indulgentiam plenariam alicui pio operi vel objecto adnexam : satisfacit vero si privilegio gaudeat altaris privilegiati personalis ».

591. Pariter Missa in genere celebranda est tempore indicato explicite vel implicite, sive hoc tempus breve sit, sive longum, imo longissimum. Sed applicatio ante vel post tempus indicatum eritne semper invalida, aut saltem insufficiens ad implendam obligationem, aut saltem illicita? Intentio fidelis investiganda est, quae contractum determinat. Si fidelis explicite vel implicite Missae celebrationem adnexam voluit illi tempori, ita ut ante vel post illud tempus Missae celebrationem noluerit, anticipata vel postposita celebratio est illicita, satis non est ad implendam obligationem et aliquando est etiam invalida ; e. g., fidelis dedit eleemosynam ad Missam celebrandam cum applicatione in tali ecclesia die dominico pro populi commoditate, et sacerdos celebrat sabbato ; aut ad Missam applicandam pro matre infirma, et sacerdos Missam applicat post-

quam mater convaluit aut mortua est (*n. 474*). His in casibus sacerdos, non obstante Missae celebratione, praeter peccatum, debet eleemosynam restituere, oblatorem monendo (in altero exemplo allato) de Missa non celebrata (1). Si fidelis, indicans celebrationis tempus, principaliter voluit Missae celebrationem et secundario tantum Missae celebrationem illo tempore, celebratio anticipata vel postposita est valida, satis est ad implendam obligationem, sed est illicita; peccatum autem est leve, si anticipatio vel postpositio magna non est, e. g., unius hebdomadae vel unius mensis (2). Ita, e. g., si fidelis dedit eleemosynam ad Missam applicandam die sabbato in honorem B. M. V. Tandem si fidelis circumstantiam temporis addidit potius ad urgendam, quam ad finiendam obligationem, anticipata celebratio est profecto valida, sufficiens ad implendam obligationem ac licita, quia anticipata solutio non praejudicat, sed prodest creditori; postposita vero est certe illicita, ut supra, sed est valida ac sufficiens ad implendam obligationem, dummodo finis applicationis adhuc obtineri possit, quando Missa celebratur. Ita, e. g., si fidelis dedit eleemosynam ad Missam crastina die celebrandam pro animabus in purgatorio, sacerdos potest certe Missam hodie applicare; si nec hodie nec cras applicat, peccat, sed ulterior applicatio valet et implet obligationem. Item si fundator voluit duas vel tres Missas singulis hebdomadis applicari pro anima sua (3), aut anniversaria fundavit determinatis diebus in anno celebranda. In hoc casu postponere celebrationem, ex praesumpta fundatoris voluntate, tunc tantum

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 317, Quaer. II*; Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. IX, n. 6.* De Lugo, *l. c., disp. XXI, n. 44*, addit: « Unde nec facile admitterem illam anticipationem, quando redundat in alterius praejudicium: ut si sacerdos debeat celebrare singulis hebdomadis vel mensibus pro defunctis hujus populi vel communitatis; ex illa enim anticipatione fit, ut illi qui moriuntur hoc mense vel hebdomada post Missam anticipate celebratam, fraudentur illo subsidio mense vel hebdomada sequenti; cum tamen fundator voluerit omnibus successive subvenire ».

(2) De Lugo, *l. c., n. 43, 44, 45.*

(3) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. IX, n. 8*, cum Sylvio.

licet, quando impossibilitas phisica vel moralis fuit anniversarium suo die celebrandi. Huc spectat responsio S. R. C. in *Placentina*, *28 Feb. 1682* (2977). Nam Capitulum celebrare debebat anniversarium Bagarotti qualibet, feria II et VI, et anniversarium Taxi die 2 Martii ; proinde quando dies 2 Martii occurrebat feria II aut VI, debuisset duo celebrare anniversaria, praeter Missam conventualem cum concione. S. R. C. censuit : « In casu de quo agitur, licere Capitulo transferre anniversarium Taxi in diem proxime sequentem non impeditam. » Ex dictis hoc practicum corollarium deduces : si fidelis petit Missae celebrationem et applicationem tali die ad suam intentionem non patefactam, sacerdos vel non acceptet, vel si acceptat, celebret et applicet tali die ; secus de valido aut licito adimplemento tutus esse non poterit.

592. Si nullum tempus a fideli indicatum fuit, Missa, ex praesumpta ejusdem mente, celebranda est *infra modicum tempus*. Sed quale tempus in subjecta materia *modicum* erit ? Sententia passim recepta docet esse bimestre, si agitur de Missis pro vivis ; esse mensem, si agitur de Missis pro defunctis, maxime recenter defunctis (1). Sententia S. C. C. tradit esse mensem pro omnibus Missis, ut patet ex dictis *n. 569* ; et hanc S. C. sententiam in praxi praeferre debemus. Si sacerdos Missam sibi commissam infra modicum tempus non celebrat, peccat graviter ; sed propter sententiam passim a doctoribus receptam, non audemus ipsum de gravi culpa redarguere, si post mensem, sed infra bimestre, pro vivis celebraverit ; insuper sacerdos semper tenetur ad Missam applicandam, et ipsam tandem applicans, satisfacit, et ideo ad eleemosynam restituendam non tenetur. Duo autem adnotare debes. Primum est, S. Sedem majorem dilationem concedere posse, suppleudo ex thesauro Ecclesiae, si aliquod detrimentum ex hac dilatione obvenerit vivis et defunctis Missam expectantibus. Revera « a tempore Pii IX missionariis aliisque qui omnibus Missarum oneribus tam cito satisfacere posse sibi non videbantur,

(1) S. Alphonsus, *l. c.* ; D'Annibale, § *III, 190* ; Lehmkuhl, *vol. II, n. 199* : Bucceroni, *cit. n. 624* ; Gury, *vol. II, 369*.

speciale privilegium jam saepius concessum est pro gratia dilationis, spectatis peculiaribus circumstantiis, non tamen ultra sex menses ». Ita Lehmkuhl, *l. c.*, *n. 200*. Alterum est, si idem fidelis eidem sacerdoti multas Missas, e. g., nonaginta celebrandas committat, sacerdos potest omnes applicare, licet ultima nonnisi post tres menses celebretur, cum hoc in casu adsit implicitus oblatoris consensus. Imo, nisi diversa oblatoris intentio aliunde sacerdoti constet, valde durus foret qui immediatam ac continuam harum Missarum celebrationem exigeret. Si mensis (et ex recepta sententia bimestre pro vivis) datur ad celebrandam unam Missam, a fortiori huic sacerdoti ad celebrandas multas Missas idem tempus concedendum erit ; unde sacerdos in casu reprehendendus non foret, si nonaginta Missarum celebrationem, nonnisi post quatuor menses, et in recepta sententia pro vivis post quinque menses, absolveret. Idem dicatur si eidem sacerdoti Missas celebrandas commiserit episcopus. Diximus autem : si *idem fidelis eidem sacerdoti multas Missas celebrandas committat* ; nam si multae Missae a pluribus fidelibus committantur eidem sacerdoti, hic nequit illas acceptare, quas infra modicum tempus celebrare non potest, nisi oblatores dilationi consentiant ; et pariter si idem fidelis multas Missas committit pluribus sacerdotibus, ii debent eisdem infra modicum tempus satisfacere (1).

593. Si fidelis voluit Missae celebrationem et applicationem quotidie, vel qualibet feria V, VI, sabbato, ex praesumpta ejusdem voluntate, feria VI majoris hebdomadae Missa omittitur, nec alia die suppletur. Idem dicas de feria V majoris hebdomadae et sabbato sancto : sed si sacerdos qui Missas acceptavit, his diebus celebrat, pro fideli applicare tenetur (2). Imo si fundator petiit quotidianam Missae applicationem pro anima sua, juxta plures, ex eadem voluntatis praesumptione, nisi aliud constet, sacerdos, in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, non tenetur applicare pro fundatore, sed potest applicare vel pro

(1) Gennari, *Consultazioni morali, canoniche, liturgiche, part. II, cons. 2ª*.

(2) De Lugo, *l. c.*, *n. 46*.

omnibus defunctis, quod esset optimum, vel pro alio privato defuncto (1). Haec doctrina in duplici casu specialem patitur difficultatem ; nempe praesumpta fundatoris voluntas renuntiandi applicationi sibi debitae difficilior est, si sacerdos ea die tres Missas celebrat (*n. 377*), aut si pro recepto stipendio Missam applicare vellet. Ceterum si fundator qui quotidianam Missae celebrationem et applicationem imposuit, diserte dixit in die Nativitatis tres Missas esse celebrandas et applicandas, tres celebrari et applicari debebunt ; secus per unius celebrationem et applicationem satisfieri, recepta sententia est (2). Utrum sacerdos, ad quotidianam Missae celebrationem adstrictus, possit aliquando eam interrumpere, vide *n. 623 sequ.*

594. Quod spectat qualitatem Missae, in primis si fidelis petit Missam cum cantu, sacerdos, applicans Missam lectam, valide applicat, sed non satisfacit, cum plus obtineatur per Missam cum cantu celebratam, quam per Missam lectam, et ideo sacerdos non dat quod debet, et tenetur ad Missam cum cantu celebrandam sine applicatione. Vide responsionem S. C. C. in *Melevitana, 9 Apr. 1892, ad 2um*, relatam *n. 527*. Pariter ad rem facit epistola S.C. de Prop. Fide data die *8 Junii 1844* ad vicarium apostolicum Dyrrachiensem : « Quanto al dir la Messa bassa in luogo della cantata, quando chi da l'elemosina, intende voler la cantata, è ben chiaro che con dir la Messa bassa, non si adempie all'intenzione dell' oblatore e che quindi non è lecito prender l'elemosina con quella condizione cui non si intende di adempiere. Potrà peraltro V. S. o chiunque altro de' sacerdoti cantar la Messa coll' assistenza di un solo chierico, come suol farsi anche qui, verificandosi cosi che la Messa è cantata » (3). Pariter sacerdos non satisfacit, si

(1) Aversa et Pasqualigo apud Benedictum XIV, *l. c.*, *n. 9*, qui mentem suam non pandit.

(2) Benedictus XIV, *l. c.*

(3) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 883* : *Latine* : Quod spectat ad celebrationem Missae lectae, loco Missae cum cantu celebratae, cum praebens eleemosynam velit Missam cum cantu, patet per celebrationem Missae lectae non satisfieri intentioni oblatoris, ac proinde non licere eleemosynam accipere sub conditione, quam adimplendi non est animus. Tu

fidelis petiit Missam cum cantu et cum ministris celebratam, et sacerdos celebrat Missam cum cantu quidem, sed sine ministris. E contrario, patet sacerdotem abunde satisfacere, si fidelis petiit Missam lectam, et ipse Missam cum cantu celebrat; aut fidelis petiit Missam cum cantu sine ministris, et ipse celebrat Missam cum cantu et cum ministris.

595. Praeterea si fidelis, petens Missam pro defuncto, significavit aliquo modo se non solum velle applicationem pro defuncto, sed etiam Missam *de Requiem*, quae ratione precum magis prodest, sacerdos celebrans et applicans pro defuncto Missam de Sancto, vel de feria, valide applicat, sed non satisfacit et debet Missam *de Requiem* sine applicatione; e. g., si fidelis dixit: *Crastina die est semiduplex: applica Missam pro patre meo defuncto.* At si fidelis, petens Missam pro defuncto, nullo modo significavit se velle ipsam Missam *de Requiem*, praesumitur velle unam Missae applicationem, et ideo sacerdos satisfacit in diebus duplicibus, celebrando Missam de Sancto vel de feria, eamdemque applicando pro defuncto. Id constat ex *Decreto de non celebrandis Missis privatis pro defunctis in festo duplici, 5 Aug. 1662* (n. 2178). Nam hoc decreto S. R. C. in primis vetat omnino Missas privatas pro defunctis celebrari in duplicibus, ac deinde subdit: « Quod si ex benefactorum praescripto Missae hujusmodi celebrandae incidant in festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificii juxta mentem eorum benefactorum ». Hoc decretum eadem S. C. saepius confirmavit. Dubitatur utrum sacerdos etiam in semiduplicibus satisfaciat celebrando Missam de Sancto vel de feria vel votivam, an iis diebus, ut satisfaciat, debeat celebrare Missam *de Requiem*. Doctores inter se non conveniunt (1): pro respon-

tamen vel quivis alius sacerdos poteritis Missam canere cum assistentia unius clerici, uti hic etiam fieri solet, quia jam verum est Missam cum cantu celebrari.

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 422.*

sione affirmativa est decretum S. R. C. in *Brugen., 12 Sept. 1840, ad 7um* (n. 4897); pro responsione negativa est decretum in *Aquen., 3 Martii 1751, ad 14um* (n. 4299). Nos putamus haec decreta distinctione superius indicata conciliari. Nempe si fidelis nullatenus dixit se ipsam velle Missam *de Requiem*, et a fortiori si ex aliis circumstantiis constat solam applicationem intendisse, affirmativae sententiae adhaeremus; secus negativae (1).

596. Haec repetantur etiam de casu quo fidelis petit Missam in honorem alicujus Sancti, vel mysterii. Scilicet si fidelis petit, praeter applicationem, ipsam Missam, sacerdos debet celebrare et applicare Missam illius Sancti, vel mysterii, et ideo satisfacere non potest, nisi in festo illius Sancti, vel mysterii, aut in semiduplici; secus, diversam Missam applicans, valide applicat, sed adhuc debet illius Missae celebrationem sine applicatione. Si fidelis ipsam Missam non petiit, praesumitur voluisse solam applicationem; et ideo sacerdos satisfacit in duplicibus, celebrando quamcumque Missam eamdemque applicando in honorem illius Sancti, aut mysterii. In cit. *Brugen.* et *Aquen.*, S. R. C. aperte tradit sacerdotem in semiduplici non satisfacere nisi per Missam votivam illius Sancti, aut mysterii. At eadem S. C. in *Ratisbonen., 28 Sept. 1872* (n. 5528), rem adeo certam non videtur habere, cum praeterito ac futuro consulat per Romani Pontificis dispensationem *ad cautelam*. Putamus igitur eamdem distinctionem esse applicandam, ita ut etiam in semiduplici sacerdos satisfaciat celebrando aliam Missam, e. g., *de Requiem*, eamdemque applicando ad oblatoris intentionem, si ipse unam Missae applicationem petierat (2).

597. Quae supra diximus de tempore celebrationis et de Missae qualitate, recepto stipendio, confirmantur ex responsione S. Poenitentiariae dici *7 Dec. 1892* (3). Nam N. N.

(1) Lehmkuhl, *vol. II, n. 201*, citat etiam pro hac doctrina litteras privatas S. R. C. diei *15 Apr. 1876*. Hae litterae in collectione Gardelliniana relatae non sunt.

(2) Lehmkuhl, *l. c.*, ex eisdem privatis litteris S. R. C.

(3) *Le Canoniste contemporain*, an. 1893, *pag. 679 sequ.*

circa modum adimplendi onera Missarum adventitiarum in quadam ecclesia, exposuit, prout sequitur :

« In eo sanctuario, quo affluunt peregrinantes, quinque sunt capellani ; quibus multa stipendia offeruntur Missarum ad diversas intentiones, nempe pro defunctis, aut pro vivis, seu pro gratia speciali obtinenda, aut denique in talis Sancti aut Sanctae honorem.

« Ostiarius, vir bonus, nec non fide dignus, eleemosynas recipit, numerum stipendiorum fideliter notat, sed de intentionibus minime curat, sub praetextu quod Deus illas novit. In fine cujusque mensis capellanorum superiori remittuntur omnia stipendia.

« Capellani, ex conventione praehabita, quotidie ad intentionem superioris celebrant ; quatuor tamen per mensem diebus, quos ipsi pro lubitu eligunt, ad intentionem propriam celebrare censentur, quin certiorem faciant superiorem.

« Missas autem pro diebus determinatis petitas cum maxima fidelitate scribit ostiarius, jussitque superior ut tres aut quatuor Missas pro quadam die fixa ad summum acceptet. Sic ratiocinatur superior ille : Quatuor mei capellani quotidie Missam celebrant ad intentionem meam, exceptis quatuor diebus in mense ; ergo meam addendo Missam, quinque Missas, juris rigore, pro eodem die promittere possem.

« Aliunde, ad satisfaciendum quibusdam fundationibus, quisque capellanus bis celebrare debet singulis mensibus ; sed hoc neminem perturbat. Celebrant omnes ad intentionem superioris ; id eis sufficit. Insuper, ex usu, quater in mense sacrosanctum sacrificium offertur pro benefactoribus ; sed pro hac applicatione nullus capellanus designatur, nulla affigitur dies.

« Quotiescumque permittit rubrica, toties Missam de *Requiem* legunt capellani ; attamen Missam de Spiritu Sancto vel de Beata aliquando recitant, semper ad intentionem superioris : hinc pro certo tenendum est Missam pro vivis postulatam, vel votivam in honorem alicujus Sancti, in nigris celebrari.

« Modo sequenti, sub fine mensis, sic numerantur a superiore onera Missarum, quibus satisfactum esse censetur. Ponamus mensem dierum triginta :

Capellanus A	celebravit...	20	Missas.
Capellanus B	»	20	»
Capellanus C	»	20	»
Capellanus D	»	20	»
Capellanus E	»	20	»
	Totum :	100	Missas.

« Numerantur tantum viginti Missae, quia detrahuntur, ut dictum est supra : 1° quatuor intentiones liberae ; 2° duae pro fundationibus ; 3° quatuor ad applicationem cujusque capellani. Hinc, si per mensem ostiarius 500 Missas acceperit celebrandas, restant 400 Missae, quas celebrandas committit superior variis sacerdotibus, quin de intentionibus eis manifestandis curet.

« Demum, juxta usum, unusquisque capellanus, decedente confratre olim sanctuarii capellano, unam Missam celebrare debet ad animam ejus sublevandam. Quem obitum discens superior, notitiam omnibus capellanis dat praesentibus, in memoriam eorum revocando Missam cras celebrari debere pro defuncto. Quoad capellanos absentes, superior eis nihil dicit, sed intentionem suam format ut Missa uniuscujusque gaudeat defunctus, atque elapso mense eam deducit. Addendum denique in intentione superioris esse, quod Missae quarum majora sunt stipendia ante alias celebrentur.

« Jamvero oratori non videtur eo modo intentio celebrantis sufficienter determinata, quod exinde patet quod singulis diebus mensis nullus capellanus potest dicere quam Missam applicet ; nec ipse superior id dicere valet, quum nesciat qua hora quisque capellanus celebret, neque an pro benefactoribus, aut ad intentionem sibi relictam, hac die, vel postea celebrare intendat.

« Insuper ex hoc modo procedendi sequitur Missam pro vivo postulatam in paramentis nigris quandoque celebrari, itemque Missam in honorem B. M. V., vel alicujus Sancti. Item, quando moritur ex-confrater, Missa statim adnu-

meratur tanquam dicenda, et saepe celebrata censetur quum aliquis capellanus, extra locum habitationis communis occupatus, nondum scit mortem advenisse, vel ad intentionem sibi relictam celebrare voluit.

« Hinc quaeritur : utrum modus adimplendi onera Missarum supra expositus sit validus ? Et quatenus affirmative, an licitus ? »

Sacra Poenitentiaria, re mature perpensa, ad praemissa res cribit :

« Dummodo Missis integre satisfiat intra tempus ab ecclesiastica praxi praefinitum, nec Missae retardentur quae ad certam diem vel pro urgenti causa offeruntur, orator acquiescat ».

598. Tandem si fidelis petiit solam Missae applicationem, posse sacerdotem Missam applicandam alii sacerdoti committere, evidens est. Quid si fidelis hoc in casu voluit personalem applicationem sacerdotis cui Missam primo commisit ? Haec voluntas non est rationabilis, quia nulla prorsus est differentia inter applicationem sacerdotis etiam optimi et applicationem sacerdotis etiam pessimi ; proinde hanc voluntatem non servare, nec leve peccatum erit, nisi forte sacerdos expresse personalem applicationem promiserit ; eaque non servata, sacerdos ad nihil tenetur. Etiam si fidelis, petens Missam, e. g., pro defuncto, aut in honorem alicujus Sancti, vel mysterii, voluit, praeter applicationem, ipsam Missam *de Requiem*, aut illius Sancti, vel mysterii, sacerdos in genere potest Missam celebrandam et applicandam alii sacerdoti transmittere, quia non praesumitur oblatorem voluisse personalem celebrationem et applicationem illius sacerdotis cui eleemosynam primo tradidit. Quod si explicite vel implicite fidelis significavit se velle hanc personalem celebrationem et applicationem, quia, e. g., illum sacerdotem habet valde pium, sacerdos, etiam tradita integra eleemosyna, alium sacerdotem sibi substituere nequit sine peccato, quod plerumque erit leve, sed, si id grave est oblatori, potest esse etiam mortale, nisi forte sacerdos sciat sacerdotem sibi substitutum esse

magis aut aeque pium (1). Haec enim fidelis voluntas non est irrationabilis, sicut prima, quia cum ratione precum Missa celebrata a sacerdote sancto ac devoto magis utilis sit quam Missa celebrata a sacerdote improbo et indevoto (*n. 32* in nota), nil mirum quod fidelis praeferat sacerdotem quem habet pium et sanctum, et quod sacerdos, acceptans eleemosynam, ejus voluntatem servare debeat. Quod si sacerdos, hanc voluntatem non servans, Missam sacerdoti commiserit quem scit minus pium, aut cujus pietatem ignorat, in alia Missa quam celebrat, applicet oblatori fructum illum particularem, quem Missa ob devotionem celebrantis *ex opere operantis* producere solet.

599. At vero sacerdos qui Missam celebrandam et applicandam alteri committit, in genere debet etiam celebranti transmittere integrum stipendium ; nam, nisi aliud constet, haec praesumitur esse mens fidelis, ut scilicet integrum stipendium sit pro sustentatione sacerdotis celebrantis et applicantis, cui proinde integrum tradendum est et nullo jure aliqua ejusdem pars retineretur. Vide in *Allegat. III*, § *5* decretum S. C. C. probatum ab Urbano VIII et Innocentio XII. Imo ad abusus compescendos Romani Pontifices prohibuerunt stipendii partem retinere etiam de consensu sacerdotis celebraturi. Nam Benedictus XIV in const. *Quanta cura, 30 Jun. 1741*, § *3*, haec habet : « Execrabilem hujusmodi abusum, alicubi sensim irrepentem, detestantes Romani Pontifices praedecessores Nostri... decretum voluerunt, nimirum a quolibet sacerdote, stipendio seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione Missae a quocumque accepta, non posse alteri sacerdoti, Missam hujusmodi celebraturo, stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti Missam celebranti et *consentienti* se majoris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset ». Proinde ad normam hujus Benedictinae constitutionis, retentio partis eleemosynae est illicita, si tu indices majus pretium acceptum et sacerdotem roges ut partem remittat ; vel ab eo quaeras num consentiat ut tu partem

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 321.*

retineas, et ipse annuat. Ut ex consensu sacerdotis Missam celebraturi liceat aliquam stipendii partem retinere, requiritur spontanea et non requisita ex parte ipsius remissio seu donatio (1).

600. Benedictus XIV, *l. c.*, addit etiam poenas contra hunc turpem quaestum, ita ut laicus contrahat ipso facto excommunicationem, clericus vero suspensionem, utramque Romano Pontifici reservatam. In const. *Apostolicae Sedis* inter excommunicationes Romano Pontifici reservatas legitur *n. 12* : « Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis et ex eis lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent ». Per hanc dispositionem duplex mutatio facta est in sanctione poenali Benedictina ; nam lata est excommunicatio etiam in clericos, et suppressa est suspensio. In hujus autem articuli interpretatione, nonnulli, inter quos D'Annibale, *Summula, etc.*, § *191*, *not. 32, 33*, nimis litterae insistunt ; dum, e contrario, debemus, salva littera, potius attendere ad legislatoris mentem, quae praecipue fuit illud illicitum lucrum ex Missarum eleemosynis impedire et punire. Ita nonnulli observant in const. *Apostolicae Sedis* agi de illis qui majoris pretii eleemosynas colligunt in uno loco, et deinde Missas celebrari faciunt in alio loco, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent, ut inde lucrum percipiant ; unde putant non comprehendi illos qui in eodem loco ubi eleemosynas colligunt, Missas celebrari faciunt, vel in alio loco ubi eodem stipendio celebrantur (2). Haec interpretatio hodie sustineri amplius non potest ; nam ad dubium : « Utrum colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, si eas celebrari faciunt in eodem loco ubi collegerunt pro minori pretio, hanc censuram incurrant, necne » ; S. C. S. Officii, die *13 Jan. 1892*, reposuit : « Affirmative

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 321* ; D'Annibale, *III*, § *190* ; De Angelis, *lib. III Decret., tit. XLI, n. 6* ; De Lugo, *De Sacramento Eucharistiae, disp. XXI, n. 32* : « Dummodo sacerdos celebrans omnino sponte et libere id condonet, non vero ex metu aliquo, quia fortasse alias non darentur sibi illae Missae, vel in futurum sibi non dabuntur, vel quid simile ».

(2) D'Annibale, *l. c.*, *not. 32.*

ad primam partem ; negative ad secundam ». Pariter illos qui semel vel iterum tantum Missas collegerunt, lucrum exinde captantes, a censura excusant, quia non sunt *colligentes* (1). Huic sententiae minime subscribimus ; nam qui semel vel iterum Missas collegit, fuit *colligens* semel vel iterum, lucrum semel vel iterum captans ; proinde verificatur tum littera tum finis legis. Item cum const. *Apostolicae Sedis* loquatur de *colligentibus* eleemosynas, putant non comprehendi illum cui Missae dantur celebrandae per se ipsum, nec illum qui ab aliis celebrandas sponte oblatas accipit (dummodo ne ei quasi collectori deferri videantur) (2). Etiam de hac sententia nos valde dubitamus ; nam legislator compescere voluit lucrum ex Missarum eleemosynis, et verbum *colligentes eleemosynas* indicat illos qui plures eleemosynas prae manibus habent. Hinc executor testamentarius qui Missas legatas cum determinata eleemosyna celebrare facit minori taxa, sibi excessum retinens, non solum peccat, de qua re nullum dubium (3), sed etiam in nostra sententia poenam excommunicationis non effugit. Tandem cum in const. *Apostolicae Sedis* sermo sit de *lucrum captantibus*, censent nec comprehendi illum, qui partem stipendii retentam in pios usus impendit (4). Quam sententiam falsam putamus, quia, captato lucro, quid interest hujus lucri usus ? Ceterum censura non contrahitur nisi captato lucro, nempe post traditam partem stipendii, parte sibi retenta (5) ; et quidem captato lucro in tali quantitate quae sufficit ad furtum grave (6).

601. Insuper ex dictis apparet evidenter illum qui stipendiorum partem retinuit, non solum peccavisse peccato furti, sed insuper teneri ad restitutionem, ut expresse etiam tradit Benedictus XIV in cit. const. *Quanta cura*, § *2*, cum haec stipendiorum pars ad celebrantem, juxta dantis inten-

(1) D'Annibale, *l. c.*, *not. 33.*
(2) D'Annibale, *l. c.*
(3) S. Alphonsus VI, *n. 322, Dub. 2°*, cum communi, contra Tamburinum. *De meth. Missae, lib. III, cap. 1, § V, n. 15.*
(4) D'Annibale, *l. c.*
(5) D'Annibale, *l. c.*, *not. 33.*
(6) De Angelis, *l. c.*

tionem, pertineat. Haec obligatio restitutionis erit gravis vel levis juxta materiam, sicuti in casu furti. Si autem quaeratur cuinam restitutio facienda sit, respondemus, restitutionem faciendam esse ipsimet sacerdoti qui Missas, diminuta eleemosyna, celebravit, vel ejus haeredibus, si hic sacerdos notus est, et qui partem eleemosynae retinuit, adhuc eam habet,aut in proprios usus convertit. Si sacerdos qui Missas celebravit, inveniri non potest, tunc si ille qui partem stipendiorum retinuit, eam adhibuit in opera pia, S. Poenitentiaria eam condonare solet cum monitione ut in futurum a similibus abstineat; si adhuc eam habet, aut in proprios usus illam consumpsit, S. Poenitentiaria jubere solet ut in pia opera illam impendat; tandem si eam retinuit ex consensu sacerdotis celebrantis, S. Poenitentiaria concedere solet condonationem, indicta aliqua eleemosyna in pia opera (1).

602. Haec quidem in genere et per se. Aliquando enim qui Missas alii sacerdoti celebrandas committit, justum habet titulum retinendi partem eleemosynae earumdem Missarum, et tunc hanc eleemosynae partem retinere licite potest. Id verificatur in sequentibus casibus.

603. *a*) Quando Missarum celebrandarum onus adnexum est praebendae parochiali, beneficio, capellaniae ; in hoc enim casu titularis, si Missas celebrandas alii committit, debet celebranti eleemosynam consuetam, non autem respondentem fructibus unius diei parochiae, beneficii, capellaniae, quia hos fructus ipse non habet pro sola Missae celebratione, sed etiam pro aliis oneribus, et ideo, committens alii solam Missae celebrationem, partem fructuum jure meritoque retinet. Vide *Allegat. III*, § *22*, *ad 8*^{um}. Idem repetas de capellaniis amovibilibus, non collativis ac mere laicalibus, habentibus salarium stabile ad instar beneficii (2). Hinc S. C. C. die *15 Martii 1745*, reposuit licere capellano amovibili retinere partem stipendii, « modo pro capellania certi reditus sint annuatim constituti et perpetuo capellano

(1) De Angelis, *l. c.*
(2) S. Alphonsus, *VI*, *n. 321* ; Folium S. C. C. in *Coloniensi, 25 Juli 1874.*

assignati; secus vero si hujusmodi capellano pro qualibet Missa celebranda certa detur eleemosyna ». Haec autem vera sunt, nisi de contraria fundatoris voluntate constet. Nam si fundator voluit ut beneficiatus vel capellanus, celebrans per alium sacerdotem, eidem tradat integrám portionem omnium beneficii vel capellaniae fructuum diei pro rata respondentem, hanc voluntatem servandam esse, per se patet et declaravit S.C.C. in *Firmana*, *12 Aug. 1843*.

Idem dicatur quando majora Missarum stipendia pro parte locum tenent congruae parochialis; tunc enim parochus ea percipit non solo titulo celebrationis, sed etiam titulo muneris parochialis. In *Monacensi* archiepiscopus exposuit tam in sua archidioecesi quam in ceteris Bavariae dioecesibus parochorum reditus a civili magistratu, collatis cum Ordinario consiliis, computari et constitui. In iis etiam Missarum fundationes singularum parochiarum, propriae et publicae functiones occasione exequiarum et benedictionis matrimoniorum peragendae numerantur, quibus pro Missis seu fundatis seu casualibus certa stipendia ordinario majora parocho assignantur, quae stipendia partem integralem beneficii parochialis constituunt. Haud raro autem evenit ut parochi quibus hae Missae cedunt in partem congruae parochalis, ob causas legitime excusantes, impediuntur quominus ipsi easdem celebrent. Hinc archiepiscopus quaerebat num parochi impediti possent celebrationem harum Missarum aliis sacerdotibus committere cum consueto stipendio, retenta parte excedenti. S. C. C. die *25 Jul. 1874* reposuit: « Attento quod eleemosynae Missarum de quibus in precibus pro parte locum teneant congruae parochialis, licitum esse parocho, si per se satisfacere non possit, Missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro Missis lectis sive pro cantatis ». Vide etiam *Trevirensem*, *11 Maii 1888*, *ad 1*^{um}.

Tandem, ob eamdem rationem, idem dicatur si majus stipendium, licet non teneat locum congruae parochialis, tamen ex statuto aut consuetudine dioecesis pertinet ad *jura stolae* albae vel nigrae. Revera in cit. *Coloniensi* archiepiscopus exponebat in matrimoniis et exequiis jura

stolae parocho non in cumulo solvi, sed certam portionem assignatam esse pro singulis actibus ad has functiones rite persolvendas requisitis. Hinc certa quoque eleemosyna eaque pinguior, quam pro ceteris Missis manualibus, ab Ordinario fixa est tam pro Missis nuptialibus, quam pro Missis exequialibus, quarum celebratio de jure et consuetudine ad parochos spectat. Hinc quaerebat num parochus, quando eas celebrandas aliis committit, licite possit manualem tantum eleemosynam tradere, retenta parte excedenti. S.C.C. die *25 Julii 1874*, reposuit : « Ad 2um : Cum agatur de juribus stolae, satis esse si parochus retribuat celebranti eleemosynam ordinariam ». In simili casu similem dedit eadem S. C. responsionem in cit. *Trevirensi*, *ad* 2um. At si quid in Missis praecise tribuatur pro extraordinario labore vel itineris vel cantus vel incommodo horae, id totum tribuendum esse sacerdoti celebranti, evidens est (1).

604. *b*) Quando agitur de Missis perpetuis. Nam sacerdos qui Missis perpetuo celebrandis sese mancipat, suscipit onus a celebratione distinctum et pretio aestimabile, cujus titulo potest retinere quidquid communem taxam excedit, et haec praesumitur fuisse mens testatoris (2). Quid vero si Missae perpetuae demandatae fuerint alicui ecclesiae vel pio loco? In primis si sacerdos cui committitur illarum celebratio, alium delegat sacerdotem, huic debet integrum stipendium tribuere,et nullo titulo partem retineret. Revera in *Coloniensi*, *super eleemosynis Missarum*, archiepiscopus exposuit multas in ecclesiis parochialibus suae dioecesis fundatas esse Missas cantandas cum pinguiori stipendio, quae nulli inhaerent beneficio, sed ab Ordinario vel a fundatoribus aut provisoribus ecclesiarum certis sacerdotibus celebrandae

(1) Ephemerides, *Nouvelle Revue Théologique* et *Le Canoniste Contemporain*, *1889*, affirmant in Galliis majus stipendium in Missis nuptialibus et exequialibus non esse partem congruae parochialis, et non pertinere ad jura stolae, sed dari ratione *cantus*, *horae insolitae*, *laboris extraordinarii*, et plura statuta dioecesana id expresse edicere; quod de aliis quoque Ecclesiae partibus passim verum esse putamus. Si ita est, integrum stipendium dandum est celebranti. De Angelis, *lib. III Decret.*, *tit. XLI*, *n. 6*.

(2) S. Alphonsus, *l. c.*

assignantur. Cum autem quaereret num sacerdos, alium delegans pro Missarum celebratione, posset consuetum stipendium praebere et partem excedentem sibi retinere, S.C.C. die *18 Julii 1868* reposuit : « Juxta exposita integrum stipendium solvendum esse ». Id verum est etiam si sacerdos, alium delegans, habet jus ad Missarum illarum celebrationem. Sane idem archiepiscopus in *Coloniensi, super eleemosynis Missarum*, rursus exposuit, prout sequitur : « Multae in ecclesiis parochialibus fundatae sunt Missae cantandae sive pro vivis sive pro defunctis, quibus a fundatoribus assignata est dos pinguior ab ecclesiae provisoribus administranda, ex qua parochi quibus ex jure dioecesano et consuetudine harum Missarum celebratio competit, eleemosynam dioecesana majorem percipiunt, nullo tamen sacerdote a fundatoribus ad has Missas celebrandas expresse vocato ». Cum autem quaereret num parochus, alium delegans pro celebratione, posset retinere eleemosynae partem ultra taxam synodalem ; et quatenus praebere teneretur integrum stipendium, utrum dare deberet stipendium Missae lectae an Missae cantatae, S.C.C. die *25 Julii 1874*, reposuit : « Ad 1um : Integrum eleemosynam a parocho solvendam esse pro Missis sive lectis sive cantatis ». Num vero ecclesia ipsa vel locus pius cui Missae perpetuae demandatae sunt, possit consuetam eleemosynam praebere et reliquum retinere, colligere debes ex mox dicendis de Missis legatis.

605. *c*) Quando agitur de Missis legatis, sed cum distinctione. Quando enim legatum alicui relinquitur cum onere Missarum cujus numerus praefinitus est, e. g. : *Relinquo Titio mille libellas cum onere centum Missarum pro anima mea applicandarum*, tunc legatarius potest consuetam eleemosynam sacerdoti celebranti praebere et quod superest sibi retinere titulo legati. Idem dicendum si legatum relictum est non personae, sed ecclesiae vel loco pio. Huc spectat responsio S. C. C. in *Romana legati, 3 Aug. 1658*. Nam testator reliquerat ecclesiae scutata 500 et voluit quod ex fructibus hujus pecuniae perpetuo « dicta ecclesia, vel ejus deputati pro ea, tenerentur celebrari facere tot Missas

quot importarent fructus valutando dictas Missas ad rationem juliorum trium pro qualibet Missa ». Cum quaesitum inde fuisset : « An sacerdoti celebranti pro anima testatoris debeatur eleemosyna trium juliorum pro qualibet Missa » ; S. C. reposuit : « Secundum ea quae narrantur, deberi sacerdoti celebranti solitam eleemosynam tantum : reliquum vero cedere ad commodum ecclesiae ». E contrario si quis non est proprie legatarius, sed exequutor legati, e. g. : *Lego Titio centum, ut centum dicat vel dicendas curet Missas*, debet integrum legatum in Missis celebrandis impendere, et nullo titulo aliquid retineret (1).

606. *d*) Quando eleemosyna pinguior data fuit intuitu personae, scilicet propter ipsius dignitatem, officium, paupertatem, propinquitatem, gratitudinem. Quo etiam casu excessus supra taxam synodalem retineri potest, dummodo excessus ille hoc nomine sit oblatus. Haec autem fidelium intentio non ita facile est praesumenda, sed vel expressa esse debet, vel ex indiciis non aequivocis quae moralem certitudinem pariant, eruenda. Siquidem stipendium Missarum natura sua ad sacerdotem celebrantem destinatur. In cit. *Coloniensi* archiepiscopus exponebat tertio loco plurimas per annum parochis a fidelibus offerri eleemosynas pro Missis cantandis sive secundum taxam ab Ordinario constitutam, sive etiam pinguiores, et quaerebat num in hoc casu parochus, has Missas aliis sacerdotibus committens, posset excessum sibi retinere. S. C. C. reposuit : « Ad 3um : Integram eleemosynam solvendam esse, nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae ipsius parochi ».

607. *e*) Quando adest apostolicum indultum. Quandoque enim Sedes Apostolica permittit ut Ordinarius dioecesis vel rector alicujus determinatae ecclesiae eleemosynas Missarum nondum celebratarum reducat ad certam summam et excessum retineat alicui pio operi applicandum ; quo in casu Ordinarium dioecesis vel illius ecclesiae rectorem posse excessum retinere et illi pio operi applicare, evidens est.

(1) Amostazo, *De causis piis, lib. II, cap. IV, n. 34 sequ.* ; Folium S. C. C. in cit. *Coloniensi, 25 Julii 1874*.

Porro cum S. Sedes hujusmodi indultum quandoque concedat, dubitare sine temeritate non possumus de potestate illud concedendi. Ratio intrinseca est quia ipsi fideles praesumuntur Missarum eleemosynas praebere sub hac dependentia a suprema ecclesiastica auctoritate. Diximus tamen Missarum *nondum celebratarum* ; nam quando Missae celebratae sunt cum determinato stipendio, celebrans jus quaesitum habet ad integram eleemosynam ac proinde nequit illa privari (1).

608. *f*) Quando sacerdoti celebranti aliquid aliunde subministratur. Ut decori et ornamento ecclesiae aut sanctuarii consulatur nil retineri potest ex Missarum eleemosynis, nisi de consensu oblatorum, uti declaravit S. C. C. die *25 Julii 1874, ad 7um* (*n. 571*). Utrum pro expensis sacrorum utensilium possit, necne, aliquid a sacerdote celebrante exigi, aut aliquid ex Missarum stipendiis retineri, dicemus in *cap. V, art. I.* At si celebranti datur collatiuncula, e. g., cafeum, licite potest retineri ex Missae eleemosyna justum ejusdem pretium, nisi de collatiuncula praebenda, praeter eleemosynam, conventum tacite vel expresse fuerit. In cit. *Trevirensi* S. C. C. probavit conventionem inter parochum et suos vicarios secum cohabitantes, qua, pro victu vicariis praestito a parocho, vicarii cedebant parocho fructus fundationum pinguiorum, retento tantum consueto stipendio, declarans hanc conventionem non comprehendi sub const. *Quanta cura* Benedicti XIV (*n. 599*), cum non verificetur damnabile lucrum ex parte parochi, et vicarii celebrantes integram tandem eleemosynam accipiant.

609. *g*) Si quis in procurandis seu colligendis Missarum stipendiis pro aliis quasi ex munere deputatus est ; tunc enim potest moderatam mercedem sui laboris retinere, si suus labor vere mercedem meretur (2). Illum vero qui eleemosynas Missarum habuit et ad alium celebrandas mittit, posse retinere expensas necessarias pro expeditione, evidens est.

(1) De Angelis, *lib. III Decret., tit. XLI, n. 6, in fine.*
(2) S. Alphonsus, *VI, n. 322* ; D'Annibale, *Summula, vol. 3, § 191* ; Lehmkuhl, *vol. II, n. 204.*

610. *h*) Si sacerdos loco alterius sacerdotis celebrat ex permutatione intentionum, juxta plurium sententiam. Fingatur casus: Titius laicus dicit Caio sacerdoti: *Applica hodie pro me; en eleemosynam quinque libellarum.* Sempronius laicus dicit Maevio sacerdoti: *Applica cras pro me: en eleemosynam duarum libellarum.* Jam vero cum Caius pro Titio applicare nequeat hodie, et Maevius, e contrario, pro Sempronio nequeat applicare cras, Caius dicit Maevio: *Tu hodie applica pro Titio; ego cras applicabo pro Sempronio; ego retinebo eleemosynam mihi datam quinque libellarum; tu retinebis eleemosynam tibi datam duarum libellarum.* Quaeritur utrum haec licita sint, necne. In primis Caius potest utique crastina die Missam pro Sempronio applicare, loco Maevii, et Maevius hodierna die Missam pro Titio, loco Caii, nisi Titio Caius et Sempronio Maevius personalem debeant celebrationem (*n. 598*), quod non praesumitur et est extra hypothesim. Tota igitur difficultas in eo est, num Caius possit in casu sibi retinere pinguiorem eleemosynam datam a Titio. S. Alphonsus, *VI, n. 322, Dub. 4°*, haec habet: « Recte negat Concina, *pag. 466, n. 16*, quia hoc non posset excusari a specie turpis mercimonii; merito tamen id non audet damnare de peccato gravi; et an paupertas possit ab omni culpa excusare, se remittit prudentum judicio ». Plerique affirmant, nisi fiat turpis lucri causa (1). Mentem nostram libere pandentes, nos praetermittimus rationem qua id illicitum praedicatur, nempe quia redolet specie turpis lucri; nam haec ratio non semper locum habet, et, quando locum habet, leve peccatum non excedit (2). At, ni fallimur, est alia ratio gravissima quae probat Caium debere Maevio transmittere eleemosynam a Titio datam, et miramur auctores hanc rationem silentio praeterire. Scilicet Titius dedit eleemosynam quinque libellarum sacerdoti qui pro ipso applicaret

(1) D'Annibale, *III*, § *190*, *not. 18*; Ballerini ad Gury, *II*, *n. 372*: « Secunda sententia non solum rationum soliditate et pondere auctoritatis longe est probabilior, sed et communissima piorum prudentumque sacerdotum praxi comprobatur ».

(2) D'Annibale, *l. c.*

(*n.599*); supponimus enim pinguiorem eleemosynam datam non fuisse *intuitu personae* (*n. 606*); atqui sacerdos pro Titio applicans est Maevius: ergo ex voluntate Titii Maevio cedit eleemosyna ab eodem data, et proinde ejusdem partem Caius retinere non potest sine culpa gravi vel levi juxta materiae quantitatem. Aliis verbis, Caius ex eleemosyna Missae quam celebrandam et applicandam tradit Maevio quamque Maevius applicat, retinet tres libellas, et crastina die ipse applicat ad intentionem Maevii pro Sempronio cum eleemosyna duarum libellarum; clare igitur offendit in decretum S. C. C. ab Urbano VIII et Innocentio XII probatum (*Allegat. III*, § *5*) (1).

611. *k*) Tandem si sacerdos, Missam celebraturus, partem stipendii sponte relinquit juxta ea quae supra diximus (*n. 599*); sed in hoc casu pars stipendii non retinetur, sed sponte datur.

5° *De Missarum condonatione, reductione, translatione.*

612. Huc usque exposuimus obligationem celebrandi Missas seu fundatas seu manuales et in hac celebratione servandi etiam circumstantias impositas et acceptatas. At aliquando hujus obligationis implementum, tractu temporis, mutatis circumstantiis, evadere potest impossibile aut admodum difficile; et tunc legitimus superior ecclesiasticus ipsam obligationem moderare poterit. Hoc fit per Missarum condonationem et reductionem, quibus obligatio celebrandi Missas ex parte remittitur, et per Missarum translationem, qua obligationi servandi in Missarum celebratione circumstantias loci et temporis derogatur. De singulis breviter.

613. Condonatio (2) Missarum seu absolutio respicit praeteritum, nempe tunc locum habet, cum legitimus supe-

(1) S. C. C. in *Volaterrana Missae conventualis*, *6 Maii 1865*, *ad 1um*, reprobavit conventionem inter capellanos et canonicos, quae hanc permutationem intentionum absque permutatione eleemosynarum continebat; sed exinde vix aliquid certi pro re nostra deduci potest, quia hoc non erat unicum conventionis vitium; e. g., vi illius conventionis canonici reipsa numquam pro benefactoribus in genere applicabant.

(2) Lucidi, *De vis. sacr. lim.*, *tom. II*, *p. 450*, *n. 86 sequ.*; Benedictus XIV, *De Syn.*, *lib. XIII*, *cap. ult.*, *n.* 15 *sequ.*; Gennari, *Consultazioni, etc.*, *p. II*, *cons. II.*

rior ecclesiasticus condonat aliquas Missas seu manuales seu fundatas quae celebrandae erant et celebratae non fuerunt. Legitimus superior qui hanc absolutionem concedere potest, est unus Romanus Pontifex qui supplet ex thesauro Ecclesiae, ut expresse tradunt Urbanus VIII et Innocentius XII in cit. const. *Nuper* (*Allegat. III*, § *2*). Ceterum in genere immutatio piae voluntatis fidelium seu viventium seu defunctorum, acceptatae per quasi contractum, fieri non potest nisi a suprema ecclesiastica auctoritate; quod supponit etiam Conc. Trid., *sess. XXII*, *cap. VI*, *de ref.* (*n. 618*). In unico casu episcopus poterit hanc absolutionem ex justa causa concedere, nempe si fideles oblatores vel fundatores hanc potestatem ei fecerint. Porro S. Sedes absolutionem concedit per organum S. Poenitentiariae, nonnumquam per S. C. C., frequentius per S. C. Fabricae S. Petri.

614. Innocentius XII, *l. c.*, § *25*, docet, si quis, sub malitiosa spe absolutionis obtinendae, Missarum celebrationem praetermiserit, absolutionem a Sede Apostolica concessam nullimode suffragari. Pariter S. Sedes absolutionem numquam concedit, si reditus habeantur pro Missarum praeteritarum celebratione. Igitur haec absolutio conceditur, si ex una parte Missae celebratae non fuerunt absque culpa illorum qui eas celebrare debebant, et ex alia tantus reditus non superest ut omissionibus praeteritis suppleri valeat. Ita, e. g., S. C.C. absolutionem concedendam esse rata est in *Firmana*, *21 Nov. 1761*; *Messan.*, *16 Maii 1778*; *Anconitan.*, *20 Apr. 1782*; *Melevitan.*, *20 Dec. 1788*, etc., quia Missarum celebratio praetermissa fuerat in bona fide. Item, si Missae celebratae non fuerant ob inopiam etiam relativam tantum, saepius preces pro absolutione admittendas esse decrevit, ut in *Tranen.*, *22 Nov. 1738*, aliisque plena manu relatis in *Vercellen. Oner.*, *15 Dec. 1792*. Aliquando absolutionem etiam indulsit legatario qui magno aere alieno gravabatur, ut in *Romana Commut. vol.*, *27 Febr. 1734*; *Romana Red.*, *2 Maii 1818*; *Januen.*, *22 Junii 1822*. E contrario censuit absolutionem pro praeterito et reductionem pro futuro esse denegandam in *Mediolanen.*, *7 Apr.* et *1 Sept. 1731*, ubi onus Missarum per

transactionem fixum erat et bona propter alienationem factam diminuta.

615. S. Sedes, Missarum non celebratarum condonationem concedens, imponit semper salutarem aliquam poenitentiam et praesertim onus celebrandi aliquem Missarum numerum. Maxime si absolutionem elargitur S. C. Fabricae S. Petri, quin celebratio harum Missarum relinquatur conscientiae petentis absolutionem, nonnumquam exigitur aliqua pecuniae summa pro facti circumstantiis et pro praetermisso sacrificiorum numero, quae *compositio* appellatur ; et hac pecuniae summa deinde capellani Missas in Basilica Vaticana celebrant.

616. Non raro Sedes Apostolica episcopis aut superioribus regularibus indultum concedit absolvendi et reducendi Missas. Vide in Concilio Romano an. 1725, *tit. XV, cap. VIII.* Formula hujus indulti est tenoris sequentis : « SSmus D. N., audita relatione infrascripti Secretarii S. C. C., episcopi oratoris precibus benigne annuens, facultatem eidem impertitus est infra triennium proximum tantum absolvendi vere pauperes (1) super praeteritis omissionibus adimplementi onerum Missarum perpetuarum dumtaxat (2), injuncta singulis ex eisdem enuntiata absolutione indigentibus, juxta locorum, personarum et temporum circumstantias ac quantitatem Missarum omissarum, aliqua celebratione pro una vice nonnullorum sacrorum in suffragium animarum testatorum applicandorum, pro quibus Missae erant celebrandae celebrataeque non fuerunt, et aliquo pio opere per modum suffragii, ut supra, itidem applicandi. Quo vero ad futurum, facultatem similiter tribuit episcopo oratori, ut, dicto perdurante triennio, praefata Missarum perpetuarum onera, dummodo alias reducta non fuerint, ad tramites indulti Benedicti XIII in postrema Romana synodo impressi illiusque forma ac tenore in omnibus adamussim serva-

(1) Sive *absolute*, qui scilicet bonis carent ita ut labore manuum vel animi facultatibus aliquam industriam exercere debeant ad vitam traducendam ; sive *relative*, qui nempe bona possident, sed insufficientia, habita ratione eorum status.

(2) Proinde episcopus indultarius condonare non potest Missas manuales et nec Missas fundatas, sed temporales.

tis (1), pro suo arbitrio et prudentia gratis reducere ac moderari possit et valeat ».

617. Reductione Missarum prospicitur futuro ; per eam scilicet conceditur ut in posterum non omnes Missae fundatae quae celebrandae forent, celebrentur. Diximus *non omnes Missae fundatae* ; nam si agitur de Missis manualibus, quarum celebratio neglecta fuit, locum habere non potest reductio, sed solum condonatio, de qua supra (2).

618. Conc. Trid., *sess. XXV, cap. IV, de ref.*, tribuit episcopis, abbatibus, et generalibus Ordinum potestatem in synodo dioecesana aut in capitulis generalibus, circa Missas fundatas in ecclesiis, statuendi quidquid magis ad Dei honorem et cultum atque ecclesiarum utilitatem viderint expedire, ita tamen ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ad pios usus reliquerunt ; proinde tribuit etiam potestatem onera Missarum fundatarum reducendi. At S. C. C., apud Benedictum XIV, *l. c., n. 18*, postea declaravit « potestatem reducendi onera Missarum tributam episcopis ex decreto *cap. IV, sess., XXV, de ref.*, intelligi tantum de prima synodo post idem Concilium celebrata ac de oneribus Missarum celebrandarum ante idem Concilium impositis ». Idem Concilium, *sess. XXII, cap. VI, de ref.*, statuit : « In commutationibus ultimarum voluntatum, quae nonnisi ex justa et necessaria causa fieri debent, episcopi, tamquam delegati Sedis Apostolicae, summarie et extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus, tacita veritate vel suggesta falsitate, fuisse narratum, priusquam commutationes praedictae executioni demandentur ». Nonnulli putaverunt episcopos ex his Tridentini verbis posse defunctorum voluntates commutare ; sed perperam, imo potius contrarium ex relatis verbis eruitur, quae supponunt preces pro commutatione oblatas fuisse non episcopis, sed Sedi Apostolicae

(1) Hoc indultum Benedicti XIII proprie editum est pro superioribus regularibus et multas habet clausulas quae episcopis accommodari nequeunt ; clausulae quas episcopus servare debet, in relata formula continentur.

(2) Benedictus XIV, *l. c., n. 29.*

et fuisse admissas ; ac exigunt, ut, antequam executioni demandentur, episcopus inquirat de eorum obreptione vel subreptione et de causae necessitate. Igitur dicendum Missarum reductionem, sicuti condonationem, excedere ordinariam episcoporum potestatem, et unice reservari Sedi Apostolicae, quae supplet ex thesauro Ecclesiae ; quod expresse etiam tradunt Urbanus VIII et Innocentius XII (*Alleyat. III*, § 2) ; et licet S. Sedes hac potestate non utatur nisi ex justa et necessaria causa, uti Tridentinum praecipit, tamen reductio Missarum aliter facta, illicita quidem, sed valida foret (1). In uno casu episcopus ad Missarum reductionem procedere potest, nempe si ipsemet fundator hanc potestatem eidem reservaverit.

619. Sedes Apostolica potestatem Missas reducendi quandoque episcopis ac superioribus regularibus committit ; formulam hujus indulti habes *n. 616*. Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 22*, docet indultum pro Missarum reductione non protendi ad reliqua pia legata aliasque pias dispositiones, e. g., eleemosynam pauperibus distribuendi, aut inopes virgines dotandi, cum facultas ad certas res data ad alias diversi generis extendi nequeat. Quod si in indulto addatur clausula, comprehendens Missas et alia pia opera, potius alia pia opera reducenda forent quam Missae, quia, nisi aliud constet, talis praesumitur fuisse intentio fundatoris (2). Praeterea licet indultum complectatur Missas fundatas cujuscumque speciei, etiam anniversaria et Missas solemnes et cum cantu celebrandas, tamen non complectitur Missas, quarum celebrationi institutum ecclesiasticum sese obstrinxit per contractum ; hoc enim in casu coram judice ordinario agendum est, ut cognoscat num contractus ob im-

(1) Benedictus XIV per const. *Paternae sollicitudinis*, *an. 1749*, concessit Fratribus Minimis S. Francisci a Paula ut onera perpetua Missarum in eorum ecclesiis ultra quinquaginta annos non durarent, quo tempore elapso pii benefactores participes essent sacrificiorum quae in universo Ordine pro benefactoribus in genere offeruntur. Sed Pontifex exigit ut de hoc certiores fierent quicumque constituissent onera perpetua Missarum religiosis ipsius Ordinis demandare, ita ut ipsorum fundatorum consensus haberetur.

(2) Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 23* ; Fagnanus, in *comm. cap. Ex parte, De constitutionibus*, *n. 34*.

minutionem redituum sit rescindendus vel saltem ad justi et aequi normas redigendus (1). Has normas ipsa S. Sedes observare solet, quando Missarum reductionem directe elargitur. Ceterum episcopus hoc indulto uti potest etiam pro reducendis Missarum oneribus quae ad regulares pertinent in sua dioecesi commorantibus.

620. Causas ob quas fas est Missarum reductionem aggredi, plerumque, imo fortasse semper, suppeditat decrementum redituum, qui fuerant pro onerum implemento assignati, et aliquando adaucta per episcopos in suis synodis Missarum eleemosyna, ita ut jam non reperiantur sacerdotes qui Missarum oneribus satisfacere velint ; et hanc causam indicavit etiam Conc. Trid., *sess. XXV, cap. IV, de ref.* At hoc etiam in casu, antequam Missae reducantur, inspiciendum est num, juxta fundatoris voluntatem, adsit quisquam qui supplere teneatur id quod deest ; si enim aliquis hac obligatione adstringitur, hic cogi debet ad suae obligationis implementum, et fundatoris voluntas sarta tectaque servari debet. Hinc, e. g., quando universa haereditas Missarum onere gravatur, minime prodest haeredi fundi adsignatio, vel solutio alicujus pecuniae summae, quam ultro instituto ecclesiastico legatario fecerit, si progressu temporis ejusdem fundi aut pecuniae fructus oneri sustinendo impares evaserint, ut censuit S. C. C. in *Romana, Red. on. Miss., 18 Apr. 1733.* Idem dicatur si testator haeredi mandaverit ut instituto ecclesiastico legatario tot fructus praestare debeat, quot satis sint pro Missarum celebratione. Quod si testator onus Missarum et fundum pro illius adimplemento simul designavit, adhuc videndum num fundi designatio facta fuerit *demonstrative* tantum, vel etiam *taxative*. Facta est *taxative*, si testator incipit a designatione fundi et deinde exprimit Missarum onus : e. g. : *Lego ecclesiae fundum A cum onere celebrandi quotannis decem Missas* ; quo in casu, fundo evicto, vel reditibus imminutis, vel aucta synodali taxa, haeres ad nihil tenetur, ac proinde superior Missarum reductionem petere poterit. Facta autem est *de-*

(1) Benedictus XIV, *l. c., n. 35* ; Lucidi, *l. c., n. 101.*

monstrative tantum, si, e contrario, testator incipit ab onere Missarum et deinde fundum designat; e. g.: *Haeres celebrare faciat quotannis decem Missas, pro quibus ipsi lego fundum A*; quo in casu haeres cogendus est ad supplendum quod deest. Tandem si testator hoc unum haeredi jussit, ut instituto ecclesiastico tradat fundum A pro Missarum onere, haeres, tradito fundo, plene liberatur; de qua re Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 33*.

621. Tandem ad Missarum translationem quod attinet, per hanc conceditur ut Missae quae determinato tempore et loco celebrandae erant, alio tempore et loco celebrentur; sed plerumque haec translatio respicere solet unam loci circumstantiam.

Quod attinet ad temporis translationem, si onus celebrandi urget in determinatis diebus juxta ea quae diximus *n. 591*, episcopus permittere nequit ut in aliis diebus adimpleatur. Hinc in *Neritonen.*, *17 Nov. 1657* (n. 1851), cum Neritonenses canonici supplicavissent eis indulgeri ut anniversaria defunctorum, prout hactenus ex permissione episcoporum egerant, possent in posterum feriis secundis cujuslibet hebdomadae, licet a testatoribus certis diebus assignata, absolvere; S. R. C. reposuit: « Tuta conscientia nullatenus potuisse nec posse hujusmodi consuetudinem inducere et retinere ». Igitur pro hac translatione ad Sedem Apostolicam recurrendum erit.

Quod spectat vero ad translationem loci, Missae manuales quae in sanctuariis cumulantur, servatis his quae diximus *n. 576 sequ.*, alibi celebrari possunt sine ullius permissione, cum habeatur oblatorum consensus. Quod si tabella, monens fideles de Missarum celebratione in alia ecclesia facienda, apposita non fuerit, nonnulli putant episcopum sua ordinaria potestate permittere posse, ut Missae quae in sanctuario celebrari nequeunt, alibi celebrentur (1). Missas fundatas in aliqua ecclesia vel altari episcopus ad aliam ecclesiam vel altare transferre jure proprio potest, in primis si fundator id eidem permittit; deinde si ecclesia vetustate vel alias collapsa est et ob omnium inopiam instaurari nequit, ex Conc. Trid.,

(1) Gennari, *Consultazioni, etc.*, *p. II, cons. III.*

sess. XXI, cap. VII, de ref., cujus verba habes *n. 131*. Praeter hos casus, Missarum translatio Sedi Apostolicae reservatur, cum immutationem piae fidelium voluntatis secumferat; et S.C.C. non semel, e. g., in *Ariminen., 14 Mart. et 13 Jun. 1731*; in *Casalen., 24 Sept. 1718*, etc., improbavit translationem ab episcopo peractam, licet ob graves causas. Haec translatio facilius a Sede Apostolica obtinetur, si constat fundatorem respexisse tantum animae suae suffragium, quia sacrificium, in quocumque loco oblatum, aeque prodest; sed difficilius conceditur, si constat fundatorem respexisse etiam locum, sive ut populus Missam haberet singulis hebdomadis, sive ob specialem affectionem erga illam ecclesiam, e. g., quia ibi est sepulchrum suae familiae, aut colitur Sanctus, cujus nomen defert, etc. Causa autem propter quam haec translatio conceditur, unica est, scilicet si Missae in illa ecclesia vel altari, ob sacerdotum defectum, celebrari nequeunt. Hinc si agitur de legatis cujus reditus, juxta leges fundationis, augeri possunt, haec translatio concedi non solet, quia, auctis reditibus, etiam sacerdotes pro Missarum celebratione inveniri facilius poterunt. Missae non transferuntur nisi ad aliam ecclesiam aliudve altare, sed intra ejusdem dioecesis fines; praecipitur ut in priori ecclesia vel altari tot Missae celebrentur, quot celebrari possunt, praesertim diebus festis; et tandem translationem oneris secumferre translationem bonorum, evidens est. Episcopus vel superior regularis invigilare debet ut haec omnia accurate serventur; et eadem prae oculis habere, si indultum transferendi Missas obtinuit, quod ad triennium concedi solet; et etiam translatio ab indultario concessa, temporanea debet esse. Ceterum haec in ipsa indulti formula praecipiuntur.

III

De applicatione debita ratione beneficii.

622. Pius beneficii fundator non raro in fundationis tabulis praecipit, ut beneficiatus Missam celebret et applicet vel quotidie vel aliquibus tantum diebus, et quandoque etiam

circumstantias in hac celebratione servandas determinat. Beneficiatum debere in omnibus fundatoris voluntatem adimplere, evidens est; et de hac obligatione repetantur ea quae supra disputavimus *n. 584 sequ.*

623. Unica quaestio quae hac de re occurrit, est num beneficiatus, obligatus ad quotidianam Missae celebrationem, possit aliquando eam interrumpere. Praemittimus decretalem Alexandri III in *cap. 11, De praebendis*, ad praepositum et capitulum Insulen.: « Significatum est Nobis quod cuidam sacerdoti praebendam unam in ecclesia vestra communi voluntate dedistis, ita quod Missam de S. Maria (nisi corporis infirmitate gravatus sit) debeat quotidie celebrare, et ecclesiam vestram, nonnisi communi tam praepositi quam capituli assensu, possit dimittere, vel cuiquam praebendae illius anniversarium delegare. Quam siquidem institutionem eatenus confirmamus, ut praedictus sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assidue debeat obsequium suum impendere ecclesiae memoratae, et quanto frequentius potest (salva honestate sua et debita devotione), Missarum solemnia celebrare, nec sibi liceat hoc illi subtrahere sive causa voluptatis, sive se ad aliam ecclesiam transferendo ».

624. Jamvero in primis applicare debes ea quae diximus *n. 593*. Praeterea si in tabulis fundationis beneficii imponitur onus Missae quotidianae, sed non dicitur beneficiatum debere ipsam celebrare *per seipsum*; vel dicitur debere ipsam celebrare per seipsum, sed additur quod si per seipsum non possit celebrare, faciat celebrare *per alium*, hoc onus reale vel exclusive vel principaliter exacte implendum est, ita ut si ipse beneficiatus aliquando vel non potest vel non vult Missam celebrare, debeat manuale stipendium praebere alteri sacerdoti qui loco ipsius celebret. Huc spectat responsio S. C. C. data die *24 Febr. 1874*. Nam Joseph Gallinotti suo testamento haeredem reliquit confraternitatem SSmi Rosarii cum onere nominandi capellanum qui celebraret quotidianam Missam in suffragium animae suae; assignata eidem capellano, praeter habitationem, annua pensione libellarum 800, addens: « Quando capellanus no-

minatus pro tempore non poterit celebrare dictam Missam quotidianam, sodalitium haeres eam celebrare facere debebit per quem malit cum eleemosyna obolorum 20 pro unaquaque Missa usque dum dictus capellanus nominatus sit in statu per se satisfaciendi : quae quidem eleemosyna deducenda erit ex dictis libellis 800 eidem assignatis ». In vim hujus clausulae, quoties capellanus praetermittebat, quacumque demum de causa, Missae celebrationem, sodalitium eleemosynam ex ejus pensione detractam dabat alteri sacerdoti qui celebrabat. Cum vero capellanus contenderet se posse praetermittere Missae celebrationem non solum ob causam infirmitatis, sed etiam ob causam devotionis, e. g., ob spiritualia exercitia in aliqua religiosa domo peragenda, quin sodalitium ratam pensionis partem subtrahere posset, proposita fuere S.C.C. sequentia dubia : « 1° An administratio sodalitatis SSmi Rosarii in vim testamenti Gallinotti jure providit Missae pro omnibus diebus in quibus capellanus exercitiis spiritualibus vacavit in casu ? Et quatenus affirmative : 2° An idem servandum sit quando idem capellanus aegrotat, vel quocumque alio impedimento detinetur in casu ». S. C. reposuit : « Ad 1um et 2um : Affirmative ». Vide etiam ejusdem S. C. responsionem in *Collensi, 18 Sept. 1683, ad 6um (n. sequ.)*.

625. E contrario, si in tabulis fundationis beneficii onus Missam quotidie celebrandi *per seipsum* imponitur pure et simpliciter beneficiato, hoc onus personale ex praesumpta fundatoris vel testatoris voluntate admittit aequitatem canonicam, ut patet ex cit. *cap. 11, De praebendis*, ita ut beneficiatus possit aliquando Missae celebrationem interrumpere, quin obligetur Missam per alium celebrare. Accedunt responsa S. C. C. in *Collensi, 18 Sept. 1683*. Nam propositis dubiis :

« 1° An sacerdotes, obligati ratione beneficii, capellaniae, legati, aut stipendii celebrare quotidie Missam *per se ipsos* possint aliquando a celebratione vacare ;

« 2° Quando et quoties a dicta celebratione vacare possint ;

« 3° An diebus licitae vacationis possint Missam pro se ipsis vel aliis, praeterquam pro fundatoribus, celebrare ? Et quatenus affirmative :

« 4° An pro aliis celebrando possint stipendium pro hujusmodi celebratione recipere ;

« 5° An illis diebus quibus licite vacant a celebratione, teneantur Missam ab aliis celebrari facere juxta intentionem fundatorum ;

« 6° An sacerdotes, ut supra, obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi *per se ipsos*, possint aliquando a celebratione vacare » ;

S. C. respondit :

« Ad 1um et 2um : Affirmative.

« Ad 3um, 4um, 6um : Negative.

« Ad 5um : Dilata ». Deinde vero die *13 Nov. 1683, ad 5um* reposuit : « Dabitur resolutio in casibus particularibus ».

626. Eadem S. C. alias declaravit pro nonnullis casibus quot diebus beneficiatus abstinere possit a celebratione, quin teneatur alium substituere. Scilicet distinguendum est inter varias intermissionis causas. Quod attinet ad celebrationis intermissionem ratione infirmitatis, patet beneficiatum seu capellanum posse celebrationem praetermittere, donec perduret infirmitas, et S. C., in *Romana, Celebrationis Missarum, 4 Junii 1689* et *17 Nov. 1695*, censuit capellanum infirmum non teneri per alium celebrare, si ejus infirmitas quindecim tantum dierum spatio perduret ; et licet alii id ad unum mensem vel etiam ad duos extendant apud S. Alphonsum, *VI, n. 333*, tamen sententiam S. C. in praxi sequi debemus. Quod si beneficiatus ob aliquam infirmitatem redditus esset omnino impotens et aliunde non haberet unde viveret ac ordinatus fuisset ad titulum beneficii seu capellaniae, tunc, durante impotentia, non teneri per alium satisfacere, declaravit eadem S. C. in *Pistorien., 5 Febr. 1650*, et in *Patavina, 24 Apr. 1655*. Quod autem spectat causam honestatis et devotionis, non habemus S. C. declarationes, sed ex communi sententia sacerdos potest abstinere una vice singulismensibus ; imo plures et graves doctores apud S. Alphonsum, *VI, n. 332*, admittunt posse abstinere etiam una vice singulis hebdomadis, quod ob solidas rationes displicet Giraldi,

Expositio Juris Pontificii, p. I, sect. 366. Ex responsione autem negativa *ad 3um* in cit. *Collensi* apparet sacerdotem in diebus licitae vacationis non posse pro se vel pro aliis, e. g., pro valde sibi conjuncto, vel carissimo amico, aut benefactore, applicare, et contraria doctrina plurium cum S. Alphonso, *l. c.*, non est probabilis ; nisi forte in die commemorationis omnium defunctorum (*n. 593*.

627. Praeterea ratione beneficii in omnibus capitulis Missa conventualis quae singulis diebus canitur a clero, debet pro benefactoribus in genere applicari ; « eodem prorsus modo quo Missam parochialem ab iis qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso singulis saltem diebus festis de praecepto applicari debere superius declaravimus ». Benedictus XIV, in const. *Cum semper oblatas, n. 11* (1). Differentia est quod obligatio applicandi singulis diebus festis Missam pro populo est ex jure divino-ecclesiastico et ex virtute justitiae, si cura animarum beneficio adnexa est ; obligatio autem applicandi Missam conventualem pro benefactoribus in genere est ex jure tantum ecclesiastico et ex virtute justitiae. Hanc autem obligationem plures desumunt ex *cap. 11, De celebratione Missarum*, sed rite animadvertit Fagnanus, *l. c.*, *n. 20*, nil certi in hac materia affirmari posse ex hoc textu ob varietatem lecturarum. At cum Missa conventualis sit praecipua pars divini officii, jura quae tradunt obligationem capitulorum persolvendi quotidie divinum officium, etiam Missae conventualis celebrationem comprehendunt ; et hanc Missam conventualem applicandam esse pro benefactoribus in genere, ex constitutionibus Romanorum Pontificum et declarationibus SS. CC. RR. adeo constat, ut nullum dubium esse possit.

628. Origo hujus obligationis haec est. In singulis ecclesiis olim servabatur series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate ecclesia aucta fuerat, eorumque nomina sacris dypticis (sic enim vocabantur) ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret utque pro

(1) Hanc constitutionem quae de Missa pro populo et de Missa conventuali pro benefactoribus in genere agit, habes in Allegato II. Confer Lucidi, *De visit. sacr. lim., vol. I, pag. 308 sequ.*

iis tum preces funderentur, tum etiam Missae sacrificium offerretur (quam ob causam praedictus catalogus in plerisque ecclesiis ante oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit), licet iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt, quamquam illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi dypticorum usus sensim defecit, ob idque in oblivione jacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non ideirco desérere fas est usum et disciplinam orandi pro illis et sacrificium Missae offerendi. Atque inde praeceptum applicandi Missam conventualem pro benefactoribus in genere originem atque rationem desumit (1).

629. Ut hanc obligationem breviter declaremus, animadvertimus in primis ad Missam conventualem teneri omnia capitula patriarchalia, metropolitana, cathedralia, collegiata. Consuetudo etiam immemorialis, qua capitulum quodcumque Missam conventualem non celebraret aut non applicaret pro benefactoribus in genere, est corruptela, ut docet Benedictus XIV, *l. c., n. 16*, cum S. C. C. Necessarium igitur est indultum apostolicum, ut capitulum ab hoc onere eximatur. At Sedes Apostolica ratione paupertatis aliquando indulget ut Missa conventualis locum habeat tantum diebus festis, sed ab eadem penitus dispensare non solet, ut tradit idem Benedictus XIV, *Inst. Ecc. CVII, n. 15*. Quod si ecclesia vero et proprio collegialitatis titulo careat, etiamsi a pluribus beneficiatis chorale officium vel circa aliquas vel circa omnes canonicas horas celebrari debeat, obligatio Missae conventualis ei non inest, nec ab episcopo imponi potest. Ita S.C.C. in *Montisfalisci, 12 Febr. 1718;* in *Praenestina, Missae conventualis, 17 Apr. 1779;* in *Nullius Sublacen., 7 Jul. 1781*.

630. Ad Missam conventualem celebrandam et applicandam tenentur omnes qui choralia beneficia in capitulo

(1) Benedictus XIV, *l. c., n. 14*.

possident, quocumque tandem nomine haec beneficia appellentur. Proinde si clericus habet in ecclesia beneficium, quin ad chorum adstringatur, non tenetur ad Missae conventualis celebrationem et applicationem. Porro chorales beneficiati Missam conventualem persolvunt vicissim, seu, ut aiunt, per turnum, ut pluries S. C. C. declaravit. Decretum episcopi quo aliquem a turno eximeret, etsi agatur de canonico curam animarum habente, est nullum, utpote contrarium juri communi. Sane episcopus Albinganensis exemerat canonicum parochum a Missa conventuali per turnum celebranda et applicanda; et S. C. C. die *27 Apr. 1841* declaravit decretum episcopi viribus carere. Quod si in capitulo Missa conventualis diebus festis a canonicis, diebus feriatis a reliquis beneficiatis celebrari soleat, id sustineri utique potest. Duo autem hic notanda sunt. Primum est canonicum vel beneficiatum qui juxta turnum debet Missam conventualem celebrare et applicare, et tenetur eo die alio Missarum onere, e. g., applicandi pro populo, debere Missam conventualem celebrare et applicare per seipsum, Missam vero pro populo celebrare et applicare per alium *(n. 532)*. Aliud est, quando Missa conventualis a beneficiatis choralibus per turnum celebratur, si ab eisdem separatim sua praebenda administratur, eveniente casu vacationis, persolvi debere eleemosynam pro Missa conventuali a subcollectore spoliorum, ubi apostolicae spoliorum camerae sua jura exercere integrum est, uti declaravit etiam S. C. C. in *Firmana, Missae conventualis, 20 Jan. 1838*.

631. Missa conventualis erit de festo vel de feria vel etiam *de Requiem* diebus permissis, sed applicanda est *pro benefactoribus in genere*, ut patet ex dictis et expresse docet Benedictus XIV in cit. const. *Cum semper oblatas*, *n. 12*. Proinde Missa pro benefactore in specie satis non est ut impletum censeatur debitum applicationis Missae conventualis. Hinc in *Cajetana, Missae conventualis et pro populo, 20 Jan. 1838*, cum canonici ecclesiae collegiatae Campimellensis in dioecesi Cajetana solerent Missam conventualem diebus festivis pro populo offerre et anniversariorum

Missas in hebdomada ex fundationis lege occurrentes loco Missae conventualis diebus ferialibus pro benefactoribus in specie applicare, propositis dubiis : « 1° An et quando probanda sit ratio qua hactenus usi sunt Campimellis capitulares quoad celebrationem et applicationem Missae conventualis et Missae pro populo in casu ; 2° An et quando sit celebranda et applicanda Missa conventualis a Campimellis capitulo in casu ; 3° An et quando sit celebranda et applicanda Missa pro populo in casu » ; S. C. C. reposuit : « Ad 1um : Negative in omnibus. Ad 2um : Affirmative et esse celebrandam et applicandam pro benefactoribus in genere, collata tantum pro decennio applicatione ad dies festos etiam reductos. Ad 3um : Affirmative a parocho omnibus festis etiam reductis ad normam encycl. Benedicti XIV inc. *Cum semper oblatas* ». Proinde si in die occurrit anniversarium pro benefactore in specie, duplex Missa conventualis celebranda est, nempe una *de Requiem* pro benefactore in specie et alia pro benefactoribus in genere : et hic praecise videtur esse casus in cit. *cap. 11, De celebratione Missarum* (1).

632. Missa conventualis cum cantu a capitulo in ecclesia celebranda est ; secus non impletur onus Missae conventualis, quia, ut docet Fagnanus, *l. c., n. 29* : « Plus suffragii capit anima defuncti ex Missa solemni in choro cum interventu plurium sacerdotum quam ex Missa privata : unde ecclesia solvendo quod minus est liberationem non consequitur ». Unica est exceptio ; nempe si episcopus pontificaliter celebrat, Missa conventualis legitur vel ante vel post Missam pontificalem, uti rescripsit S. R. C. in *Marsorum, 12 Nov. 1831, ad 20um* (n. 4669). Praeter hunc casum, necessarium est indultum apostolicum ut Missa conventualis sine cantu celebrari possit, nec contraria consuetudo suffragatur. S. C. C. vel S.R.C., ob exiguitatem redituum, vel parvitatem numeri canonicorum, hoc indultum non semel concessit, praesertim pro diebus ferialibus, e.g., in *Tarentina, 12 Nov. 1831* (n. 4677).

(1) Fagnanus, *l. c., n. 23.*

633. Horam celebrandi Missam conventualem Rubricae Generales Missalis, § *XV*, his verbis indicant :

« 2° Missa autem conventualis et solemnis sequenti ordine dici debet. In festis duplicibus et semiduplicibus, in dominicis et infra octavas, dicta in choro hora tertia. In festis simplicibus et in feriis per annum, dicta sexta. In adventu, quadragesima et quatuor temporibus, etiam infra octavam Pentecostes et vigiliis quae jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa de tempore debet cantari post nonam.

« 3° Missa autem defunctorum dici debet post primam dici : ubi vero dicuntur eorum vigiliae mane post matutinum dici, dictis hujusmodi vigiliis cum laudibus, immediate dici potest Missa pro defunctis. Sed in die commemorationis omnium fidelium defunctorum Missa conventualis dicitur post nonam, quia eo die est principalis. In die autem depositionis defuncti, vel tertio, septimo, trigesimo aut anniversario solemni in quo fit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post nonam.

« 4° Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Missam conventualem, Missae in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito *Te Deum laudamus* in matutino, secunda in aurora, dictis laudibus et prima ; tertia vero in die post tertiam, vel ubi aliter ex dispensatione apostolica disponatur.

« 5° Missae votivae, quia non correspondent officio, si solemniter celebrentur pro re gravi, vel publica Ecclesiae causa, cum populi frequentia, dicantur post nonam ».

Hunc ordinem in celebratione Missae conventualis intervertere non licere, declaravit S.R.C. in *Nucerina, 16 Febr. 1630* (n. 851) et in *Congregationis Montis Coronae, 22 Jan. 1701* (n. 3575) ; neque hac in re prodesse contrariam consuetudinem etiam immemorialem, eadem S.C. reposuit in *Imolensi, 7 Junii 1759* (n. 4277) ; in *Venusina, 9 Aug. 1760* (n. 4293) ; in *Nullius Provinciae Compostellanae, 27 Sept. 1817* (n. 4542) ; in *Cotronen., 22 Apr. 1822, ad 1um* (n. 4586) ; in *Marsorum, 12 Nov. 1831, ad 27um* (n. 4670) ; in *Guadicen., 22 Jan. 1678, ad 5um* (n. 3856) ; in *Salten., 2 Maii 1871, ad 2um* (n. 5485) ; in *Sa-*

Iutiar., 29Nov. 1856, ad 1um (n. 5228). Doctores non excusant a peccato gravi, si ante matutinum cum laudibus Missa conventualis canatur ; solum in nocte Nativitatis cani potest et debet post matutinum ante laudes; de qua re vide Gardellini in decretum S.R.C. in *Gerunden., 3 Apr. 1830* (n. 4656).

634. Illi qui Missam conventualem pro benefactoribus in genere applicat, debet dari stipendium seu eleemosyna. Haec eleemosyna, si est massa distributionum, ex eadem desumenda est, ut statuit Benedictus XIV, *l. c., n. 18*, et rescripsit S.C.C. in *Lucana, Missae conventualis, 28 Febr. 1750, ad 3um et 4um*, et in *S. Severini, Missae conventualis, 24 Mart. 1764*. Quod si in capitulo massam distributionum distinctam habeant canonici, beneficiati, capellani, item canonici primae erectionis, canonici secundae erectionis, eleemosyna elici debet ex respectiva massa celebrantis, ut in *Aesina, Missae conventualis, 9 Sept. 1843, ad 2um*. Si nulla est massa communis distributionum, eleemosyna conficienda est arbitrio episcopi ex reditibus omnium praebendarum pro contributum, uti reposuit S.C.C. in *Monasteriensi, Visit. sacror. limin., 10 Jan. 1846* ; ita ut etiam ex reditibus beneficii vacantis, si capitulum habet ejus bona, eleemosyna pro applicatione Missae conventualis desumi debeat. Cum vero Missa conventualis applicari debeat pro benefactoribus in genere, patet aliam eleemosynam pro eadem recipi non posse.

635. Aliquando, praeter anniversaria benefactorum in specie, non una tantum, sed duae aut etiam tres Missae conventuales celebrari debent ad praescriptum Rubricarum Missalis. Nam *Rubricae Generales Missalis* ab initio, § *III*, *n. 2.* statuunt: « In feriis quadragesimae, quatuor temporum, rogationum, et vigiliarum, etiamsi duplex vel semiduplex festum vel octava occurrat, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis cantantur duae Missae ; una de festo post tertiam, alia de feria post nonam ». Insuper si pervigilium occurrit infra octavam Corporis Christi, praescribunt, *l. c., n. 2°*: « Infra octavam Corporis Christi... in ecclesiis cathedralibus et collegiatis cantantur duae Missae ; una de octava post tertiam, alia de vigilia post nonam ». Praeter-

ea § *V*: « Prima die cujusque mensis (extra adventum, quadragesimam, et tempus paschale) non impedita officio duplici vel semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro defunctis sacerdotibus, benefactoribus et aliis. Si vero in ea fuerit festum simplex vel feria quae propriam habeat Missam, aut resumenda sit Missa dominicae praecedentis quae fuit impedita, vel infra hebdomadam non occurrat alius dies in quo resumi possit, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis dicantur duae Missae, una pro defunctis, alia de festo simplici vel feria praedicta ». Tandem Rubrica in vigilia Ascensionis tradit: « Si occurrat festum duplex vel semiduplex... in ecclesiis collegiatis, praeter Missam de rogationibus, dicuntur duae Missae, una de festo et alia de vigilia » ; nimirum Missa de Sancto illius diei dicitur post tertiam ; Missa de vigilia post sextam ; Missa de rogationibus post nonam (1). Rubricae relatae quarum observantiam inculcat Benedictus XIV in cit. const. *Cum semper oblatas*, § *20*, adeo urgent, ut nulla contraria consuetudo nullumque grave negotium ab his pluribus Missis celebrandis excuset, uti non semel S. R. C. declaravit, e. g., in *Conimbricen.*, *Dubiorum*, *14 Apr. 1753*, *ad 1um* (n. 4233), et in *Guadicen.*, *22 Jan. 1678*, *ad 4um* (n. 2856). Et quidem omnes istiusmodi Missae conventuales conventualiter celebrandae sunt cum cantu, licet S. C. C. permittere soleat, ob urgentes causas, ut altera vel tertia Missa sine cantu celebrentur, e. g., in *Clodiensi*, *4 Apr. 1846*; in *Comen.*, *28 Sept. 1771* ; in *Firmana*, *4 Junii 1848* ; in *Derthonen.*, *12 Sept. 1829*, confirmata die *27 Julii 1844*, etc. Quod si quaeratur num et altera vel etiam tertia Missa conventualis applicanda sit pro benefactoribus in genere, ex Benedicto XIV, *l. c.*, § *22*, responsio est affirmativa pro illis capitulis ubi talis consuetudo viget ; secus applicatio est libera, dummodo celebrantes in commemoratione pro defunctis ecclesiae benefactorum in genere non obliviscantur. Quod si consuetudo in capitulo sit has quoque Missas applicandi pro benefactoribus in genere, eleemosyna praebenda erit, ut supra.

(1) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. CVII*, *n. 2.*

IV

De applicatione debita ratione praecepti superioris.

636. Confessarium posse Missae applicationem pro poenitentia sacramentali sacerdoti poenitenti injungere non est dubium, cum id inter opera satisfactoria merito recenseatur. At hic referendum est monitum, prudentiae plenum, quod habet S. Carolus Borromaeus, in *Act. Ecc. Mediol., p. IV, Instruct. ad confessar.* : « Non modo (non) petat (confessarius), sed nec velle se habere significet pecuniam, aliamve rem pro suscepti in confessione laboris munere, imo verbis vel potius factis ab his omnibus abhorrere demonstret. Cum pro poenitentia Missas injunxerit, sibi, aut ecclesiae suae, aut monasterio dicendas non addicat ». Archiepiscopus Lambertinus (Benedictus XIV), dum dioecesim Bononiensem regebat, idem sacerdotibus prohibuit sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus ipso facto contrahenda (1). Videamus num etiam fori externi superior possit Missae applicationem praecipere aut prohibere.

637. Omnes admittunt superiores regulares posse sacerdotibus sibi subditis Missas applicandas ad certam intentionem injungere. Sane in primis stipendia, a religiosa domo acceptata per superiorem, religiosam domum ligant ex justitia ad Missarum celebrationem ; quae obligatio ex determinatione superioris ad singulos transit, cum hoc onus vel potius hujus oneris possibilitatem in professione assumpserint. Praeterea, praescindendo etiam ab hoc titulo justitiae ratione stipendiorum a communitate receptorum, si Romanus Pontifex et episcopus possunt sacerdotibus saecularibus Missae celebrationem cum applicatione imponere, ut mox dicemus, a pari vel a fortiori, ratione voti obedientiae, id poterunt superiores regulares sacerdotibus regularibus sibi subditis. De facto in diversorum Ordinum constitutionibus quandoque Missae ad certas intentiones imponuntur ; et licet illae constitutiones non semper sub peccato, sed solum ut *regula*, obligent, tamen nihil sub obligatione regulae prae-

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XIX, n. 11.*

scribitur quod stricte sub peccato praescribi non possit (1).

638. Nonnulli docuerunt Romanum Pontificem et episcopum non posse sacerdotibus prohibere aut praecipere Missae applicationem ad aliquem finem, cum Missae applicatio videatur esse actus mere internus. Haec doctrina falsa est. Nam Romanus Pontifex aut episcopus in casu praecipiunt aut prohibent *Missae celebrationem cum illa applicatione*, idest actum externum quem comitatur et complet actus internus ; ipsos autem praecipere posse talem actum, non est dubium. Nec hujus prohibitionis aut praecepti exempla desunt. Jam diximus *n. 537* prohibitionem applicandi Missam pro persona determinata quae postea Missam petitura est et stipendium praebitura, verius esse ex solo jure ecclesiastico. Praeterea in archidioecesi Parisiensi omnes sacerdotes, dioecesi adscripti, die *12 Novembris* tenentur Missam *de Requiem* celebrare et applicare pro omnibus sacerdotibus dioecesis defunctis ; et qui illa die hanc Missam celebrare vetantur, huic obligationi quam primum moraliter satisfacere debent. Gregorius XVI hanc piam praxim indulgentiis ditavit et ita eamdem probavit. Ceterum S. Sedes, si in aliquibus gravibus circumstantiis Missae celebrationem jubet, ejusdem applicationem exigere non solet (2). Hanc Sedis Apostolicae prudentiam episcopi imitentur ; et nonnisi raro sacerdotibus Missae applicationem imponant, eos stipendio quo forte indigent, privantes.

639. Si sacerdos contra justum superioris praeceptum Missam applicat ad aliam intentionem, peccat quidem, sed applicatio valet. Haec est communissima sententia contra paucos ; et ratio est, quia Missae applicatio est actus potestatis ordinis, quae a superioribus ecclesiasticis pendet quidem quoad liceitatem actus, non vero quoad actus validitatem (3). Hinc, e. g., si sacerdos Missam potius appli-

(1) Lehmkuhl, *vol. II, n. 201*.

(2) Quidam putaverunt omnes sacerdotes in die commemorationis omnium defunctorum teneri ad Missae applicationem pro omnibus defunctis in genere. Sed immerito ; licet enim haec praxis sit valde laudabilis, tamen proprie dicta obligatio non adest. Ita reposuit S. R. C. in *Dalmatiarum, 4 Aug. 1663, ad 9um* (n. 2241).

(3) Vide nostrum *Tractatum canonicum de sacra ordinatione, n. 1142*; De Lugo, *De sacram. eucharist., disp. XIX, n. 210 sequ.*; S. Alphon-

cat ad intentionem dantis stipendium, satisfacit et stipendium retinere utique potest. At cum materia sit per se gravis, etiam praeceptum superioris potuit sub gravi obligare, et tunc sacerdos sacrilegii reus foret.

640. Confessarius et fori externi superior, Missae applicationem praecipientes, nisi aliud expresse dixerint, praesumuntur exigere Missae applicationem distinctam et separatam, non vero aliis communem. Hinc, e. g., si sacerdos eamdem Missam applicat ad intentionem confessarii aut superioris, et pro alio cui Missae applicationem debet ex virtute justitiae, nec praeceptum confessarii aut superioris adimplet, quia talis non praesumitur fuisse ipsorum mens, nec justitiae obligationem (*n. 493*). Quod si sacerdos eamdem Missam applicat ad intentionem confessarii aut superioris et pro fideli cui Missam liberaliter promisit, praeceptum confessarii aut superioris non adimplet ex dictis, bene vero obligationem fidelitatis (*n. 643*); imo et praeceptum confessarii aut superioris, ut putamus, si juxta eorum praeceptum applicat intentione prima, et juxta obligationem meae fidelitatis intentione secunda (*n. 491*). Insuper si superior exigit unum tantum Missae fructum, e. g., impetratorium sanitatis pro infirmo, sacerdos alios fructus pro libito applicare potest. At si superior injungit Missam simpliciter ad suam intentionem, sacerdos nequit fructus dividere ; item si superior injungit Missam ad aliquem finem, praesumitur exigere omnes fructus qui ad illum finem conducere possunt. S. Franciscus Borgia, Praepositus S. J., *an. 1564*, suis subditis rescripsit : « Quando superiores injungunt Missas pro aliis, quam pro defunctis, clarum est applicationem ad liberandam animam liberam sacerdoti manere ». Liceat hac de re dubitare ; nam cum fructus satisfactorius etiam viventibus prosit, qua ratione per se dici potest superiorem, dum Missam pro viventi injungit, fructum satisfactorium pro eodem non exigere ? Pariter si superior injungit Missam pro defuncto, non poterit sacerdos fructum impetratorium et placatorium viventibus applicare, quia ii fructus etiam defunctos juvant aut juvare possunt.

sum, *VI, n. 335* ; Suarez, *in 3 p. D. Thomae, disp. LXXIX, sect. IX* ; Benedictum XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. IX, n. 4.*

E contrario si injungit Missam in honorem alicujus Sancti, sacerdos potest fructum non quidem impetratorium (*n. 476*), sed satisfactorium aliis applicare (1).

V

De applicatione debita ratione promissionis.

641. Aliquando sacerdos Missae applicationem debet ex promissione simplici, unilaterali; aliquando ex tali promissione quae naturam habet contractus bilateralis. De utroque casu singillatim.

642. Ad primum quod attinet, si sacerdos Missae applicationem fideli acceptanti liberaliter promisit, saepe ad Missae applicationem proprie dicta obligatione non tenetur, quia his promissionibus saepe non intendimus veram assumere obligationem, sed tantum benevolum animum ostendere. Proinde sacerdos, applicationem praetermittens, nec leve peccatum committit (2). Quod si sacerdos veram promissionem obligantem in conscientia facere voluit, tenetur ex virtute fidelitatis stare promissis. Verum simplex hujusmodi promissio *per se* non obligat sub gravi; hinc sacerdos, Missam non applicans, per se peccat leviter tantum (3). Diximus *per se*, quia peccatum foret grave in tribus sequentibus casibus: 1° si sacerdos voluit promissione se obligare ex justitia sub gravi; 2° si Missam promisit Deo, seu Missae applicationem, voto emisso, debet ex virtute religionis; 3° si ei qui Missam celebrare tenetur sub gravi, e. g., ratione voti, recepti stipendii, etc., Missam promisit, ut eum ab obligatione liberaret; hoc enim in casu sacerdos, promissionem non implens, frustrat adimplementum gravis obligationis.

643. Quaeritur num sacerdos qui pluribus Missam liberaliter promittit, ab omnibus hisce gratuitis obligationibus liberetur per unius Missae applicationem. Si expresse promisit singulis Missam distinctam, certe non liberatur. Si

(1) Ballerini ad Gury, *II, n. 252.*
(2) Gury, *II, n. 370.*
(3) D'Annibale, *III*, § *190*, *not. 19*; S. Alphonsus, *VI*, *n. 317*, *Quaer. IV.*

expresse promisit omnibus unicam Missam, certe liberatur. Tandem in dubio quonam modo Missam promiserit, aut si Missam promittens non cogitavit de distincta vel unica Missa, pariter liberatur, quia in dubio liberalis promissio ita est intelligenda, ut sit promittenti quam minime onerosa, ex *l. 99 ff., De verb. signif.* Sed hoc in casu potestne sacerdos eamdem Missam applicare pro promissario juxta promissionem et pro fideli praebente stipendium, etc.? Certe per hanc applicationem non satisfacit obligationi justitiae erga fidelem; sed satisfacit obligationi fidelitatis erga promissarium, quia probabiliter promissario quod promisit, solvit; atqui pro obligatione quae non est ex justitia, aequalitatem exigente, satis est adimplementum probabile (*n. 493*). Imo satisfacit et obligationi justitiae erga fidelem, ut putamus, si pro fideli applicat intentione prima, pro promissario intentione secunda (*n. 491*). Demum si sacerdos unum tantum Missae fructum, non autem integram applicationem, promittere intendit, poterit alios fructus cui voluerit, applicare.

644. Alter casus verificatur, quando sacerdos nomen dedit piae sacerdotum associationi, cujus statuta praecipiunt ut pro socio defuncto Missa a sociis viventibus applicetur. Socii viventes, ut patet, non ex sola fidelitate, sed ex justitia ratione quasi-contractus tenentur pro socio defuncto Missam applicare, habituri vicissim post mortem a sociis viventibus Missae applicationem. Igitur huic obligationi ea omnia applicanda sunt quae supra diximus de aliis obligationibus ex justitia; sed, ni fallimur, sociis non fuit intentio sese obligandi sub gravi, et ideo, Missae applicationem omittentes, non videntur graviter peccare.

SCHOLION.

DE MINISTRO INSERVIENTE ET RESPONDENTE AC DE PRESBYTERO ASSISTENTE.

645. Antiquitus in qualibet Missa, clericis et praesertim diaconis sacerdoti inservientibus, ipsi fideles Missae assistentes sacerdoti respondebant; cujus disciplinae vestigia habemus in Missa cum cantu celebrata. Deinde ad evitandam confusionem statutum est ut in Missa privata unus

nomine omnium fidelium ministraret et responderet. Postea monachi sacerdotes Missas *solitarias* introduxerunt, quas scilicet solus sacerdos, ministrante ac praesente nemine, celebrabat, eosque saeculares sacerdotes imitati sunt. Eas sacri canones prohibuerunt, quod praesertim absurdum esset in ea sacerdotem dicere : *Dominus vobiscum*, *Sursum corda*, *Gratias agamus*, *Oremus* (1). Haec ratio gravis non est, sed canonica prohibitio mansit.

646. Igitur hodie ex una parte vetitum est Missam celebrare sine ullo ministro respondente et inserviente. Haec prohibitio habetur in *cap. 6*, *De filiis presbyterorum* : « Non solus sacerdos Missarum solemnia vel alia divina officia potest sine ministri suffragio celebrare ». Et Rubricae Missalis, *De defectibus*, etc., § *X*, inter alios defectus enumerant : « Si non adsit clericus vel alius deserviens in Missa, vel adsit qui deservire non debet, ut mulier ». Quamquam vero haec prohibitio per se gravis sit, tamen ab ea excusat gravis necessitas, e. g., ne infirmus careat viatico, aut populus Missa in die festo de praecepto (2) ; imo juxta nonnullos etiam ut ipse sacerdos Missam audiat in die festo de praecepto. Pariter incepta Missa, maxime post oblationem, potest celebrans pergere sine ministro, si hic abscesserit, brevi non reversurus. Tandem posse ab hac prohibitione Romanum Pontificem dispensare non est dubium. Inter facultates quas omnibus Vicariis Apostolicis Societatis Missionum ad Exteros concedere solet S. Sedes ad quinquennium, communicabiles, quas vide in *Collectanea Parisiensi*, *n. 23*, haec etiam recensetur. Quando sacerdos sine ministro celebrat, ipsi sibi et ministrat et respondet, sed in oratione *Misereatur*, loco *vestri*, dicit *nostri*, et in oratione *Suscipiat*, loco *de manibus tuis*, dicit *de manibus meis*, ut ipsae Rubricae monent, *Ritus servandus in celebratione Missae*, *VII*, *7* ; et tandem una tantum vice recitat *Confiteor*. Nam proposito dubio in *Erien.*, *4 Sept. 1875* (n. 5627) : « Si sacerdos celebrat sine ministro, debetne bis dicere

(1) Devoti, *Inst. Can.*, *vol. II*, § *LXI*.

(2) S. Alphonsus, *VI*, *n. 391* ; De Lugo, *De sacram. Euchar.*, *disp. XX*, *n. 103* ; Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif.*, *lib. III*, *cap. VII*, *n. 3*, qui tamen primum tantum necessitatis casum recenset.

Confiteor ante introitum » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Negative ».

647. Ex alia autem parte sufficit unus minister respondens et inserviens. Nimirum in Missa quidem solemni plures sunt qui ministrant et respondent, nempe diaconus, subdiaconus aliique. Et de Missa solemni communiter intelligitur *can. 61, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto ; « Hoc quoque statutum est ut nullus presbyterorum Missarum solemnia celebrare praesumat, nisi duobus praesentibus sibique respondentibus ipse tertius habeatur, quia cum pluraliter ab eo dicitur ; *Dominus vobiscum*, et illud in secretis : *Orate pro me*, aptissime convenit ut ipsius respondeatur salutationi ». Ceterum hic canon qui a Gratiano tribuitur Soteri Papae, est apocryphus. In Missa vero parochiali vel simili in diebus solemnioribus et in Missa quae celebratur loco solemnis atque cantatae, occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis, tolerari possunt duo ministri inservientes, servatis ordinationibus S. R. C. in *Tuden., ad 11um et 12um (n. sequ.)*. Tandem in aliis Missis stricte privatis unus debet esse minister ejusque officium in duos dividi non debet ; sed possunt duo clerici substinere intortitia, servata tamen forma rubricae Missalis pro Missa solemni, § *VIII, n. 8*. Ita expresse S. R. C. in *Molinen., 12 Sept. 1857, ad 7um et 8um* (n. 5251).

648. Minister debet respondere et ministrare. Celebrans non faciat scrupulum si minister male pronuntiat, nec facile corrigat errores, ne turbet seipsum vel circumstantes vel ordinem Missae ; sed suppleat tacite omissa a ministro. Advertit vero De Lugo, *l. c.*, minorem necessitatem sufficere ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quam sine ministro, praesertim cum in cit. *cap. 6, De filiis presbyterorum*, exigatur ministri *suffragium*, quod videtur ministerium praesertim indicare. In quonam consistat hoc ministerium inservientis in Missa, nemo ignorat. In *Tuden., 7 Sept. 1816* (n. 4526), propositis dubiis : « 1° An in Missis privatis permitti possit ministro aperire Missale ; 2° An in iisdem Missis privatis permitti possit ministro, si fuerit sacerdos, vel diaconus, sive subdiaconus, ut praeparet calicem et ipsum extergat in fine post

ablutiones, sicut in Missa solemni »; S. R. C. reposuit: « Ad 11um: Negative, et serventur Rubricae. Ad 12um: Ut ad proximum ». Et in *Societatis Jesu*, *11 Maii 1878* (n. 5728), ad dubium: « 20° An minister Missae privatae possit quaerere varias partes Missae, saltem *Communionem*, in Missali pro commoditate sacerdotis »; eadem S. C. reposuit: « Ad 20um: Negative, et serventur rubricae ». Id verum est etiam de canonicis ecclesiae cathedralis. vicariis generalibus, protonotariis apostolicis,abbatibus aliisque usum pontificalium habentibus, qui in sacro privatim faciendo ab aliis simplicibus praesbyteris non distinguuntur. Hinc in *Asculana*, *27 Maii 1788* (n. 4434), ad dubium: « 1° An liceat canonicis in Missis privatis tam intra quam extra cathedralem uti opera inservientis Missae tam pro delatione calicis ad altare et illius reportatione ad sacristiam, quam pro substinendo Missale, indicando orationes, et porrigendo patenam cum hostia, tergendo calicem eumque postea cum velo instruendo in casu »; S. R. C. reposuit: « Ad 1um: Negative ». Vide etiam ejusdem S. C. responsionem in *Dubiorum*, *4 Jun. 1817*, *ad 6um* (n. 4536), et in alia *Asculana*. *11 Dec. 1888*, *ad 1um* (n. 5955), et alias saepe.

649. Minister qui inservit Missae, nequit esse foemina, prouti rubrica citata *n. 646* expresse indicat. In primis certum est apud omnes vetitum sub gravi esse, ne foemina, etiam sanctimonialis, ministret altari. Id semper in Ecclesia receptum fuit, et, aliis juribus omissis, traditur expresse in *cap. 1*, *De cohabitatione clericorum et mulierum*: « Prohibendum quoque est, ut nulla foemina ad altare praesumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare sive sedere ». Etiam pro Ecclesia Orientali haec prohibitio urget, nam Benedictus XIV, in const. *Etsi pastoralis*, *VII Kal. Julii 1742*, § *VI*, *n. ult.*, haec habet: « Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino ». In casu gravis necessitatis, e. g., ne infirmus careat viatico, aut populus Missa die festo, sacerdos licite potest Missam celebrare sine ministro; non vero adhibere foeminam ministrantem (1).

(1) S. Alphonsus, *VI*, *n. 392*; De Lugo, *De sacram. Eucharist.*, *disp.*

Quaeritur utrum foemina, praesertim sanctimonialis, quin ministret, possit de longe respondere sacerdoti qui sibimet ministrat ? In *Veronen., 27 Aug. 1836* (n.4782), proposito dubio : « 10° Potestne sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis quae ad sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis » ; S. R. C. reposuit : « Ad 10um : Affirmative, urgente necessitate ». Deinde in *Cadurcen., 4 Aug. 1893*, ut determinaretur quandonam haec necessitas verificetur, Vicarius Generalis Cadurcensis exposuit eidem S. C. : « Ob temporum nequitiam saepe contingit ut nonnisi difficillime habeatur minister qui Missae inserviat, ita ut sacerdoti sacro abstinendum sit, nisi ministerio mulieris utatur. Cum vero dubitetur utrum hoc in casu vera adsit necessitas de qua in decreto S. R. C. diei *26 Aug. 1836*, hinc quaeritur : an urgens dici possit necessitas in casu quo sacerdos sacrosanctum Missae sacrificium celebrare non potest, quod minime necessarium est neque ad sacramentum pro infirmo conficiendum, nec ad praeceptum implendum ». S. C. reposuit : « Negative ». Cum vero post hanc responsionem nova quaesita hac de re fuerint S. C. proposita, haec ad eumdem Vicarium Generalem sequentem dedit epistolam die *12 Jan. 1894* : « Novit amplitudo tua, quod dubio ab ipsamet proposito circa mulieris ministerium in Missa, S. R. C. negative rescribendum censuit die quarta Augusti anno superiore. Cum inde hac de re ad eamdem nonnulla quaesita pervenerint, idem Sacrum Concilium nova in iisdem allata rationum momenta statuit perpendenda, atque interim praefati diei rescriptum non esse executioni mandandum ». Igitur seposito interim rescripto diei *4 Aug. 1893*, donec S. R. C. mentem suam non aperuerit, nos possumus in hac quaestione sequi probatorum auctorum doctrinam, quae sequens est. Certe si Missa necessaria sit ne infirmus careat viatico aut populus Missa die festo, verificatur necessitas permittens mulieri, praesertim sanctimoniali, respondere. Sed adhuc minor necessitas sufficit. Nam S. Alphonsus, *l. c.*, docet hanc legem urgere

XX, n. 103 ; Lehmkuhl, *Theol. Mor., tom. II, n. 244* ; D'Annibale, *III, n. 268* ; Boudinhon, *Le Canoniste contemporain, Février 1894.*

sub levi juxta opinionem communem, contra Nunnum apud Dianam, qui putat sacerdotem celebrantem, respondente muliere, peccare mortaliter. Jamvero si lex urget sub levi, jure sequitur ab eadem excusare quamlibet rationabilem causam, seu quodlibet incommodum grave. Hinc donec S. R. C. aliud decreverit, putamus posse mulierem respondere, ut supra : 1° si dum omnia parata sunt ad Missam, moniales adstant in capella, celebrans in sacristia, rescitur ministrum ea die abesse, quia, e. g., est infirmus, nec alius minister masculus brevi, puta infra horae quadrantem, haberi potest ; 2° Item si hae circumstantiae verificantur pro Missa in publica ecclesia, in qua frequentes sunt fideles ; 3° Si sacerdos, valde pauper, grave pateretur incommodum ex omissione eleemosynae, nec ministrum masculum potest invenire ; 4° Si, Missa incepta, minister masculus abiit, e. g., quia infirmus. Imo Lehmkuhl, *Theol. Mor., t. II, n. 244,* putat sufficere etiam causam ex devotione celebrandi ; quod num verum sit, alii videant.

650. Clericus praeferri debet, sed, ut patet ex citata rubrica, et laicus potest deservire in Missa, etsi expositum sit SSmum Sacramentum, et minister laicus nec superpelliceum nec talarem vestem deferat. « In pluribus conciliis, ait Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. I, cap. XI, n. 1,* ac praesertim in IV Mediolanensi sub S. Carolo Borromaeo, praescribitur ut qui in Missa ministrat, clericus sit et talari veste ac superpelliceo vestitus ». Nostris temporibus similes dioecesanae vel provinciales leges, deficientibus ubique locorum clericis, non amplius habentur ; et in Missa quidem cum cantu celebrata inservientes, sive clerici, sive laici, deferre debent vestem talarem ac superpelliceum ; in Missa autem lecta, non est necesse. Hinc in Missa conventuali capitulorum minister debet esse, si adest, clericus cum cotta. Nam ad dubium : « 3° In Missa conventuali potestne tolerari ut assistens seu serviens de altari sit laicus ; et quatenus debet esse clericus, hunc decet, necne, se parare cotta » ; S. R. C. in *Sancti Marci, 7 Sept. 1862,* (n. 5315), reposuit : « Ad 3um : « Inservientem Missae conventuali esse debere clericum cum cotta ». Ceterum Conc. Trid., *sess. XXI, Decret. de observandis et evitandis in*

celebratione Missae, jubet ut « neminem qui publice et notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare aut sacris interesse permittant (episcopi) ». A fortiori permitti non debet ut in divinis officiis et maxime in Missae celebratione respondeat et ministret acatholicus (sive haereticus sive schismaticus) aut ethnicus. Hinc proposito dubio : « 2° Num permitti possit quod infantes parentum schismaticorum in celebratione divinorum mysteriorum officium ministri exerceant » ; S. C. S. Officii, die *20 Nov. 1850*, reposuit : Ad 2um : Non posse permitti ». Eadem S. C. in eodem sensu rescripsit quoad haereticos die *7 Julii 1864* (1). Tandem abusus est ut idem simul respondeat et ministret duabus Missis, licet sacerdos exinde non teneatur altare deserere.

651. In Galliis mos perantiquus est ut pueri tum Missae inservientes tum in choro cantantes induantur veste talari coloris rubri, et super talarem vestem alba, quam praecingunt cingulo coloris rubri ; tandem alicubi pileolum gestant rubri coloris. In aliis etiam locis similes adsunt consuetudines. Tum in *Caesaraugustana, 11 Martii 1684, in 4° dubio* (n. 3046), tum in *Briocen., 12 Aug. 1854, in 16° dubio* (n. 5208), S. R. C., consulta num hujusmodi consuetudines sustineri possent, distulit responsionem. Putamus igitur episcopum minime teneri ad has consuetudines removendas, donec S. C., mentem suam aperiens, id non jusserit.

652. Quod attinet ad presbyterum assistentem *cum pluviali*, illum in Missa pontificali adhibet episcopus, ut tradit *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. VII*, et S. R. C. in *Alexandrina, 8 Apr. 1702* (n. 3625). Item abbates (*n. 677, 7°*). Praeterea in prima Missa novi sacerdotis, eamdem solemniter celebrantis, tolerari potest ut assistat tantum ad librum presbyter cum pluviali, uti censuit S. R. C. in *Vicentina, 1 Dec. 1882, ad 2um* (n. 5860). In *Matheliceu., 11 Martii 1837* (n. 4807), S. R. C. declaravit hunc presbyterum assistentem non posse aqua benedicta populum aspergere, gestare stolam subtus pluviale, fidelibus cum patena ministrare sanctam communionem, celebran-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 1840, 1845*.

tem incensare loco diaconi. Insuper, ubi est consuetudo immemorialis, tolerari potest presbyter cum pluviali assistens ad librum in Missa a canonico solemniter celebrata. Ita expresse S. R. C. in *Lucana*, *17 Jun. 1843* (n. 4970), et in cit. *Vicentina*, *ad 1um*, etc. ; quae proinde decreta aliis anterioribus derogant. Tandem canonicis aut Dignitatibus nonnullorum capitulorum privilegium presbyteri assistentis cum pluviali a Sede Apostolica concessum est. Ita, e. g., hoc privilegium habent Dignitates ecclesiae collegiatae S. Nicolai civitatis Altamurae, de quo in *Nullius Altamurae*, *23 Sept. 1713* (n. 3862). Praeter hos casus presbyter assistens cum pluviali sive cum stola sive sine stola, sive in solemni sive in privata Missa, adhiberi nequit, ut reposuit eadem S. C. in *Jacen.*, *28 Julii 1876*, et *30 Jan. 1878*, *ad 2um* (n. 5673, 5720); in *Montis Pessulan.*, *11 Junii 1857* (n. 5249) ; in *Drepanitan.*, *27 Febr. 1847* (n. 5070) ; in *Lucana*, *7 Dec. 1844*, *ad 2um* (n. 4978) ; in *Baren.*, *3 Aug. 1839*, *ad 1um* (n. 4863) ; in *Pistorien. et Praten.*, *15 Martii 1721* (n. 3946) ; in *Cortonen.*, *10 Sept. 1701*, *ad 14um* (n. 3598) ; in *Cremonen.*, *18 Martii 1679* (n. 2876).

Presbyteri assistentis ad librum *cum solo superpelliceo* in Missa solemni ipsae Rubricae Missalis. *Ritus servandus in celebratione Missae*, *cap. VII*, *n. 11*, et *cap. VIII*, *n. 8*, mentionem habent, et ideo non prohibetur. Item nec in Missa non solemni, sed cum cantu celebrata, ut colligimus ex responsione S. R. C. in *Bajonen.* relata *n. 780*. Tandem in Missa privata adhiberi potest ab episcopo ; de qua re vide *Caeremoniale episcoporum*, *lib. I*, *cap. XXIX* ; item a protonotariis apostolicis tum participantibus tum *ad instar*, dum Romae privatim celebrant (*n. 679*, *19°*) ; ab aliis adhiberi nequit, sed in primis privatis Missis novi sacerdotis putamus posse tolerari cum ferme necessarius sit et praxis id confirmet. Quoad officium presbyteri assistentis, vide Falise, *Cérémonial Romain*, *pag. 114 sequ.*

7578

INDEX SYNOPTICUS VOLUMINIS I

Pag.

APPROBATIO v

PROOEMIUM. VII

CAPUT I. **Notiones dogmaticae de sanctissima Eucharistia**. 1

ART. I. *Quid sit sanctissima Eucharistia* 1

ART. II. *Dogma catholicum de sanctissima Eucharistia exponitur* 6

§ 1. De praesentia reali Christi D. sub speciebus panis et vini verbo sacerdotis consecratis. 6

§ 2. Sanctissima Eucharistia est verum sacrificium . 11

§ 3. Sanctissima Eucharistia est verum sacramentum. 29

SCHOLION. *De jure liturgico*. 35

CAPUT II. **De tempore celebrationis Missarum**. 43

ART. I. *Quanam die Missam celebrare liceat* 43

ART. II. *Quanam diei hora Missam celebrare liceat* . . . 62

CAPUT III. **De loco celebrationis Missarum**. 78

SECTIO I. *De loco remoto celebrationis Missarum*. 78

ART. I. *De ecclesia* 78

§ 1. Quid et quotuplex sit ecclesia 78

§ 2. De ecclesiae aedificatione et reparatione. 80

§ 3. De titulo seu patrono ecclesiae 90

§ 4. De dedicatione ecclesiae. 98

I. Quid et quotuplex sit ecclesiae dedicatio 98

II. De praecipuis dedicationis caeremoniis 107

III. De festo dedicationis ecclesiae. 116

IV. De cessatione dedicationis ecclesiae 122

ART. II. *De oratorio*. 127

§ 1. Quid et quotuplex sit oratorium 127

§ 2. De oratorio publico. 132

§ 3. De oratorio privato 137

I. Utrum episcopus possit, necne, permittere in oratorio privato Missae celebrationem. 137

II. De privilegio oratorii privati a Sede Apostolica concesso. 162

ART. III. *Quandonam Missa in ecclesia vel oratorio celebrari nequeat* 168
ART. IV. *Quandonam extra ecclesiam et oratorium Missam celebrare liceat* 186
§ 1. De Missae celebratione extra ecclesiam et oratoria ex privilegio 187
§ 2. De Missae celebratione extra ecclesiam et oratoria ex necessitate 194
SECTIO II. *De loco proximo celebrationis Missarum, idest de altari* 201
ART. I. *Quid et quotuplex sit altare* 201
ART. II. *De altaris structura* 206
ART. III. *De altaris consecratione* 221
§ 1. Quid sit altaris consecratio 221
§ 2. De ritibus consecrationis altaris 225
§ 3. De cessatione consecrationis altaris 240
ART. IV. *Quandonam super altare consecratum Missam celebrari nequeat* 250
CAPUT IV. **De sacerdote Missam celebrante** 257
SECTIO I. *De persona sacerdotis* 257
ART. I. *Quinam Missam celebrare possit* 257
ART. II. *Quoties sacerdos Missam celebrare possit aut debeat* 266
§ 1. Quoties possit 266
§ 2. Quoties debeat 291
ART. III. *De dispositionibus sacerdotis pro licita Missae celebratione* 296
§ 1. Ex parte corporis 296
§ 2. Ex parte animi 311
SECTIO II. *De intentione sacerdotis* 322
ART. I. *De intentione sacerdotis pro validitate consecrationis* 322
ART. II. *De applicatione Missarum* 329
§ 1. De applicatione Missarum in se 329
§ 2. De variis titulis quibus applicatio Missae debetur. 354
I. De applicatione debita ratione curae animarum . 355
II. De applicatione debita ratione stipendii 388
1° *Disciplina Ecclesiae de Missarum eleemosyna vindicatur* 388
2° *Qualis eleemosyna peti aut acceptari possit.* 399
3° *Missae fundatae et manuales* 403
4° *Obligatio celebrandi et applicandi Missas seu fundatas seu manuales* 420
5° *De Missarum condonatione, reductione, translatione* 447
III. De applicatione debita ratione beneficii 454

IV. De applicatione debita ratione praecepti superioris 465
V. De applicatione debita ratione promissionis . . 468

Scholion. *De ministro inserviente et respondente ac de presbytero assistente* 469

Imp. G. Saint-Aubin et Thevenot. — J. Thevenot, successeur, Saint-Dizier.

263.4 Gasparri, Peter
AUTHOR
G 249 Tractatus canonicus de
TITLE
Vol. 1 sanctissima eucharistia

263.4
G 249
V.1